VNIUERSA HISTORIA PROFANA, IN CERTA CAPITA, PER ANNORUM...

Jacques Goutoulas, Giovanni Maria Gabrielli




10
5 M
6



VNIVERSA
HISTORIA
PROFANA,

In certa Capita,

PER ANNORVM DECADAS DIGESTA,

A CHRISTO NATO,

AD ANNVM MILLESIMVM SEXCENTESIMVM QVADRAGESIMVM,


CVM IMPERATORVM REGVMQVE FRANCORVM ICONIBVS.

Auctore IACOBO GOVTOVLAS *Tolosano, Societatis* IESV *Sacerdote.*

PARS SECVNDA.











PARISIIS,
Apud DION. BECHET, & LVD. BILLAINE, viâ Iacobæâ, ſub Circino.

M. DC. LIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.







ILLVSTRISSIMO
ET EXCELLENTISSIMO
VIRO, DOMINO
D. PETRO
SEGVIER
CANCELLARIO
GALLIARVM.



TVVM est iampridem istud opus (CANCELLARIE GALLIARVM EXCELLENTISSIME) & nobilitate argumenti, & ambitione dedicantis. Tuum amplissimi Nominis patrocinio, cui, quidquid famæ, & dignitatis acceperit, totum debet. Atque hôc ego con-

fidentius Amplitudinem audeo interpellare Tuam, quaſi ad domeſtici cuiuſdam clientis defenſionem; nec vtendum puto excuſatione pudoris mei, quem, in ſuſcipiendo tantillo munere, iamdiu nobis Benignitas Tua excuſſit. Sed vt auctorem ipſum perurgere deſinant vel rationes ab officij deſumptæ conſtantia; vel à meritis in ſe tuis traductæ; ad dedicandum certe cogeret, vel incredibilis temporum, rerumque, quas in hoc volumine tractaturi ſumus, cum tuis præclare factis, ipſa conſenſio. En ad hoc tempus Hiſtoriam perduximus (Cancellarie Illuſtriſſime) *quo, Gallia, deuictis iam, debellatiſque naſcentis Regni hoſtibus, latius, pacatiuſque terris fines ſuos propagare, & ſuſcepta per Clodouæum, ac proceres Francicos, Religione Chriſtiana, ad æternum quoque Imperium graſſari cœpit. Hæc noſtræ cunabula fœlicitatis; hoc Tuæ theatrum Virtutis, ac faſtigium Gloriæ, qui acceptum vtrumque Imperij, ac ſanctitatis decus, duobus iam ſub Regibus, non conſeruaſti modo; Verum etiam amplificaſti. Etenim ſi Legibus, quæ firmamenta ſunt regij principatus, inter tot bellorum turbines, vigorem redditum, conſeruatam Iudicibus auctoritatem,*

ac maiestatem additam, prætermisero; quantum consiliis Tuis, & sapientia, Gallia indigeret; liquido Principis optimi testimonium comprobauit, qui eorum fructu, calamitate temporum fraudatus, diu carere non sustinuit. Et vero, florente iam Imperio, quasi benigni cuiusdam sideris influxu, quid in Te dimiserat, nunc Te demum dignitati restituto, fœliciter experitur. Nimirum magni illius Cassiodori, cuius vitam, in Theodorici rebus gestis, hoc est, in ipso operis limine proponimus, æmulatus exempla, Principem tuum, in ferendo rerum pondere, & sceptro tractando subleuas; tanto sapientissimo illo Gothorum Cancellario superior, quanto Tu operosiorem nobilioris Regni molem, contra potentiores hostes, & successu meliore moderaris. Sentiebat ille quidem, vt Tu, de Religione magnifice, sed priuatæ sanctitati studens, non attigit publicam. Res auxit Principis sui, non Dei sui: Clauum Imperij tenuit; aras non defendit. Ille denique sceptrum fulcire potuit; Tu vt longè fortior, ac religiosior Hercules, cœli ruinam minitantis pondus, Ecclesiam dico Gallicam, periculosissimis nouæ, pestilentisque doctrinæ iactationibus, fluctuantem,


prudentiâ , atque auctoritate sustinuisti. Vidit te nuper Sorbonæ Schola compescentem Theologicorum conuentuum tumultus, & hæresis Iansenianæ præsidium pari Doctrinæ ac Religionis laude frangentem. At quo molitionis tuæ successu? Sed quo plausu vniuersorum ordinum? Mirata est sanè Gallia humani iuris Antistitem, & regiæ interpretem voluntatis, qui ætatem totam in re Politica, contriuisse sic videri poterat, nihil vt sacris facultatibus attingendis, otij superesset, ac temporis; euicisse tamen, & subtilitate disserendi, & eloquendi grauitate, vt & informis monstri moles penitus caderet, armaque vel inuiti ponerent aduersarij, atque prisca patrum Religio, elusis laruati Augustini, & quotquot in partes suas ille traxisset, machinationibus, salua tandem, incolumisque consisteret. Itaque summa omnium gratulatione, nec minori bono, Te vel auctore, vel administro, compressus ille sæuientis, ac per Galliam debacchantis sectæ furor, serenitas Regno, Ecclesiæque restituta; sua Regi Christianissimo; sua summo Pontifici, Christique Vicario, illibata vsque perseuerauit auctoritas. Fruere

igitur (Cancellarie Excellentissime) *magnifico rerum præteritarum spectaculo, Tuis quidem nobilitato virtutibus. Contemplare velut in speculo nascentem Galliæ fœlicitatem, & Tuam, ex Tuis incrementis, metire, & æstima gloriam. Mihi certè non leuis operæ fructus fuerit, erutis ex antiquitate, præclarorum virorum facinoribus, splendorem tibi quoquomodo, velut vmbrarum oppositu, conciliasse. VALE.*


A. T.

Addictissimus,


I. GOVTVLAS
Societ. Iesu Sacerdos.




LICENTIA R. P. GAILLARD, Exprouincialis, ſub finem ſui Prouincialatus, mihi conceſſa.

GO ANDRÆAS GAILLARD Præpoſitus Prouincialis Aquitaniæ, iuxta priuilegium eidem Societati à Chriſtianiſſimis Regibus Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. 14. Februarij 1611. conceſſum; quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos, abſque Superiorum permiſſione imprimant; concedo vt opus inſcriptum, *Vniuerſa Hiſtoria Profana* in certa capita per annorum Decadas digeſta, à Chriſto nato ad annum milleſimum ſexcenteſimum quadrageſimum, cum Imperatorum Francorumque Regum Iconibus, P. IACOBI GOVTOVLAS ex eiuſdem Societate, typis mandetur à D. BECHET Bibliopola Pariſienſi. Datum Pictauij 20. Iulij 1655.

ANDRE' GAILLARD.



AD LECTOREM.



EXIMIA quidem eſt hiſtoriæ quæ profana dicitur, ſcientia, & homini cum iucunda, atque vtilis, tum ſummopere honeſta. Verùm diſcendę comparandęve ratio quam difficilis & moleſta. Nam quãtam in voluminum multitudinem eſt diſperſa? quantâ amplitudine in ſingulis diffuſa? quarum copiam non ita facile habere poſſis, & ſi habeas, in ordinem redigere, vnumq; textum componere, non ita pronũ. Prętereа, in pleriſque, res nullę, certis diſtinctę, aut indicatę ſignis, ſed vno tenore confuſè comprehenſæ, & aliæ aliis implicatæ, nullæ verò ſuis aſſignatæ temporibus; ſicubi autem attributę ſunt, certè aut commixtim vnà cum ſacris; & tunc quidem, vel in ſęcula pertubatè congeſtæ; vel in ſingulos annos minutim, cum inſuperabili memorię labore, diſpertitę; aut ad Imperatorum aliquorum adminiſtrationem, partim tantùm, nec maiori diſcrimine reuocatę; vt ſi qua, tuos ad vſus egeas, reperire, & carpere vix poſſis. Has tamen difficultates ſi tollerem, aut certè

leuarem, non parum me apud ſtudioſos hiſtoriæ, & ſpoliorum antiquitatis aliquando cupidos, meriturum ſperaui. Id autem, ſaltem ex parte, mihi viſus ſum perfecturus eſſe, ſi in certas annorum Decadas diſtribuerem, quaſi rationem temporum non adeò laborioſam memoriæ, neque nimium diminutam, neque nimiùm craſſam, atque confuſam; ita tamen vt ſi quis exactiorem velit, etiam habeat ad ſingulos annos definitam, res verò cuiuſque decennij ad certos titulos reuocarem; tum vt alias, ab aliis, ſecernerem; tum vt quiſque habeat quaſi quædam inſignia theſaurorum, in quibus vnumquodque genus diuitiarum latet, & vnde ſtatim eas eruat, quæ ſibi opus fuerint, nec habeat neceſſe omnes tumultuariò, vt alioqui plerumque fit, effodere. Hos tibi, vt vno ſub aſpectu ponam, appello.

Primus res Imperatorum vnoquoque decennio geſtas, mortem, ſi tum inciderit, & breuem vitæ totius Epitomen complectitur. Secundus Regum Francorum nomina, cum breui factorum, & vitæ deſcriptione, ſi tamem eò tum flexus hiſtoriæ decurrendæ, deduxerit ſtylum, legenti tibi ſubiiciet. Tertius Heroes eiuſdem temporis. Quartus, viros doctrina illuſtres, vna cum libris in lucem editis. Quintus natalitia Principum, & magnorum virorum. Sextus Regnorum ortus,

& interitus. Septimus, opera publica, qualia ſunt voluptuaria loca, pagi, vrbes, amphitheatra, pyramides, ſtatuæ, arcus triumphales, &c. Octauus, prodigia in cœlo, vel aëre, vel aquis, aut terrâ, viſa. Nonus, calamitates, quarum in numero repono terræ motus, incendia, peſtes, caritatem annonæ. Decimus, bella, quo vocabulo comprehenduntur exercitus, prælia, expugnationes vrbium, agrorum vaſtationes, victoriæ, &c. Vndecimus, triumphos, & ſpolia, ac trophęa. Duodecimus, reos coniurationis in Patriam, vel Principem, aliorumque huius generis criminum famoſorum. Decimus-tertius, obitus celebres, aut morientium dignitate, aut mortis genere. Decimus, quartus illuſtria funera.


At ſanè non vnumquodque decennium hocce contextu omnes illæ inſcriptiones implebunt; ſed illud iſtæ, hoc aliæ; quippe nec rerum tam multarum, nec ſemper ſimilium omnia tempora fœcunda ſunt; vix tamen occurret vlla huiuſmodi decas annorum euoluenda, quam pleniores illæ rerum memorandarum apothecæ, & loculamenta, titulis ſuis omnibus inſcripta non ditauerint. Ne tamen litteratorum iſtę diuitiæ, ipsâ vileſcant copiâ, perſcrutare priùs, & introſpecta, quàm negligas. Hoſce igitur theſauros meos, diuturno labore conquiſitos, non effodiendos tibi,

ſed ad manum paratos, facile carpito; nempe vt pretioſiùs tuam beneuolentiam aucuparer, aggeſtis in vnum cumulum, Hiſtoricorum ferme omnium diuitiis, ætatum omnium ſumptibus, & tot ſæculorum impenſis emendum, mihi eſſe duxi, vt tibi quàm ditiſſimè ſeruirem. Vide ne gratiam rependas auarè, qui tam profusè aliena largitione diteſcis; & quanti faciam, tibi vni placere, vel hinc æſtima, quod tibi hîc addixerim officioſum ſæculorum omnium famulatum. Dabis igitur lectitandis hiſce meis lucubrationibus aliquem diem; cùm ego tibi dederim tot Decadas annorum. Neque in Bibliotheca tua locum negabis huic operi, quod tuam in domum, orbem ſimul inferet vniuerſum. VALE.

VNI-




SÆCVLI SEXTI
DECAS PRIMA.





ANASTASII IMPERATORIS ORIENTIS Gesta.



CVM Arabibus Sarracenis fœdus, ritū solemni iniit, totumque Orientem, fœdissimis seditionum tempestatibus iactatum tranquillissimè sedauit Anno Christi quingentesimo primo, Principatus vndecimo. Sequenti vero Bulgaros, Thracias variis cladibus, cædibusque infestantes, ingenti persoluta pecunia, in Occidentem traduxit, *teste Theophane.*

Anno autem Christi quingentesimo tertio, principatus sui decimo tertio, pacem à Persis, magno auri pondere, redemit, Amadiámque firmissimum Romanorum præsidium, mira facilitate recuperauit, *vt refert Marcellinus.*

Clodouæum denique, Francorum Regem illustrissimum, Consularibus insignibus, Patricio nomine, aureaque corona, ob præclara rerum gesta, donauit Anno Christi quingentesimo octauo, principatus decimo octauo. *Gregorius Turonensis, Aimoinus, & Paulus Æmilius.*

CLODOVÆI FRANCORVM REGIS Gesta.

BVRDEGALA, vbi hyemarat, Tolosam, appetente Vere profectus est anno Christi quingentesimo-septimo, Anastasij

Imperat. decimo-septimo, principatus sui vigesimo-quarto; Vnde ingentes Alarici Visigothorum Regis, in Rocladensi cruento conflictu interempti, Thesauros sustulit, inter quos pretiosissima illa Salomonis suppellex, Hierosolymis, in vrbem, à Romanis deuecta, dein à Barbaris, capta Roma, sublata visebatur.

Rebus ita compositis, Turones se contulit, vbi Consulari dignitate, ab Anastasio Orientis Imperatore, auctus Anno Christi quingentesimo-octauo, Anastasij decimo-octauo, blatteaque tunica, & regia chlamide indutus, magnam auri, argentique vim, ad Sancti Martini ædes, in populum largissimè effudit, omnibus acclamantibus, BENE SIT REGI, CONSVLIQVE ROMANO. Tum auream illam Coronam, qua, ab Augusto ornatus fuerat, ad Lateranense templum, ne in obscuro iaceret, aut rerum memoria, in rebus extingueretur, deferri iussit. *Ita Paulus Æmilius*, & alij.

Cæterum vt Anastasius in Clodouæum, sic Clodouæus in Anastasium, munificentia fuit singulari; ne, qui hostes armis, & cunctos virtutibus antestabat, donis, ac liberalitate, ab vllo vinceretur.

Parisios demum, vbi Regni sui sedem constituerat, quamprimum maturauit. *Gregorius Turonensis*, *Aimoinus*, *Gaguinus*, *& alij*.

Verum summum hocce gloriæ decus, quod sibi, apud omnes gentes, comparauerat, atrocissima illa propinquorum suorum, Chararici, Sigeberti, Regnarici, & aliorum insignium virorum cædes edita, Anno Christi quingentesimonono, Anastasij Imperatoris nono, turpissime deformauit, *vt testantur rerum Gallicarum Scriptores*.

HEROES.

Sanguine, Gestis, & Politiâ.

Conranus, Dongardi frater, Congallo Scotiæ Rege extincto, illiusque filiis impuberibus, purpuram induit, Anno Christi quingentesimo primo, Anastasij Imperatoris vndecimo. *Hector Boëtius*. Hic Aurelij Ambrosij Britonum Prin-

cipis sororem nomine Adam, connubio sibi iunxit; statuitque, vt delinquentium nomina, ab exploratoribus, ad eam rem delectis, in regijs tabulis, secreto inciderentur. Quod si iterum accusati, conuicti essent, iusto confestim afficerentur supplicio. Qua certè lege, tranquillam, rebusque omnibus florentem Rempublicam reddidit.

Theodoricus Amalus, Italiæ Rex clarissimus, sanctionem in Magos, qui eo tempore Romæ florebant, ac præcipue in Basilium, & Prætextatum, viros insignes, illiusque sinistræ artis, à qua, ipsi etiam Pagani, vt asserit Gelasius in Andromachum, maxime abhorrebant, contagione pollutos, edidit anno Christi quingentesimo quarto, Anastasij Imperatoris decimo quarto; eosque è carcere elapsos diligenter perquiri mandauit. *Cassiodorus & alij.*

Tolus, nobilissima Gothorum stirpe ortus, fœlicitate clarus, prudentia comprobatus, crebrisque prælijs illustris, triumphum enim de Hunnis, emeritamque laudem primis congressibus auspicatus, Bulgaros toto orbe terribiles, neci dedit. *Auctor citatus.*

Celer officiorum Magister Anastasij Imperatoris, rem aduersus Persas, secundis auspicijs peregit. *Theophantes, & Marcellinus Comes.*

Mundo, vir omni laude, atque virtutis gloria percelebris, multisque victorijs splendidus, magni erat apud Principes nominis.

Cabades Persarum Rex potentissimus, infestis tamen hostium copijs fractus penitus, ac deletus, pacem cum Romanis pepigit anno Christi quingentesimo quarto, Anastasij Imperatoris decimo quarto; Theodorici Regis duodecimo.

Alaricus Visigothorum Princeps, synopsim legum Theodosiani codicis, & veterum consultorum, recognitam, atque ab Episcopis probatam, vt patet ex rescripto dato Tolosæ, apud Timotheum Comitem, per Auianam Cancellarium, in lucem edi curauit anno Christi quingentesimo sexto, principatus sui vigesimo secundo, Anastasij Imperatoris decimo sexto, Theodorici Regis decimo quarto.

Gessalaricus, Alarici ex concubina filius, Regni Visigo-

thici gubernacula, parente è viuis ſublato, procerum ſuffragijs, non ſine magno Oſtrogothi Theodorici luctu; ob prætermiſſum Amalaricum nepotem adhuc quinquennem, Narbonæ ſuſcepit. Hic, vt genere viliſſimus, ita infortunio, & ignauia, immo etiam crudelitate ſummus fuit, vt referunt ſcriptores. Barcinonem ſiquidem profectus, Georicum, intra regiam, propria manu enecauit, tum in omnium rerum ſuarũ deſperationem abreptus, ad Thraſimundum Vvandalorum Regem, in Africam nauigauit, à quo perhumaniſſimè exceptus, pecuniaque non parua adiutus, Galliam repetijt.

Biennio poſt Alamundarus, Sarracenorum, ſeu Agarenorum Rex immaniſſimus, Chriſtianorum nomen miris diuexauit modis, *Cyrillo Monacho teſte.*

Sigiſmundus, Gundebaldi Burgundionum Regis defuncti filius, Regno omnium votis potitus eſt Anno Chriſti quingenteſimo nono, Anaſtaſij Imperatoris decimo nono, Theodorici Regis decimo ſeptimo, *Gregorius Turonenſis.*

Amalaricus ex Theudicoda Theodorici Regis filia, & Alarici Viſigothorum Principis legitima vxore natus, Geſalarico mortuo, Regni adminiſtrationem ſumpſit, anno ſequenti. Quidam tamen exiſtimant, rerum ſummam, Theodorico Italiæ Regi delatam fuiſſe, & ab illius tantum morte, Amalaricum imperaſſe, Anno Chriſti quingenteſimo vigeſimo ſexto, *vt conſtat ex Viſigothorum Chronico.*

VIRI ERVDITI.

Marianus, Marci Cauſidici filius, Poëta illuſtriſſimus plurimos compoſuit libros, Metaphraſes ſcilicet Theocriti, Apollonij, Callimachi, Arati, & Nicandri, eaſque verſu Iambico. *Suidas, & Geſner.*

Plutarchus, Neſtorij filius, multiplici eruditione excultus, Syrianique Magiſter, ſcholæ Philoſophiæ Athenienſi magno cum applauſu præfuit, variaque nobis illuſtria ingenij ſui monumenta reliquit. *Auctores citati.*

Symmachus Patricius, & Senator Romanus, inſigniſque Philoſophus, Romanam Rempublicam ſua ſapientia, atque lucubrationibus ſplendide exornauit: in primis aureo illo

Epistolarum libro, in quo omnis, & verborum, & sententiarum apparatus mirifice elucet. *Philippus Bergomensis.*

Boëtius cognomento Manlius, quod à Manlio Torquato originem duceret, Pœta, Mathematicus, & Philosophus clarissimus. Hic enim adolescens, Athenas, in quibus res Philosophicæ restitutæ fuerant, profectus, postque peruestigata varia Philosophiæ dogmata, Aristotelicis totum se penitus addixit, eisque decem, & octo annos gnauiter incubuit. Omnes insuper Aristotelis libros, qui in illius manus venerant, latio donauit sermone; primusque fuit, qui Philosophum vix nomine cognitum, Latinorum manibus tradidit; totum enim otium, plenamque operam, in ijs studijs ita consumpsit, vt si quid ex Logicæ artis subtilitate; vel ex Moralis grauitate, peritiæ; vel ex Naturalis acumine veritatis, ab Aristotele profectum est, id omne, quodam lumine commentationis illustrarit, nouisque inuentis locupletarit. Libros siquidem quatuor de Topicis differentijs cudit, quatuor de vtroque Syllogismo; de Diuisione vnum, alterum de Definitione; de Musicâ alium; de Consolatione vero Philosophiæ quinque, scripsit in carcere, aliaque pene innumera volumina, vt testantur Auctores. Non omittam ipsius vxorem, Helpiam nomine, non probitate modo, sed litteris, ac præsertim pœtica facultate insignem.

Gilda Albanius, regio Britonum ortus sanguine, librum de primis Insulæ incolis, Regumque Britannorum Historiam contexuit, multaque alia pia opera, quæ habes in sacra mea Historia. *Mathæus Vuesmonasteriensis.*

OPERA PVBLICA.

Theodoricus Italiæ Rex aquæductum opere mirabili Rauennæ extruxit, Anno Christi quingentesimo secundo, Anastasij Imperatoris, duodecimo. *Iornandes in Annalibus.*

Quarto vero post, Anastasij Imperatoris statua Equestris ænea, & inaurata, erecta fuit in foro Tauri, super ingentem columnam, ex qua Theodosij Magni corruerat. *Zonaras, Marcellinus Comes, & alij.*

Ciuitatem Anastasiopolim, quæ antea Daras appellaba-

tur, Reipublicæ contra Persas tutissimum propugnaculum; & vbi quondam Alexander insignem de Dario victoriam retulit, magnis sumptibus restaurauit Anastasius Augustus Anno Christi quingentesimo septimo, Principatus sui decimo septimo Theodorici Regis decimo quinto. *Procopius lib. 1. de Bello Persico, & Theodorus Lector.*

RES BELLICÆ.

Bulgari, Thracias varijs depopulationibus funestarunt Anno Christi quingentesimo secundo, Anastasij Imperatoris duodecimo. *Marcellinus Comes.*

Cabades Persarum Rex, Armeniam sub idem tempus incursauit, Theodosiopolim vrbem cepit, factaque in Mesopotamiam incursione, Amidam ciuitatem, ad Tigrim sitam, à Constantino Principe ampliatam, & Constantiam dictam; hodie vero, vt opinor, Caromidam nuncupatam, & à Sarracenis, vt scribit Cedrenus, & Curopalates, Emei nomine nuncupatam, secundo expugnauit exitu. *Theophanes, & alij.*

Anastasius Imperator Patricium, Hispatium, & Areobindam Duces illustrissimos, tantis cum copijs, quantæ vnquam hactenus visæ fuerunt, inquit Procopius, in Persas transmisit Anno Christi quingentesimo tertio, Principatus sui decimo tertio, sed aduerso marte. *Theodorus lib. 2. coll.*

Pannonias iterum ingressi Barbari, Sirmium vrbem, Probi Imperatoris natalibus inclytam, & quam Onuphrius, ex antiquo lapide, Colomiam facit, occuparunt eodem Christi anno quingentesimo tertio. *Procopius, Iornandes, & alij.*

Theodoricus Italiæ Rex, ijsdem, per Tolum insignem virum, bellicisque sudoribus illustrem Ducem, prostratis Bulgaris, Pannoniam Sermiensem sibi subiecit, Anno sequenti, Italiæque adiunxit. *Cassiodorus, & Paulus Aemilius.*

Celer officiorum Magister, in Persarum agros armato milite grassatus est, ad pontem vsque cognomento Ferreum progressus, eodem Anno Christi, scilicet quingentesimo quarto, *Marcellinus Comes*

Sabinianus iunior consularibus fascibus ornatus, Ductor

que Anastasij Imperatoris exercitus, commisso iuxta Margum oppidum prælio, debellatus fuit, magna si vnquam hactenus, Romanorum strage edita, Anno Christi quingentesimo quinto, Anastasij Imperatoris decimo quinto. *Auctor citatus.*

Alaricus Visigothorum Rex, magnis opibus, Regulorumque auxilijs fretus, Theodorico Italiæ Rege, ac socero frustra præmonente, ne tam propere, mollitis, longaque iam pace fractis suæ gentis animis, infelicem experiretur exitum, Clodouædo Francorum Regi bellum grauissimum indixit Anno Christi quingentesimo septimo, Anastasij Imperatoris decimo septimo, Theodorici Regis decimo quinto. Primus huiusce certaminis turbo, validissimo fragore, in campis Vocladensibus, quinque leucis ab vrbe Pictauiensi distantibus, auditus est, ad Viennam amnem, quem auctum imbribus, Francos Ceruæ ductu, traiecisse fama tenet. Pugnatum est acriter, incertaque diu belli fortuna, donec Clodouæus distineri multum victoriam dedignatus, facto in hostem impetu, obuium quemque ferro cæcidit, agnitumque Alaricum, qui temere in prælium incubuerat, adortus est, vulnerique locum rimatus, regia manu, per armorum commissuras, insinuato gladio, confodit. Hostes autem hac cæde consternati, fuga sibi consulere tentarunt. Verum illos Galli, magnis cursibus, insecuti, agros multo Gothorum sanguine vbique effuso, turpissime defœdarunt. Extant etiamnum hodie tanti conflictus sepulchralia monumenta prope ripam præterlabentis fluminis, quæ & multitudine, & origine sua, magnæ spectatoribus sunt admirationi.

Theodoricus Clodouæi Principis nothus, missus in Aquitaniam, post tam insignem victoriam, tanta fœlicitate rem peregit, vt ad Pyrenæos vsque montes, Francorum Imperium propagarit. Aduersa siquidem Fortuna territæ regiones, quà, Francorum iter fuit, victoris imperium, cum Ruthenis, Cadurcis, & Aruernis accepere. Expugnata dein Tolosa, vbi Gothorum regia. Engolisma diuinitus capta; murorum enim magna pars, nullo impetente, concidit; cæteræque vrbes in deditionem datæ. Denique quidquid erat Visigothorum Regni, trans Ligerim, Rhodanumque fluuios, totum illud Clodouæi rebus adiunctum fuit, *vt asserit Cassiodorus huius tem-*

poris scriptor & Isidorus Hispalensis Episcopus, qui ea omnia, tum Chronico, tum Compendio prosecutus est.

Theodoricus Amalus Italiæ Rex, cæso Alarico Principe, communi Gothorum nomine, coactis vndique ex Italia, Sicilia, & Illyrico, maximis copijs, Anno Christi quingentesimo octauo, Anastasij Imperatoris decimo octauo, Clodouæum Regem aggressus est. Galliæ itaque fines, vti excusso magno impetu fulmine, peruaserunt Gothi. Antipolim, quam nummus Titi Imperatoris, Coloniam facit, Deciatiorum vrbem, in Gallia Narbonensi, totamque breui Prouinciam, imperio suo facile submiserunt. Vltra Rhodanum traiectæ copiæ, veteris principatus nondum oblitas vrbes receperunt.

Clodouæus eo nuntio turbatus, correpto raptim milite, Gothicos impetus, irrito tamen conatu, coërcere incubuit. Acie siquidem, vt volũt, fusus Parisios repetijt. Theodoricus vero Alpes cum ingenti exercitu traiiciens, spurium Clodouæi filium, Theodoricum nomine, grauiter apud Arelatem afflixit; sicque Visigothorum ditionem in suam redegit potestatem, eamque Amalarico pupilli nomine, per præfectos suos administrauit; quemadmodum & Hispaniam, *vt constat ex Cassiodoro, & Iornande.* Franci nihilominus, nulla vi ex Aquitania expelli potuerunt.

Cæterum Arelate, vrbs est Galliæ Narbonensis clarissima, Sextanorum colonia, vt vult Plinius, quod à sexta legione milites eò confluxissent. Ab antiqua vero inscriptione, quæ est in Gotzij thesauro, Colonia Iulia Pia dicta est. Marcellinus eam multarum ciuitatum decus appellat. Ausonius Gallulaam Romam. Constantinus Imperator, lege lata, Constantinam. Græci olim illam incolentes, Thelenem, *Sexto Auieno teste*, Inscriptio demum quam refert Scaliger, Mamiliariam nominat.

Romanus, Comes Domesticorum, & Rusticus, Comes Scholæ, ingenti classe in Italiæ littora deuecti, omnia cædibus, atque incendijs impleuere, eodem Christi Anno quingentesimo octauo, Tarentumque vsque antequissimam ciuitatem, Romanamque ex Strabone coloniam, & Oebaliam à Virgilio nominatam, progressi sunt.

Hoc insuper tempore secundum bellum, Clodouæum inter, Francorum Regem, & Gundebaldum Burgundionum Principem, gestum fuit, in quo Burgundiones prostrati, & ad internecionem deleti fuere. Gundebaldus vero eorum Rex, è Regno pulsus, in Italiam confugit. *Procopius de bello Persico, & Cassiodorus.*

Alamundarus Sarracenorum Rex, magno militum numero stipatus, Arabiam, & Palæstinam Prouinciam, crebris incursionibus peruastauit, Anno Christi quingentesimo nono, Anastasij Imperatoris decimo nono, *vt scribit Cyrillus Monachus.* Idas denique Rex, Scotos, Pictosque prospere oppressit eodem Anno. *Polydorus lib.* 4.

TRIVMPHI.

Clodouæus Francorum Rex Parisios Victor de Alarico Visigothorum Principe, magno pompæ apparatu, omniumque ordinum comitatu stipatus ingressus est, Anno Christi quingentesimo, octauo Anastasij Imperatoris decimo octauo, Theodorici decimo sexto, principatus vero sui vigesimo quarto, illudque Cæsarianum, [VENI, VIDI, VICI] in triumphi ferculis detulit.

OBITVS ILLVSTRES.

Congallus Scotiæ Rex, & Dongardi filius, Constantinique Principis ex patre nepos, post multa præclara rerum gesta; è viuis ereptus est, Anno Christi quingentesimo primo, Anastasij Imperatoris vndecimo, Theodorici Regis nono, principatus autem sui vigesimo. *Hector Boëtius, & Lesleus.*

Patricius, Hyspatius, & Areobinda, Anastaisij Imperatoris Duces clarissimi, periere in prælio, Anno Chrsti quingentesimo tertio, Anastasij decimo tertio, Theodorici vndecimo; immo ipsius filius ex Pellice natus, orta seditione Equestribus in spectaculis, occisus fuit, sub idem tempus. *Ita Theophanes, & Marcellinus Comes.*

Alaricus Euarici filius, & Visigothorum Rex, Clodouæi


Francorum Regis dextera occubuit in campis Vocladensibus, Anno Christi quingentesimo septimo, Anastasij Imperatoris decimo septimo, Theodorici Regis decimo quinto, Principatus sui vigesimo tertio, *vt refert Isidorus Hispalensis Episcopus.* Quò autem asserunt Alaricum viginti tantum, & duobus annis imperasse, eius mortem ad annum Christi quingentesimum sextum referunt.

Gundebaldus Burgundionum Rex, funesto in Italia, quò confugerat, exitu desijt, Anno Christi quingentesimo nono, Anastasij Imperatoris decimo nono, Theodorici Regis decimo septimo; relictis Sigismundo, & Godomaro filijs. *Sigebertus, & alij.*



DECAS SECVNDA.

ANASTASII IMPERATORIS Gesta, & Obitus.



FEROCIENTES Barbarorum animos, omniaque infestis armis diripientes, magnis largitionibus actutum repressit, Anno Christi quingentesimo decimo septimo, Principatus vigesimo septimo, Theodorici Regis vigesimo quinto.

Sequenti Anno, tumultu derepente Constantinopoli in eum commoto, ad Circum se contulit, Præconisque voce, se Imperij purpuram libenter exuturum indixit, si è Republica fore existimarent; cui tamen omnis populus effuso in illum animo, acclamauit, *vt testatur Euagrius.*

Haud multo tamen post, cælo vndiquaque horrendum in modum detonante, pauca inter cælestis iræ exempla numerandus, fulmine ictus interijt. Fama est, ei sub mortem, horribilis viri speciem in somnis oblatam, librum manu præferentis, hisque simul verbis increpantis, En ob tuam improbitatem, quatuordecim tibi vitæ annos deleo. *Ita Zonaras, & alij.*

ICON

ANASTASII IMPERATORIS.

ANastasius Dicorus, humili natus genere, studio Ariadnes, vxoris Zenonis, matrimonio sibi iunctæ, ad Jmperium euectus, Isauros in Phrygia prostrauit, eorumque vrbes solo æquauit. Cum Sabiniano in Illyrico; Cum Mundone ad Margum; cum Aristo ad Sar-

than, & cum Vitaliano ad Aquilonem fortiter depugnauit. Permulta autem, atque illustria opera splendidè extruxit; sacraque Religionis nostræ mysteria impensè coluit. Verùm dein, coniugis artibus, Eutichiana infectus peste, Theodoricum ipsum Regem Barbarum scelere, & immanitate deuicit; Christianumque nomen, toto in Orientis tractu, grauiter afflixit. Ea propter, cæleste, in caput suum, fulmen accersens, miserè perijt; vt sic temporaneo extinctus igne, æternis diutius viueret incendijs.

IVSTINI IMPERATORIS gesta.

Anastasio Principe sublato, Flauius Valerius Iustinus, inuito licet, & reclamanti animo, Imperator, à Senatu, vniuersoque exercitu salutatus fuit nono Iulij, Anni Christi quingentesimi decimi octaui, Theodorici Regis vigesimi sexti. Ipso principatus initio Amatium Cubicularijs præpositum, & Andræam Cubicularium, nec non Theocritum, quem Amatius sceptro insigniri, vehementer optarat, extingui iussit. Vitalianum vero, qui ab Anastasio defecerat, Militiæ Magistrum creauit; coniugemque suam Lupicinam dictam, Euphemiæ illustris Martyris nomine, antequam Augustæ insignibus ornaretur, donari voluit. Appionem denique virum Patricium, Prætorij præfectura illustrauit. *Cedrenus, Marcellinus Comes, Zonaras, Nicephorus, & Chronicon Alexandrinum.*

CLODOVÆI FRANCORVM REGIS gesta, & obitus.

Regni sui Francici fines, ad extremas fere Gallias, fœlicibus protraxit auspicijs, Anno Christi quingentesimo duodecimo, Anastasij vigesimo secundo, Theodorici Regis vigesimo. Biennio post auream, gemmisque speciosam coronam (quod Regnum appellari solet) Hormisdæ Romano Pontifici misit. Tum adulto eiusdem anni mense Nouembri, ætatis quadragesimi quinti, & Regni trigesimi, supremum vitæ suæ expleuit diem, quatuor filijs Childeberto scilicet, Clota-

rio, Theodorico, & Clodomiro relictis. *Aimoinus, Ado, & alij.*

ICON

CLODOVÆI FRANCORVM REGIS.

Clodouæus, Childerici filius, Francorum Rex, fœlicitate clarus, fortitudine insignis, animi magnitudine præstans, regijsque omnibus virtutibus illustris, Francicas Res in tam sublime fastigium honoris simul, & terroris, euexit, vt Galli, præter assertam libertatem, suam cælo fœlicitatem exæquarint. Hic primus, sacro diuinitus inunctus oleo, Christo nomen, ex voto, dedit, Consularique dignitate, Patricio nomine, aureaque corona, ob res prospere gestas, ab Anastasio Orientis Imperatores donatus fuit. Syagrium Ægidij filium, Suessionumque principem, secundo belli exitu, profligauit. Alemannos penitus fregit. Gundebaldum Burgundionum Regem è Regno expulit. Alaricum autem Visigothorum Imperatorem cæcidit. Rex enimuero maximus, ni magnis belli, ac pacis artibus, crudelitas in suos, ex auaritia, conflata, turpissimam ei labem intulisset.

CHILDEBERTI FRANCORVM Regis gesta.

Clodouæo Rege defuncto, paternum Regnum, fratres inter diuisum est, Anno Christi quingentesimo decimo quarto, Anastasij Imperatoris vigesimo quarto, Theodorici Regis vigesimo secundo. Singulis certe, totum si obtigisset, amplum quidem, omnium tamen auaritiæ cupiditatique vix sufficiens.

Childeberto itaque natu maximo Parisiense Imperium cessit, quo Franciæ primum Insulæ, Carnutes, Vnelli, qui & Perticenses dicti, Andes, Cœnomani, Turones, Aquitani, cum Occitaniæ parte, continentur.

Clotario Suessionum ditio, quæ Belgij partem, seu Picardiam, Veremonduos, Artesiam, Flandriam, & Neustriam, nunc Normandiam complectitur.

Clodomiro Aurelianum, cui Solonia, Gastiniensium, Senonum, Aruernorum, Biturigum tractus, & citra Ararim fluuium, Burgundia annexa erat.

Theodorico denique notho Metense regimen, quo præter Mediomatricum Regionem, Lotharingia, & quidquid, vltra Rhenum, Francorum erat, atque inde versus Mosam, cum parte Campaniæ haud ignobili, concluditur. *Ita Scriptores Francici.* Moxque pacem cum Amalerico, Alarici filio, firmarunt.

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Theodon secundus, Theodoni primi extincti filius, procerum omnium votis in Bauariæ Regem inauguratus fuit, Anno Christi quingentesimo vndecimo, Anastasij Imperatoris vigesimo primo, Theodorici Regis decimo nono. *Auentinus lib.* 3.

Cabades Persarum Rex, oppido Tzundadaer, inter Persidem, & Indiam sito, obsessoque à Dæmonibus, ob ingentes thesauros, quibus illic, magna cura, incubabant, Christianorum opera, omnibus antea tum Magorum, tum Iudæorum præstigijs in cassum adhibitis, potitus est, Anno Christi quingentesimo decimo tertio, Theodorici Regis vigesimo primo, Anastasij Imperatoris vigesimo tertio. Exhinc Christianos ipse ritus, magno in pretio habuit, ijsque omnibus qui eos profitebantur summopere fauit. *Bizarus lib. 5. de rebus Persicis, Theodorus, Nicephorus, & Anastasius Bibliothecarius.*

Anno quingentesimo decimo octauo, Theodorici Regis vigesimo sexto, pacem sibi, cum Iustino nouo Augusto, conciliauit, vt refert Auctor Miscellæ. Nihil tamen ea de re habet Procopius.

Theodoricus Gothorum Rex in Italia, Amalasuntham filiam suam magnis dotibus à natura donatam, Eutharico, quem ex Hispania in spem hæreditatis, Regnique Italici accersiuerat, eius indole captus, in vxorem dedit; regioque splendore, atque apparatu nuptiæ celebratæ fuere, Anno

Christi quingentesimo decimo quinto, Anastasij Imperatoris vigesimo quinto, principatus vero sui vigesimo tertio, *vt referunt Historici rerum Hispanicarum.*

Irenæus vir magni nominis, in Oriente, summa cum prudentia', præerat, *Euagrio teste.* Appion autem patricius, præfectus prætorio, ob singularem virtutem, quæ in eo elucebat, sub idem tempus creatus est. *Theophanes, Zonaras, Cedrenus, & alij.*

Eutharicus Cillica, regia Amalorum familia ortus, Theodorici gener, & pater Athalarici, Consulatum, magna scena, spectaculis varijs, aurigationibus, atque largitionibus, splendide celebrauit, Anno Christi quingentesimo decimo nono, Iustini Imperatoris secundo, Theodorici Regis vigesimo septimo, *vt habes in Caßiodoro, qui ad hoc vsque tempus Chronicon suum protraxit.* Bodericius, Hermenefridus, & Bertharius fratres Thuringis imperabant. *Vide Gregorium Turonensem.*

VIRI ERVDITI.

Syrianus Alexandrinus, Philosophus illustris, Athenis docuit, librosque septem in totum Homerum scripsit. In Rempublicam Platonis, duos. In Orphei Theologiam, duos. In scripta Procli. De Homericis Dijs. Consensum Orphei, Pythagoræ, & Platonis. De Oraculis libros decem, & alias quasdam narrationes. *Suidas.*

Proclus Lycius, Philosophus Platonicus. Philosophicam item scholam Athenis, magna cum laude, aperuit; fuitque summus Mathematicus. Neque enim tantum Archimedis disciplinæ abdita quæque, atque intima arcana nouit; Verum noua quædam subtilissimo suo ingenio ad plausum adinuenit. Cæterum Machinam illam, qua, Vitaliana classis debellata fuit, ab eo constructam fuisse, nemo est inscius. Specula siquidem ex ære, tanta arte, fabricarat, vt statim atque radij solares, in illa impingerent, ignis, fulminis instar, continuo ex eis erumpens, Classiarios, ipsasque hostium naues penitus incenderet. Per multa insuper nobis, tùm Philosophica, tùm Grammatica reliquit; ac præcipue commentarios in totum Homerum. In Hesiodi opera, ac dies. De bona disciplina

libros tres. De educatione, duos. In Rempublicam Platonis, quatuor. In Orphei Theologiam, ac Symphoniam Pythagoræ, & Platonis. De oraculis decem. De Dijs apud Homerum. Epicheremata octodecim, quibus, falso licet, mundum ingenitum, & incorruptibilem esse contendit. De Sphæra, & circulis. De vsu Astrolabij. Enarrationem in Euclidis libros quatuor. Hymnos quatuor Græcos; vnum in Solem; duos in Venerem; & alium in Musas. Astronomitarum propositionum, quæ in Almagesto Ptolemæi demonstrantur, compendium. In posteriores quinque Aristotelis, de auscultatione naturali, in Alcibiadem Platonis. De anima, & dæmone. Adde libellum de Sacrificijs, & Magiæ. In Timæum Platonis, libros quinque. Totius Philosophiæ veteris thesaurum. Enarrationem difficiliorum quæstionum, quæ ad Poesim, & fabulas Poetarum, in primis Homeri, pertinent. Pleraque insuper composuit nondum excusa, quæ seruantur in varijs Bibliothecis, vt Christomachiam. Institutionem Theologicam, in sex diuisam sermones. De Theologia secundum Platonem, libros duos. Propositiones Metaphysicas ducentas, & vndecim. In Platonis Parmenidem, libros tres. In Cratylum, Parecbolas. Explicationem in Platonis Alcibiadem primum. In Parmenidem sermones sex, & in libros de Republica; nec prætermittam Græcas aliquas Astronomiæ tabulas.

Amalasuntha Theodorici Italiæ Regis filia, & Eutharici Principis vxor, litteris insigniter exculta fuit, Græcaque, ac latina lingua apprime instructa, *vt testatur Procopius.* Petrus Otem natione Illyricus, floruit hoc tempore, *vt vult citatus Auctor.*

Dubrinus natione Britannus, eruditione singulari ornatus, ad Vagum flumen, magno auditorum concursu docuit. Orationem de inauguratione Arthuri Regis scripsit, librumque Declamationum. *Pithæus de illustribus Britanniæ scriptoribus.*

CALAMITATES.

Vniuersam Palæstinæ Prouinciam dira fames annorum quinque spatio, grauiter afflixit, Anno Christi quingentesimo tertio,

tertio, Anastasij Imperatoris vigesimo tertio, Theodorici Regis primo, *vt placet Cyrillo in vita Sabæ.*

Vienna, Allobrogum vrbs, ad Rhodanum fluuium sita, paulo ante Clodouæi Francorum Regis obitum, vehementer contremuit, Anno Christi quingentesimo decimo quarto, Anastasij Imperatoris vigesimo quarto, Theodorici Regis vigesimo secundo. *Gaguinus de rebus Francicis.*

Dardania, Europæ Regio, Mysia Mediterranea in Codice nuncupata, & ab alijs Syriæ pars, horrendo terræ motu, magna, tum hominum, tum ædificiorum strage quatefacta fuit, Anno Christi quingentesimo decimo octauo, Theodorici Regis vigesimo sexto. Viginti siquidem, & quatuor castella funditus corruere. Terra item ruptis, ingenti fragore, visceribus, feruentem hinc inde imbrem, fornacis ad instar accensæ, euomuit. Montes scissi; saxa eruta; & arbores auulsæ. *Marcellinus Comes.*

Veneta Fauio crudelissimè desæuijt biennio post, Anno scilicet Christi quingentesimo vigesimo, Iustini Imperatoris tertio, Theodorici Regis vigesimo octauo, Prasinorumque cædibus, atque direptionibus, omnia infesta habuit. *Theophanes, & Cedrenus.*

RES BELLICÆ.

Grauissimum apud Barcinonem bellum commissum fuit ab Ebbone, vel Ilba, Theodorici Regis Duce, Anno Christi quingentesimo vndecimo, Anastasij Imperatoris vigesimo primo, Theodorici Regis decimo nono; in quo Gesalaricus, Alarici Visigothorum Principis, ex concubina, filius, post multas per Africam, Hispaniam, & Aquitaniam infœlicissimas excursiones, trans fluuium Durentam Galliarum, occubuit, anno Principatus sui quarto, vt scribit Isidorus Hispalensis Episcopus. Mariana tamen & alij, qui asserunt Alaricum Regem extinctum fuisse Anno Christi quingentesimo sexto, bellum hocce ad annum superiorem referunt, quingentesimum scilicet decimum.

Vitalianus Dux illustrissimus, Magno Hunnorum, & Bulgarorum succinctus numero, Romanoque sibi Equitatu

conciliato, Myſiam, Scythiam, & Thraciam occupauit, Anno Chriſti quingenteſimo decimo quarto, Theodorici Regis vigeſimo ſecundo; Proximo autem Byzantium, acri obſidione afflixit. Combuſta tamen fuit ſtupenda ipſius claſſis, Procli Mathematici ſpeculis, *Euagrio teſte lib. 3. c. 4.*

Hunni ſub idem tempus, Armenia tranſmiſſa, totam Cappadociam depopulati, Lycaoniam vſque penetrarunt, Anno Chriſti quingenteſimo decimo quinto, Anaſtaſij Imperatoris vigeſimo quinto, Theodorici Regis vigeſimo tertio. *Ita Theodorus Lector, & Cedrenus.*

Theodoricus Clodouæi filius, & Mediomatricum Rex, Danos, Cochiliaco Duce, ditionem ſuam hoſtiliter incurſantes, attriuit, Anno Chriſti quingenteſimo decimo ſeptimo, Anaſtaſij Imperatoris decimo ſeptimo, Theodorici Regis vigeſimo quinto. *Gregorius Turonenſis.* Getæ vero Macedonias duas, Theſſaliam, Hermopolim, & veterem Epirum ferro, atque incendijs euaſtarunt. *Cedrenus & alij.*

Theon ſecundus Boiorum Rex, è ſylua, prope Oenum fluuium, in Romanos erumpens, Anno Chriſti quingenteſimo vigeſimo, Iuſtini Imperatoris tertio, Theodorici Regis vigeſimo octauo, eos ad interneccionem deleuit. Effodiebantur ſæculo etiam milleſimo quinquageſimo, ex eo loco, in quo cruentum illud prælium editum fuerat, arma plurima, oſſa, calcaria, & alia eiuſmodi pugnæ documenta. *Auentinus lib. 3.*

REI INSIGNES.

Amantius Anaſtaſij Imperatoris ſpado, Theocritianus, & Andreas Magiſter à cubiculo, noua in Iuſtinum nouum Auguſtum molientes, interfecti fuere, Anno Chriſti quingenteſimo decimo octauo, Iuſtini Imperatoris primo, Theodorici Regis decimo ſexto. *Euagrius, & Pomponius Lætus.*

Vitalianus affectatæ Tyrannidis conſcius, ſeptimo Conſulatus ſui menſe, decem, ac ſeptem vulneribus confoſſus, cum Paulo, & Celeriano, cecidit, Anno Chriſti quingenteſimo vigeſimo, Iuſtini Imperatoris tertio, Theodorici Regis vigeſimo octauo. *Marcellinus Comes.*

OBITVS ILLVSTRES.

Gesalaricus Alarici Principis spurius captus in bello, Anno Christi quingentesimo vndecimo, Anastasij Imperatoris vigesimo primo, Theodorici Regis decimo nono, perijt, vt volunt illi qui asserunt Alaricum cæsum fuisse, Anno Christi quingentesimo septimo, Principatus vero sui quarto. *Ita Isidorus, & Procopius.* Mariana tamen vult eum morbo sublatum fuisse.

Theodora primus Bauariæ Rex, dum expeditionem in Noricum meditaretur, Romanaque castra inuadere, obijt eodem Christi anno, relicto eiusdem nominis successore. *Auentinus lib. 3. & alij.*

Quarto anno post, Christi scilicet quingentesimo decimo quinto, Ariadna Augusta Anastasij Imperatoris vxor, exactis sexaginta annis, supremum impleuit diem, *vt refert Marcellinus Comes.*

Bertharius Princeps, infanda cæde, ab Hermenefrido fratre, Thuringorum Rege, illata interijt, Anno Christi quingentesimo decimo nono, Iustini Imperatoris secundo, Theodorici Regis vigesimo septimo, *vt testatur Gregorius Turonensis.*

FVNERA.

Clodouæi Francorum Regis Christianissimi cadauer, ad Basilicam S. Petri, nunc Genouefæ, quam ipse extrui curauerat, omnium ordinum luctu, delatum est, Anno Christi quingentesimo decimo quarto, Anastasij Imperatoris vigesimo quarto, Theodorici Regis vigesimo secundo, summoque apparatu conditum, *vt placet Aimoino, Euagrio, & alijs.*



DECAS TERTIA.

IVSTINI IMPERATORIS Gesta, & Obitus.



ZATHVM Lazorum Regem, à Cabade Principe deficientem, magno, Constantinopoli, excepit honore, eumque regia purpura, ac Chlamide holoserica alba, eiusdemque coloris tunica, aureis clauis intertexta donauit, Anno Christi quingentesimo vigesimo secundo, Principatus sui quinto, Theodorici Regis trigesimo. *Chronicon Alexandrinum, & Theophanes.*

Prohibuit anno sequenti ne Pagani, Iudæi, ac Samaritani magistratum vllum gererent, immo ne militarent quidem. *Lege 12. de Hæreticis.* Multos insuper ob famosa quædam crimina, deprehensos, ferro, igne, atque suspendio mulctauit. Hacce seueritate, & suis tranquillitatem peperit, & in se singularem beneuolentiam concitauit, *teste Theophane.* Euphemia denique Augusta defuncta, Theodoram in coniugem accepit, Augustamque acclamauit.

Audita Antiochiæ ciuitatis clade, tùm ex vehementi terræmotu, tùm ex ferali incendio enata, Anno Christi quingentesimo vigesimo quinto, Principatus octauo, & Theodorici Regis trigesimo tertio, saccum induit, diesque multos, ab omnibus semotus arbitris, magno in luctu exegit, *vt refert Marcellinus Comes.*

Morbo autem, senioque grauatus, Iustinianum ex sorore sua nepotem, Comitem olim Domesticorũ, dein Cæsarem creatum, Imperatorem, vniuerso spectante Senatu, appellauit, Kalendis Aprilis Anni quingentesimi vigesimi septimi. Tum quarto ab hinc mense Kalẽdis Augusti, anni Principatus sui decimi inchoati, ex vlcere pedis, sagitta, in prælio, grauiter sauciatus, obijt.

Cæterum aduerte hic, Iustinum Principem litterarum rudem fuisse, & imperitum, vt asserit Procopius. Ea propter, quod de Iustiniano legitur, apud Suidam, ἀμάθητον γραμμάτων ἁπάντων, ignarum litteratum omnium, de Iustino intelligendũ esse non de Iustiniano censet Alemannius in Annot. ad Procopium, doctissimumque fuisse Principem clarè satis demonstrat.

ICON.

IVSTINI IMPERATORIS.

FLauius Valerius Justinus, genere Thrax, vir sine imaginibus, sine tribu, immo vtroque parente ignobilis; à puero enim suum custos, dein boum, post Lignarij cuiusdam minister fuit: decimo sexto ætatis suæ anno, ad militarem disciplinam se contulit, in qua, magna cum laude versatus, hostemque ferire edoctus, sortem mutauit. Princeps siquidem ordinis creatus, exhinc Comes, tum Orientis Augustus, omnium acclamationibus salutatus fuit. Hic primus Græcorum rebus præfuit, quas, à Romano Pontifice inauguratus, tùm fœliciter, tùm optime administrauit. Religionis Christianæ acerrimus propugnator, veræque pietatis studiosissimus. Virtutem summis coluit honoribus. Episcopos ab Anastasio Augusto in exilium actos, reuocauit; Arrianisque, atque alijs Hæreticis, non solum templa, sed etiam publicos ademit cœtus. Quamquam Ioannis summi Pontificis rogatu, quem Constantinopoli venerabundus exceperat, Theodorico Gothorum Rege vrbis excidium minitante, veterem illam licentiam Arrianis restituere coactus fuerit. Tandem Iustiniano nepote suo, Imperij insignibus donato, breui post hominem cum sceptro deposuit.

IVSTINIANI IMPERATORIS gesta.

Iustino funerato, Iustinianus illius nepos imperare cepit, Anno Christi quingentesimo vigesimo septimo, ætatis quadragesimo quinto, etsi Procopius iuniorem fuisse asserat, dum ait, cum νέον ad Rempublicam accessisse. Ipso Princi-



patus exordio, leges optimas edidit; fidei Catholicæ dignitati consuluit; pacem Athalarico Regi petenti, vt patet ex nummis, concessit. Plurimis largitionibus, amplissimisque muneribus ab Hilderico Vandalorum in Africa Rege, cohonnestatus fuit. Bellum Persicum auspicaturus, eodem Christi anno, legatos pro more ad Cabadem Persarum Regem misit, *Auctore Procopio lib. de bello Persico.* Narsemque, ad Romanos confugientem, Quæstura donauit.

Ingentem pecuniarum vim, & quantum hactenus Imperatorum nemo, in populum Consulatus nomine profudit, Kalendis Ianuarij Anni quingentesimi vigesimi octaui, Principatus secundi: Taceo immensam illam erogationem, & theatralia munera, quæ, magno cum apparatu, priuatus exhibuit, dum primos consulares fasces assumpsit, Anno Christi quingentesimo primo. Ducenta siquidem tunc, & octoginta octo solidorum sestertia erogauit; & licet gladiatorum dempta essent cruenta spectacula; retentus tamen fuit cruor in venatione ferarum, & pugna cum bestijs, ab humanitate penitus aliena. Viginti enim boues, Pardos triginta, exceptis alijs feris, in theatro simul edidit; numerosos insuper phaleratosque caballos, iam donatis quoque impertiuit Aurigis, vna dumtaxat, vltimaque mappa, insanienti populo, propter factiones, denegata. *Marcellinus Comes, Iornandes, & alij.* Permulta item ad Politicum regimen spectantia edicta sanciuit sub idem tempus, ac præcipue contra Virginum raptores, raptamque raptori nubere vetuit. *leg. 1. Cod. de Raptoribus Virg.* Noricum vero Germaniæ Regionem, Longobardis, qui Pannoniam occuparant, concessit, eodem Christi anno. *Miscella, Blondus, Procopius.*

Decemuirali opera, atque studio, compactum ex tribus antiquis Gregoriano, Hermogeniano, & Theodosiano, legum Codicem, nomine suo, Iustinianeum appellatum confirmauit, euulgauitque sexto Kalendas Maij Anni quingentesimi vigesimi noni, Principatus sui tertij. *Chronicon Alexandrinum.* Marcellinus tamen asserit eiusmodi constitutiones, biennio tantum post editas fuisse. Absagis Caucasi incolis, immo & Romanis, ac Barbaris prohibuit eodem anno, pueros ex quibus quæstum quærebant, euirare, ob immi-

nens vitæ periculum, vt patet ex constitutione, in qua legitur, tres tantum, ex nonàginta, ægrè seruatos fuisse.

Expostulauit anno sequenti, à Gilimere, vt Hildericum Vandalorum Regem in Africa, quem è solio detruserat, vel in Regnum restitueret, vel ad se Constantinopolim transmitteret. Contemnenti vero, bellum crudele, atque exitiosum minatus est. *Procopius lib.* 1. *de bello Vandalico.*

Palæstinam magnis oppressam tributis exonerauit. Homeritas, & Aethiopes arma in Persas conuertere adhortatus est. Blemyos autem, & Nabathæos aspera desertaque loca incolentes, concessa ad Nilum, opima fœcundaque terra, strictè sibi, arctéque deuinxit. *Procopius lib.* 1. *de bello Persico.*

CHILDEBERTI FRANCORVM Regis gesta.

Clotildem Clodouæi filiam, sororem suam pietate in Deum, in Religionem cultu, in suos affectu, in Hæresim odio nulli postponendam, Amalarico in Hispania Regi, Tolosatium præfectura, dotis nomine, in Gothorum ditionem reuocata, collocauit, Anno Christi quingentesimo vigesimo sexto, Iustini Imperatoris nono, Theodorici trigesimo quarto.

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Hildericus, Hunnerici ex Eudoxia Valentiniani Imperatoris filia, genitus, Trasamundo Vandalorum Rege in Africa extincto, Regni curam suscepit, Anno Christi quingentesimo vigesimo secundo, Iustini Imperatoris quinto, *vt scribit Isidorus*, qui subiungit eum, à Trasamundo obstrictum fuisse iuramento, se nunquam Catholicis templa, aut priuilegia restituturum. Quare ne sacramenti religionem violaret, Episcopos exules, antequam Regno inaugurаretur, reuocauit, cultumque Religionis Christianæ in antiquum splendorem restituit. Verum emenso Principatus sui anno septimo, à Gi-

limere Gensonis filio, & Genserici nepote, proditionis cum Imperatore Iustiniano, falso apud Vandalos insimulatus, in vincula coniectus fuit, Anno Christi quingentesimo trigesimo, Iustiniani Imperatoris quarto, Athalarici Regis quinto. *Procopius de bello Vandalino.*

Tzatus Lazorum Rex (quos Colchos olim appellatos fuisse asserit Agathias) Byzantium profectus, ingentibus muneribus cultus fuit à Iustino Augusto, Anno quingentesimo vigesimo tertio, Iustini Imperatoris sexto, Theodorici Regis trigesimo primo. *Miscella lib.* 15.

Gurgenes princeps magni nominis apud Augustum, Iberis præerat; Elesboan Æthyopibus: Dunaam vero Hebræus Arabiæ fœlici, quæ olim Saba, nunc autem Homeritis vocatur; eoque cæso in acie, Abrahamius illi, à Lesboan Principe victore subrogatus fuit.

Maximus Consulari dignitate sine collega Romæ donatus, eodem Christi Anno quingentesimo vigesimo tertio, Iustiniani gloriæ, in Orientes Consulis æmulus, sumptuosa edidit munera, quorum decu, consueta certantibus præmia persoluere detractans, turpissime defœdauit. *Isidorus lib.* 5.

Theodoricus Gothorum Rex in Italia, Ioannem summum Pontificem ad Iustinum Imperatorem legauit, Anno Christi quingentesimo vigesimo quinto, Principatus sui trigesimo tertio. Sequenti vero in carcerem Rauennæ detrusit, vbi situ, ac pædore consumptus interijt, sexto Kalendas Iunij. Boëtium item, & Symmachum viros Illustres obtruncari iussit. *Gregorius Turonensis cap.* 4. *de gloria Martyrum, & Anastasius.*

Athalaricus puer octennis, & Eutharici iam demortui filius, Theodorico Ostrogothorum in Italia Regi defuncto successit, Anno Christi quingentesimo vigesimo sexto, Iustini Imperatoris nono, resque tum eorum qui erant in Italia, tum etiam in Dalmatia, atque in Galliarum parte, quæ cis Rhodanum habetur, administrandas suscepit, sub tutela tamen matris Amalasunthæ, ingenij magni, ac prudentiæ singularis fœminæ. *Miscella, & Procopius.*

Amalaricus, Alarici Hispaniæ Principis filius, iam maturus Regno, Visigothis solus imperare cœpit sub idem tempus, *vt testatur Visigothorum Chronicon.* Potitusque est ijs omnibus

locis,

locis; quæ trans Rhodanum erant, tùm etiam prouincijs, quas Theodoricus tanquam tutor, in Hispanijs, gesserat. Clotildem autem Childeberti Francorum Regis sororem, connubio sibi iunxit. *Ita Gregorius Turonensis, & alij.*

Eupræmius Orientis Præfectus, Antiochensibus, ob euersam pene ciuitatem Antiochiam, grauiter afflictis, insigni liberalitate, eodem anno subuenit. *Euagrio Auctore.* Adde Hermenefridum Thuringorum Regem, qui Amalabergam Theodorici Gothorum Principis neptem, & Hunnerici Vandalorum Regis filiam, in coniugem acceperat. *Iornandes, Caßiodorus, & Paulus Aemilius.*

Myrrhanes Persarum Dux, à Bellisario debellatus, honore illo, qui Persis habetur maximus, gestandi scilicet crines auro, gemmisque redimitos, à Cabade Rege priuatus fuit, Anno Christi quingentesimo vigesimo septimo, Iustiniani Imperatoris primo, Athalarici Italiæ Regis secundo.

Theodora Iustiniani Imperatoris coniux, fœmina impotens, & libidinosa, vt pote quæ ob formæ commendationem, ab scenicis artibus, & meretricio quæstu, ad legitimum matrimonium adducta fuisset, Augustæ insignibus aucta fuit eodem Christi Anno. Boazer vidua, Hunnorum Regina, Romanis adhæsit cum Hunnorum centum millibus.

Hordas Hunnorum, qui Bosphorum incolunt, Princeps, magnis à Iustiniano Imperatore, honoribus cumulatus fuit. Hunc Moagera frater, Regni cupidus interfecit, Imperiumque sibi sumpsit. *Chronicon Alexandrinum.* Patricius autem Armenus Comes illustrissimus, Orienti imperabat, *vt vult Theophanes.*

Clotarius Suessionum Rex, Guntheucam Clodomiri fratris, & Aurelianensium Principis in prælio obtruncati coniugem duxit eodem tempore, Anno scilicet Christi quingentesimo vigesimo septimo, eiusque Regnum cum fratribus partitus est. Dein in auxilium Anno sequenti contra Thuringos à Theodorico Metensium Rege euocatus, victor de ea gente, lares repetens, Radegundem Betharij Regis iam extincti filiam secum adduxit. Quæ cum nondum nubilis esset, omni cura per annos aliquot, antequam Regi copularetur, educata fuit. *Gregorius Turonensis, Fortunatus, & alij.*

Tzitas Dux, magnæ erat famæ in aula apud omnes Principes. Huic Iustinianus Imperator sororem in vxorem dedit, vna cum Armenia, quam, tanquam στρατηλάτης alter, seu Præfectus tenuit, cum antea à Ducibus tantum, seu Comitibus regeretur, *vt refert Cedrenus, & alij.*

Gilimer, Hilderico Vandalorum Rege in Africa, è solio expulso, falsique criminis reo, purpuram induit Anno Christi quingentesimo trigesimo, Iustiniani Imperatoris quarto, Athalarici Regis quinto. *Procopius lib. de bello Vandalico.*

Mundus vir spectatissimus Illyricum magna cum prudentia regebat *Marcellino Auctore.* Theodebertus Theodorici Metensium Principis filius, demortuo patre, rerum potitus est. Iulianus denique Samaritanus, Sceptrum ab ipsis Samaritanis, in Palæstina, accepit. *Ita Cyrillus Historicus illius temporis.*

VIRI ERVDITI.

Marinus Neapolitanus orator, ac magnus Philosophus, quasdam Philosophorum præceptiones in lucem dedit, vitamque Procli præceptoris sui, *vt refert Suidas.*

Dionysius cognomento exiguus, eruditione tamen maximus, natione Scytha, sed moribus Romanus, vtramque linguam, & Græcam, & Latinam calluit; permultosque Græcos libros latio donauit sermone; Eius opera plena manu effert *Cassiodorus de diuinis lectio. cap. 23.*

Marcellinus Comes Annales de obitu Valentis ad annum vsque Iustiniani Imperatoris octauum, Christi vero trigesimum quartum contexuit. Quatuor insuper libros, *Cassiodoro teste,* de temporum qualitatibus, ac locorum positionibus, mira varietate conscripsit; Constantinopolim denique ciuitatem, vrbemque Hierosolymam, libris quatuor venustissima narratione complexus est.

Trebonianus, Pamphilius genere, & Iurisperitius illustris, florebat hoc tempore, eius ingenium, doctrinamque multiplicem viri omnes litterarum fama præstantes vehementer suspexerunt. Ab eo siquidem librorum duo fere millia, ad pauca volumina redacta fuere; vastaque legum multitudo

castigata. Codex primum confectus, tum Constitutiones, Digestaque promulgata. Qua re, nihil magnificentius ad ipsius gloriam excogitari potuit. Adde quod nullus alius hactenus, ad solidam iuris vtriusque prudentiam, bonarumque artium maiora ornamenta cumulatius attulerit. Pecuniæ tamen ad miraculum auidus fuit, eius etenim gratia, aut leges nouas identidem condere; aut iam latas abrogare consueuerat. Hic Iustiniano Principi persuaserat, eum haud moriturum, sed in cælum aliquando raptum iri. *Ita Suidas, & alij.*

Fernandus tùm humanarum, tùm diuinarum rerum cognitione celeberrimus, scripsit ad Rheginum Comitem Paræniticum, qualis debeat esse Dux religiosus in artibus militaribus. De septem item Regulis Innocentiæ librum vnum, & Epistolarum ad diuersos, alium. *Gesner & alij.*

Arator, vir eloquentiæ celebratæ, magnique pretij apud Theodoricum Regem, à quo ob mirabilem illam facundiam, dicendique libertatem singularem, qua ad stuporem pollebat, & Comes Domesticorum creatus fuit, & Legatus, ad Iustinianum Imperatorem, electus, Anno Christi quingentesimo vigesimo septimo, Iustiniani Augusti primo, Athalarici Regis secundo.

REGNORVM ORTVS.

Cerditius Rex Vuestsaxonum Regni fundamenta iecit, Anno Christi quingentesimo vigesimo primo; cui deinde Magnorum Principum virtute, ac præsertim. Inæ, Regna varia accessere. *Polydorus lib.* 5.

Orientalium vero Saxonum Regnum initium sumpsit ab Erchenuino, Anno Christi quingentesimo vigesimo septimo, quod postea à Suthredo Rege vltimo, translatum fuit ad Vuestsaxonum, per Egbertum Principem, Anno Christi quingentesimo vigesimo octauo.

OPERA PVBLICA.

Anazarbum Ciliciæ vrbem ad Pyramum Ciliciæ fluuium, Dioscoridis patriam, Cyndum olim nominatam, dein Dio-

cæsaream, reposuit Iustinus Imperator, Anno Christi quingentesimo vigesimo quinto, Principatus sui octauo, Theodorici Regis trigesimo tertio. Edessam item Mesopotamiæ ciuitatem, in læua Euphratis, Osthoenonum metropolim, & à qua Regio tota Edessina nuncupata fuit, splendide restaurauit, eodem anno, *vt asserit Procopius.* Tum vtramque Iustinianopolim appellauit, *Theophane teste.* Nec omittam Antiochiam Syriæ, magnis ab ipso constructam sumptibus. *Miscella lib. 15. & Euagrius lib. 4.*

Phœnicis Libaniticæ vrbem refecit Iustinianus Imperator, Anno Christi quingentesimo vigesimo septimo, Principatus sui primo, Athalarici Regis secundo; tantíque operis curam, Patricio Armeno Orientis Comiti mandauit. Regium insuper Vestibulum, ad conspicienda, probandaque in circo certamina, ædificatum, augustius longe, illustriusque, redintegrauit, Anno sequenti: duasque senatorum ex more spectantium porticus, *vt scribit Marcellinus Comes.* Adde Antiochiam, quam è suis, abhinc paucis annis excussam sedibus, in antiquam suam gloriam, decusque à Iustino Imperatore restitutam, regijs operibus restaurauit, illustrauitque, Anno Christi quingentesimo vigesimo nono, Principatus sui tertio, Athalarici Regis quarto. *Theophanes.*

PRODIGIA,

Prodijt è Cilicia fœmina, ingenti corporis magnitudine, spectabilis, & ad omnium stuporem efficta. procerosissimum siquidem quemque hominem cubito excedebat, Anno Christi quingentesimo vigesimo quarto, Iustini Imperatoris septimo, Theodorici Regis trigesimo secundo. *Theophanes.*

OBITVS ILLVSTRES.

Vehementi terræ-motu Anazarba, cui Calliopius Irenæi filius præerat, prostrata fuit, Anno Christi quingentesimo vigesimo quinto, Iustini Imperatoris octauo, Theodorici Regis trigesimo tertio. Edessa item sita ad Osrhenam fluuium, qui eam mediam perlabitur, maxima odium strage deformata.

In ea lapis cum hac Epigraphe repertus, *vt scribit Theophanes.*

Σκιρτὸς ποταμὸς σκιρτήσει,
Κακὰ σκίρματα πολίταις.

Antiochia vrbs Syriæ, tanto cælitus immisso incendio conflagrauit, eodem Christi Anno, vt Iustinus Imperator purpura exutus, cinereque consperſus, saccum induerit, totaque ciuitas vasto in luctu, sordibusque, multo dierum tractu iacuerit. *Miscella lib. 15.*

Anno vero quingentesimo vigesimo octauo, eâdem ita concussa fuit, vt reliqua omnia, qua ex priori funesta, horrendaque clade superfuerant ædificia, corruerint, quatuorque hominum millia, cum octingentis septuaginta, perierint. Cæteri hisce græcis vocibus χριστὸς μεθ' ἡμῶν ἐστὶ, hoc est, Christus nobiscum est, suis postibus, diuino quodam monitu, inscriptis, è præsenti periculo euaserunt. Hinc factum, vt Antiochia Theopolis appellationem sortita fuerit *Auctore Cedreno.* Dyrrachium item, seu Epidaurum, & Corinthum in Græcia, eâdem clades fœdissime afflixit.

RES BELLICÆ.

Dunaan Homeritarum Princeps arma contra Elesboan Æthyopum Regem vertit, Nigramque ciuitatem obsidione cinxit; tum eam ingressus, rupto fidei sacramento, omnia cæde, ac sanguine impleuit, Anno Christi quingentesimo vigesimo secundo, Iustini Imperatoris quinto, Theodorici Regis trigesimo.

Sequenti vero Elesboan terrestribus æque, & maritimis instructus copijs, Dunaan aggressus deleuit funditus, illiusque Regno potitus est, *vt testatur Procopius.*

Cyriacus Romanorum Dux signa in Persas mouit, Anno Christi quingentesimo vigesimo septimo, cilicioque S. Theodosij indutus, eos victricibus armis prostrauit. *Ita Cyrillus scriptor huiusce temporis.*

Clodomirus Aurelianorum Rex, Burgundionum Principi, Clotildis matris impulsu, cruentum bellum indixit, eodem

Christi anno, in quo & Gundomarum Sigismundi fratrem fugauit, & ipsum Sigismundum in carcerem, apud Columnam Aurelianensis oppidi vicum, vna cum vxore, & filijs detrusit. Dein impotentius ferens, quod Gundomarus, Regnum iam à Francis occupatum, recepisset, Sigismundo cum suis in puteum proiecto, nouam in Burgundiones expeditionem, aduocato in auxilium Theodorico fratre, Metensium Rege, suscepit, Anno Christi quingentesimo vigesimo octauo, Iustiniani Imperatoris secundo, Athalarici Regis tertio in qua dum fusis hostibus, confertum in globum se infert, conto transfixus, perijt; cognitoque Regis cadauere, ex promissa cæsarie, quod regium, apud Francos insigne erat, dissectum caput, hastæque impositum, per vniuersum exercitum, ad Francorum contumeliam, circumlatum est. Qua re commoti Franci acriorem in hostes impressionem fecere, ijsque fugatis, totam Prouinciam, secundo belli exitu, subegere. *Gregorius Turonensis, & Gaguinus.*

Boazer, Balachi Hunnorum, qui Saberi vocabantur, quondam Regis vxor, centum Hunnorum millibus stipata, ad Romanos se sub idem tempus, adiunxit; duosque alterius gentis Hunnorum Reges, à Cabade Persarum Principe accitos, dum per fines suos iter haberent, cum viginti millibus, penitus oppressit, eorumque alterum, Glonem nomine, in acie iugulauit; alterum Styracem dictum, captum, vinctumque Constantinopolim misit. Antiochia insuper capta fuit à Persis & incensa.

Theodoricus Metensium Rex, ob iniuriam ab Hermenefrido Thuringiorum Principe, acceptam, pacta mercede priuatus, ingentem exercitum, cum Clotario fratre, Suessionibus imperante, in eum duxit, acriterque pugnatum est, deuictis, magnaque strage afflictis Thuringis, Franci illorum regionem in suam potestatem redegere. *Gregorius Turonensis, Procopius, & alij.* Childebertus autem Francorum Rex, accepto nuntio, quod Theodoricus frater, apud Thuringios cecidisse, Aruernos proditione Arcadij senatoris, inuasit.

Alamundarus Sarracenorum Dux, totam Syriam ferro, atque incendijs deformauit, Anno Christi quingentesimo vigesimo nono. Samaritani autem, ac Iudæi rebellantes, à Iusti-

niano Imperatore compressi fuere, obcidioneque deleti, immo & Iulianus, quem in suum Regem elegerant, securi percussus, *vt scribit Cedrenus.*

Persæ Peroze Duce, qui Mirrhanes erat (nomen illud magistratus fuit) cum Romanis ad Duram, summa contentione depugnarunt, Anno Christi quingentesimo trigesimo, Iustiniani Imperatoris quarto, Athalarici Regis quinto, sed infœlici Marte, Deo, Persici Ducis, qui Belisario stolide mandauerat, vt sibi balneum, ac prandium, & illud lautissimum, in vrbe pararet, insolentiam vlciscente. Cabades subinde Mermeroem, magnis cum copijs submisit, quas Romani pari fœlicitate, Sitta Duce, profligarunt. Mundus denique vtriusque militiæ Illyricanæ Ductor, Getas in Illyrico, Bulgaros autem in Thracia prospere debellauit. *Ita Marcellinus Comes.*

REI INSIGNES.

Seuerinus Boëtius, qui diu Ticini, in carcere detentus fuerat, eiusque socer Symmachus, viri Consulares, & sapientiæ laude conspicui, falso delati, exilio primum, dein capitali pœna, mulctati fuere anno Christi quingentesimo vigesimo sexto, Iustini Imperatoris nono, Theodorici trigesimo quarto. *Procopius, & Paulus Diaconus.*

Sigericus, Sigismundi Burgundionum Regis, ex filia Theodorici Italiæ Regis natus, affectati Regni, innocens licet, insimulatus, iniecto ceruici laqueo, nouerca impellente, extinctus fuit, eodem Christi Anno.

Samaritanorum Principes à Perside redeuntes, & à Belisario capti, scelusque proditionis totius Palæstinæ, habita quæstione, confessi, interfecti fuere, Anno Christi quingentesimo vigesimo nono, Iustiniani Imperatoris tertio, Athalarici Regis quarto. *Theophanes.*

Hildericus Vandalorum Rex in Africa, reus apud Vandalos factus, eo quod noua molitus fuisset, in vincula coniectus est, Anno Christi quingentesimo trigesimo, Iustiniani Imperatoris quarto, Athalarici Regis quinto. *Procopius de bello Vandalico.*

OBITVS ILLVSTRES.

Trasimundus Vandalorum Rex in Africa infœlici rerum bellicarum euentu, grauiter afflictus desijt Anno Christi quingentesimo vigesimo secundo, Iustini Imperatoris quinto, Theodorici Regis trigesimo, Principatus vero sui, vigesimo octauo inchoato.

Sequenti Anno Euphæmia, Augusti Iustini Imperatoris vxor, fœmina de religione Christiana bene merita, fato concessit. Dunaan vero Homeritarum Rex, in bello occubuit, *vt referunt acta Aretæ martyris.*

Cœnanti quondam Theodorico Italiæ Regi Anno Principatus trigesimo quarto, Christi quingentesimo vigesimo sexto Iustini Imperatoris nono, inter superbissimum regiæ mensæ apparatum, variosque ministerij missus, ac fercula, illatum fuit piscis cuiusdam miræ magnitudinis caput, quod ita ad viuum Symmachi, toruis oculis, exertisque dentibus sæuitiam exprobrantis, infœlicemque exitum minitantis, caput illi repræsentauit, vt tanto prodigio vehementer territus, paulo post, corporis, animique cruciatu maximo confectus, funestè interierit. Vir certe inter optimos Principes numerandus, nisi eum Arriana Hæresis infamasset, extremaque crudelitas, in probatissimorum senatorum necem, armasset. *Procopius de bello Vandalico.*

Iuliana nobilissima fœmina, & Anciæ antiquæ familiæ decus augustissimum supremum diem clausit, Anno Christi quingentesimo vigesimo septimo, Iustiniani Imperatoris primo, Athalarici Regis secundo. *Cyrillus in actis S. Sabæ.* Bertharius Hermenefridi fratris Thuringorum Regis dextera perijt, eodem Christi Anno. *Gregorius Turonensis.*

Hordus Hunnorum, qui Bosphorum incolunt, Princeps, à suis, quod idola conflasset enecatus fuit Anno sequenti. *Paulus Diaconus, & Chronicon Alexandrinum.*

Sigismundus Burgundionum Rex, captus à Clodomiro, & in profundum puteum vna cum vxore, & liberis demersus, extinctus fuit sub idem tempus, Anno scilicet Christi quingentesimo vigesimo octauo, quo genere mortis, indignum


patre

patre facinus, Sigerico filio ſtangulato, expiauit. Clodomirus vero Aurelianorum Rex in bello cecidit.

Hermenefridus Thuringorum Princeps à Theodorico Clodouæi filio, & Metenſium Rege, data fide vocatus, breui eiuſdem artibus ſublatus fuit. *Gregorius Turonenſis, Paulus tamen Æmilius refert eum ex altiſſima turri deiectum fuiſſe.*

Iulianus denique Samaritanorum Rex in Palæſtina, victus ab exercitu Iuſtiniani Imperatoris, occubuit in acie, Anno Chriſti quingenteſimo trigeſimo, quo anno Baronius vult Theodoricum Italiæ Regem infœlicem vitæ ſuæ exitum ſortitum fuiſſe, non autem Anno Chriſti quingenteſimo ſeptimo, *vt aſſerit Sigebertus.*





DECAS QVARTA.

IVSTINIANI IMPERATORIS Gesta.



Iros sibi percaros, atque familiares, Ioannem nempe Cappadocem, Præfectum prætorio, & Tribonianum Quæstorem, multitudinis consentione territus, exauctorauit, Anno Christi quingentesimo trigesimo primo, Principatus sui quinto, Athalarici Regis sexto. Hos tamen haud multo post in gradum pristinum restituit. *Procopius de bello Vandalico.*

Pace cum Chosroe, Cabade patre mortuo, per Ruffinum patricium, & Hermogenem Magistrum Officiorum, firmata, Anno Christi quingentesimo trigesimo tertio, decretaque expeditione in Africam; nauem prætoriam ineunte vere, ad littus iuxta ædes Imperatoris adduci iussit; cui pro more solemni Epiphanius Episcopus Constantinopolitanus faustè precatus est, eodem Christi Anno, Athalarici Regis octauo, Principatus sui septimo, Consulatus vero tertio, vt in illius constitutione sub idem tempus lata, Kalendis Ianuarijs, habetur, non autem quarto, vt mendose legitur *apud Marcellinum.* Sanctionem item edidit aduersus eos, qui sacris Virginibus, ac Viduis, ignominiam, raptu quodam Violento irrogassent. *Lege 24. Cod. de Episc. & Cler.*

Gilimeri Vandalorum Regi debellato, captoque, sedes quasdam in Galatia concessit, Anno Christi quingentesimo trigesimo quarto, Principatus octauo, Athalarici Regis nono, Patriciumque creasset, si Arrianam Hæresim eiurasset, *vt referunt Annales.*

Hilderici filios, ac nepotes, ex Valentiani olim Impera-

toris sanguine ortos, amplissimis munerauit opibus; eaque omnia, quæ in præda, ex Hierosolymitano templo, à Tito Vespasiano Romam illata fuerant, & à Genserico in Africam, ex vrbe asportata, Hierosolymam ad Christianorum templa remisit, *vt testatur Procopius.* Belisarium Ducem ob res prospere gestas, immensis item auxit honoribus, consulemque ordinarium constituit Anno sequenti.

Recuperata Africa, animum ad illius regimen addixit, præfectumque prætorio Archelaum, qui sub Belisario acriter militarat, creauit; tum nonnulla alia de officio Præfecti Africæ præscripsit, *Lege 1. de officio Præfecti.* Voluit præterea, vt Carthago, Byzantium, & Tripolis Rectores haberent consulares: Numidia vero, Mauritania, & Sardinia Præsides. Iussit denique, vt in Codice à se edito, sancita noua constitutione, gratiarum actio, ob victoriam de Gilimere reportatam, supremo Numini, in perpetuum consecraretur. *Procopius.*

Theodato Italiæ Regi pacem se posse pernegare ratus, iustamque belli causam, ex Amalasunthæ carcere, cuius opera in regnum prouectus fuerat, & maturato exitu, Romanique populi, ac Senatus indignatione, abunde sibi suppetere aduertens, numerosam classem ad Siciliam, Vandalorum adhuc cruore madentem, inuadendam quamprimum, Belisario Duce clarissimo, adornauit, Anno Christi quingentesimo trigesimo quinto, Principatus sui nono, *vt refert Auctor citatus.*

Legem nouam aduersus Lenones, in qua summus illius animi nitor summe elucet, condidit, huius siquidem concepta verba, hæc sunt, Credimus enim ex hoc circa castitatem studio, magnum fieri Reipublicæ nostræ incrementum, Deo nobis omnia prospera, per talia opera, conferente. *Nouella* 14. Aliam insuper tulit contra eos, qui iuramentum exigerent à meretrice, quod nunquam ab ea infami arte recederet. *Nouella* 45.

Adde sanctionem ab eo editam Kalendis Septembribus, Anni Christi quingentesimi trigesimi Octaui, Principatus duodecimi, Theodorici Regis quinti, qua voluit, vt in omnibus publicis monumentis tum nomen Imperatoris, tum Consulum, atque Indictionis inscriberetur. *Nouella* 47.

CHILDEBERTI FRANCORVM *Regis gesta.*

Regnandi cupidus Clotarium Regem fratremque, ad crudelem Theodobaldi, Guntharij, & Clodoualdi nepotum necem impulit, Anno Christi quingentesimo trigesimo secundo, principatus decimo nono, Athalarici Regis septimo. Anno vero sequenti Clodomiro eorum patre, & Aurelianorum Principe, quinque abhinc annis cæso, Regni Aurelianensis partem, ditioni suæ adiunxit; alteram autem eidem Clotario Suessionum Regi concessit. *Gregorius Turonensis.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Theudo, seu Theudis Ostrogothorum genere, belli, ac pacis artibus clarus, variarumque rerum vsu, atque prudentia illustris, Amalarico in Hispania Rege, sine prole defuncto, Rex à Visigothis proceribus renuntiatus fuit, Anno Christi quingentesimo trigesimo primo, Iustiniani Imperatoris quinto, Athalarici Regis sexto. *Franciscus Tarapha.*

Alamundarus Sarracenorum Phylarchus, hoceſt, partis cuiusdam equitatus Ductor; vniuersus siquidem equitatus, in quasdam classes, φυλὴ nomine, olim diuidebatur, vnique Hisparcho totius equitatus Præfecto parebant. Hic Romanos quinquaginta annorum spatio, ingentibus affecit cladibus.

Clodoualdus Clodomiri Aurelianorum Regis filius, è cruentis Clotarij auunculi manibus, quas, fratrum suorum sanguine, defœdarat, fuga elapsus, Anno Christi quingentesimo trigesimo secundo, Iustiniani Imperatoris sexto, Athalarici Regis septimo, in Clericorum primum, dein ob singularem, quæ in eo elucebat sanctitatem, in Cælitum numerum relatus fuit. Hodie Nouigentum ad vrbem, supra Sequanam Galliæ fluuium, sitam, eiusque nomine appellatam,

maximo ritu colitur, *vt refert Gregorius Turonensis, Armoinus, & alij.*

Chosroes Persarum Princeps, Cabade patre sublato, purpuram induit, Anno Christi quingentesimo trigesimo tertio, Iustiniani Imperatoris septimo, Athalarici Regis octauo, *Procopio teste.* Gilimer Tyrannus Hildericum Vandalorum Principem, carceri mancipatum, occidi iussit, eodem anno.

Belisarius in Africam missus, deuicto Gilimere, & vniuersa Africa recuperata, cuius primus Præfectus Prætorio Archelaus creatus fuit; tùm relicto in ea Salomone Duce illustrissimo, Constantinopolim profectus est, vbi amplissimum de Vandalis triumphum egit, Anno sequenti. Sicilia dein tota potitus, Anno Christi quingentesimo trigesimo quinto, Iustiniani Imperatoris nono, Theodati Regis secundo, Syracusas, postremo consulatus die, ouans ingressus est. Capta demum, oppidanorum deditione, Rauenna vrbe, Anno Christi quingentesimo quadragesimo, Vitigem Gothorum Regem Regno, patriaque exuit. *Auctor citatus lib. 1. de bello Vandalico*

Paulinus Iunior, ex antiqua Deciorum familia, laureatis fascibus, Athalarico Italiæ Rege expostulante, ornatus fuit, Anno Christi quingentesimo trigesimo quarto, Iustiniani Imperatoris octauo, Theodati Regis primo; Cassiodoro teste; quem idem Princeps Athalaricus, amplissima prætorij Præfectura insigniuit eodem Anno, vt patet ex eiusdem Cassiodori Epistola 24. *lib.* 5. Cæterum præfecturam illam, non Kalendis Ianuarijs vt Consules, sed ipso natali Domini die, Præfecti inibant.

Arthurus maioris Britanniæ Rex, animo inuicto, summaque virtute, ac rerum gestarum fama illustris, cum quatuor supra viginti Athletas, rei militaris scientia, gloriæque magnitudine pares, equestris ordinis insignibus nobilitasset, eosque pari amore complexus fuisset, ne quis forte, dum simul accumberent, primo se in loco constitutum prædicaret, vel ad infimum locum deturbatum inuide cogitaret, mensam rotundam ad coronæ formam effingendam curauit. Hanc Leslæus Episcopus Rossensis refert se in Vitonensi castro, ad æternam rei memoriam conseruatam, militumque equestrium nominibus vndique inscriptam vidisse.

Theodatus, vel Theodahatus more gothico per triplicem aspirationem, Theodorici ex sorore Amalafreda nepos, litterarum, ac in primis philosophiæ Platonicæ satis peritus, rei tamen militaris ignarus, thesaurisque accumulandis maxime intentus, vir ætate grauis, Athalarico in Italia Rege sublato, Amalasunthæ opera, rerum potitus est, eodem Christi Anno quingentesimo trigesimo quarto, vix tamen liberas Regni habenas nactus est, cum illam, beneficij immemor, diro carceri in insula, ad Volusianum Lacum, mancipauit, tum Legatos Liberium scilicet, & Opelonem, ad Iustinianum Imperatorem, de pace exoranda, misit, additis non senatus modo, etsi inuiti, sed ipsius quoque Amalasunthæ (quam breui extinxit) litteris, quasi vltro concessis. *Procopius de bello Gothico.* Biennio post egit cum Petro Iustiniani Imperatoris legato, viro eloquentissimo, ac prudentissimo, de fœdere ineundo, semotisque arbitris, vniuersam Siciliam Iustiniano Principi, aureamque, in singulos annos, trecentarum librarum coronam daturum se spopondit; nulliusque bona in publicum proscripturum; nullam dignitatem concessurum, nullumque vltimo supplicio, nisi Augusto suffragante, multaturum; inter acclamationes publicas, tùm in theatris, tùm in triuijs, alijsque locis, à populo Romano habitas, Imperatorium nomen primo appellaturum; statuam denique sine æneam, sine auream, aut ex quacumque alia materia conflatam, nunquam sibi soli, sed vtrisque sic erectum, vt quæ Iustinianum Principem referret dexteram, quæ autem Theodatum, læuam occuparet, *ita Auctor citatus.*

Mamianus dignitate Patricius, famosisque imaginibus, atque opum vi maxime illustris, magni erat nominis apud Proceres sub idem tempus.

Eugenius tertius Congalli filius, Conrano Scotiæ Rege interfecto, Anno Christi quingentesimo trigesimo tertio, Iustiniani Imperatoris septimo, Athalarici Regis octauo, Scotorum res administrandas suscepit; primisque Imperij sui annis, mira in subditos clementia fuit, iudicijsque publicis, vt eorum beneuolentiam sibi conciliaret, frequenter interfuit. *Leslæus.*

Vitiges Dux, è Dalmatia, euocatus, vir bellicis artibus

vbique spectatus, cæso Italiæ Principe Theodato, Rex acclamatus est, Anno Christi quingentesimo trigesimo septimo, Iustiniani Imperatoris vndecimo. Hic Romanæ Vrbis obsidionem veritus, relictis quatuor Gothorum millibus, sub Leudere Duce, coniectoque in carcerem Theodegisclo, Theodati filio, ingentem conscripsit exercitum, Rauennamque profectus, Matasuentham, Amalasunthæ filiam, matrimonio, inuitam licet, atque reluctantem sibi coniunxit, Francorumque Regibus quidquid Gothorum erat in Gallijs, ad illorum animos sibi deuinciendos, concessit. *Procopius de bello Gothico.*

Theodo tertius, Vto, seu Oto, & Theodoualda fratres, Theodone secundo Boiorum Rege, ac parente mortuo, eodem anno, Regnum partiti sunt. Theodo natu maximus, Nariscos, Regionoburgium, & omne quod inferior Boiaria nominatur inter œnum fluuium, & Danubium, sortitus est. Theodoualda vero Pisonium, Artesios, montes œno continuos, & finitima Italiæ obtinuit. Otoni denique Laureacum, Noricum Ripense, & quidquid inter Taurum, & Alpes, inter Anassum, Danubium, & œnum amnes clauditur, obtigit. Adde Vindeleciam subditam Alpibus, *vt scribit Auentinus.*

Theodebertus Theodorici Metensium Regis filius, ab incestuosis nuptijs (fratris siquidem vxorem duxerat) traductus, Anno Christi quingentesimo trigesimo octauo, regias omnes virtutes summe coluit.

Thrasamundus Massageta Eques, cuius bellica virtus ita in obsidione vrbis enituit, eodem Christi Anno, vt Dentatum Romanum, & Aristomenem Græcum longe superasse crederetur.

Chosroes Persarum Rex, à Gothis anno proximo accensus, vt arma contra Iustinianum Imperatorem verteret, statuit, fœdus, quod perpetuum inter Romanos sancitum fuerat, disrumpere, *vt testantur omnes Historici.*

Theobaldus, Vitige, Gothorum Principe in Italia, capto, regijs insignibus auctus fuit, Anno Christi quingentesimo quadragesimo, Iustiniani Imperatoris decimo quarto. Ipso Principatus initio, vix mille Gothos habuit, qui dein,

nouis creatis Regibus, in tantum numerum accreuere, vt res Romanas in maximum discrimen adduxerint. *Procopius.* Clotarius demum Suessionum Rex, cum Childeberto Francorum Rege, & Theodeberto Metensium Principe, pacem composuit.

VIRI ERVDITI.

Thelesianus, vel Thesinus Britannus Philosophus, Poëta, Rhetor, & Mathematicus insignis, ingenioque acuto, faceto, ac omnis scientiæ auido. Post peragratas, discendi causa, nationes exteras, domum reuersus, tanto cum applausu docuit, vt ad eum omnes vndiquaque confluerent. Ex eius schola prodijt Merlinus Caledonius, singulari doctrina illustris. Permulta tùm stricta, tùm soluta oratione, Britannice, Latineque composuit; ac præcipue Arthuri Regis vaticinalem Historiam: Vaticiniorum insuper quorundam librum vnum, ac diuersorum carminum alterum, pleraque item alia, *vt asserunt Scriptores.*

Ioannes Grammaticus Alexandrinus cognomento Philoponus, scripsit aduersus Procli Diadochi, de mundi Æternitate, sermones octodecim; totidem Solutionum libros; vnum etiam de Pulsibus. Commentarios in Arithmeticam Nicomachi Geraseni: In Astrolabium planum, aliaque de illius vsu. Commentarios in tertium, & quartum Aristotelis Meteorologicorum libros. In quatuor posteriores Physicæ auscultationis. Hipomnema in duos libros priorum Analyticorum. Opusculum de Atticis particulis. Technica, ex quibus pars extat in appendice Lexici Græcolatini; commentarios Græcos in quinque voces Porphirij; in duos libros Aristotelis de Generatione & Interitu; In tres libros de anima eiusdem Philosophi, & in libros de Generatione animalium, ac primum Meteororum. In Hesidium, ac plura alia. *Vide Gesnerum.*

Damascius Stoicus, Philosophus Syrus, Simplicij, & Elamitæi Phrygum discipulus, inter alia eruditionis suæ opera, παρεκβολὰς nobis in primũ Aristotelis librum de Cœlo reliquit, & solutiones de primis Principijs. Commentarios item in

in Parmenidem Platonis, Historiamque Philosophorum, *vt vult Suidas.*

Procopius Cæsariensis Palæstinus, Orator, & Sophista clarissimus, res Persicas prosecutus est, libris duobus, & Vandalicas totidem; tribus vero Gothicas. Libros præterea sex edidit de ædificijs Iustiniani Imperatoris, & alterum ἀνέκδοτα nominatum, hoc est non euulgatum; quia conuicia, atque comicos morsus in Iustinianum Cæsarem, & Theodoram illius coniugem ac Belisarium, eiusque vxorem, continebat. *Ita citatus Auctor.*

Victor Episcopus Cumenensis Ecclesiæ Africanæ, egit de rebus gestis ab initio mundi, vsque ad primum Iustini iunioris Imperij Annum. Item de rebus Ecclesiasticis & quibusdam alijs. *Gesner.*

REGNORVM OCCASVS.

Burgundionum Regnum, pulso à Childeberto Parisiorum Rege, & Clotario Suessionum, in Hispaniam, ac tandem in Africam, Gundomaro, corruit, Anno Christi quingentesimo trigesimo secundo, Iustiniani Imperatoris sexto, Athalarici Regis septimo. *Procopius, & Agathias.*

Vniuersa Africa à Romanis, post annos nonaginta quinque, ex quo Vandali eam occuparant, *vt testatur Iustinianus Imperator lib. 1. Cod. de officijs Præfectorum Africæ*, vindicata, victo, captoque Gilimere eorum Principe, Anno Christi quingentesimo trigesimo quarto, Iustiniani Imperatoris octauo, Athalarici Regis nono, Regnum extinctum fuit. *Iordanes de successione Regnorum.*

OPERA PVBLICA.

Constantinopolim vrbem magnis sumptibus refecit Iustinianus Augustus, Anno Christi quingentesimo trigesimo secundo, Principatus sexto, Athalarici Regis septimo. *Chronicon Alexandrinum.*

Quam plurima item, siue ad pietatem, siue ad ornatum, siue ad munimentum, extruenda curauit in Africa, idem Im-

perator; Anno Christi quingentesimo trigesimo quarto, Principatus octauo, Athalarici Regis nono; eo siquidem tempore, & Carthaginis murum vetustate collapsum restituit, & Bagaiensem ciuitatem, atque Adrumetum, fortissimis cinxit mœnibus, illamque Theodorianam coniugis nomine, nuncupauit; hanc vero Iustinianam, immo & Carthaginem appellauit, vt patet ex litteris Synodi Carthaginensis. *Vide Procopium de ædificijs.* Adde templum S. Sophiæ ab eodem splendidè repositum Constantinopoli, Anno Christi quingentesimo trigesimo septimo, principatus sui vndecimo, Vitigis Regis primo.

PRODIGIA,

Cometes, Lampadias dictus, quod in supremam partem radios mittat; Pogonius, seu barbatus à Procopio appellatus, & Niphia, hoc est in mucronem effigiatus, apparuit, Anno Christi quingentesimo trigesimo secundo, Iustiniani Imperatoris sexto, Athalarici Regis septimo, vt scribit Zonaras.

CALAMITATES.

Magna certe, si vnquam hactenus, exorta est seditio Constantinopoli, mense Ianuario, Anni Christi quingentesimi trigesimi secundi, Iustiniani Imperatoris sexti, Athalarici Regis septimi, cuius tessera fuit νίκα: vnde & nomen obtinuit, *Prasinis* contra Calopodium Spatarium & Cubicularium, tumultuantibus, ac Venetis ex aduerso reclamantibus; tantaque strages in Circo edita, vt quadraginta fere hominum millia, desiderata fuerint. *Procopius.*

Sophiæ item ædes, Sampsonis Xenodochium, in quo ægri omnes periere, Alexandri, & Zeuxippi balnea, aliaque nobilissima opera, incendio, conflagrarunt. *Ita Chronicon Alexandrinum, Theophanes, & alij Scriptores.*

Cæterum has aurigantium factiones Venetam scilicet, & Prasinam, id est Cœruleam, & Viridem, è vestium coloribus nomen indeptas fuisse olim, & in Circo maximo acriter

contendisse, populique studia habuisse, nemo est qui ignoret. Nec omittam, Albam, & Rufam, quibus Domitianus Imperator duas alias insuper addidit, vnam panni aurati, & aliam purpurei.

Ingenti Annonæ caritate laborauit æterna vrbs, totaque Italia, Anno Christi quingentesimo trigesimo quarto, Iustiniani Imperatoris octauo, Athalarici Regis nono. Huic summa cura prospexit Præfectus Rauennæ commorans cum Rege. *Caßiodorus lib. 5. cap. 11.* Anno autem quingentesimo trigesimo nono, Iustiniani decimo tertio, Vitigis Regis tertio fames ita vniuerso orbi incubuit, vt maxima hominum pars occubuerit. *Dacius Mediolanensis Episcopus.*

RES BELLICÆ.

Azarethes, Cabadis Regis Persarum Dux, in Romanos fines non solitis itineribus, sed per Comagetam irrupit, Anno Christi quingentesimo trigesimo primo, Iustiniani Imperatoris quinto, Athalarici Regis sexto. Verum conatu irrito. Commisso tamen in reditu, cum Belisario certamine, victoriam quidem sibi peperit, sed tanta militum strage, vt à Cabade Principe maxima ignominia affectus fuerit. *Procopius de bello Persico.*

Childebertus Francorum Rex, & Clodouæi filius, audito nuntio, quod Clotildis soror ab Amalerico Hispaniæ Rege, cui nupta fuerat duriter admodum, ob Christianam religionem, quam summo colebat affectu, tractaretur, acceptoque illius sudariolo, proprio infecto sanguine, in Hispaniam, collectis vndique armatorum copijs, aduersus hostem, trucemque coniugem, vna cum fratre Clotario Suessionum principe, maturauit, eodem Christi Anno, superatoque Pyrenæo saltu, & Amalarico in acie apud Toletum capto, obtruncatoque, atque expilata regia suppellectile, in suam quisque sedem abducta in Franciam sorore, victores rediere; non tamen sine effuso sanguine. Montium enim incolæ, tantâ vi Francos, varijs onustos spolijs aggressi sunt, vt permulti vtrimque cæsi fuerint. Cæterum inter tot tantosque pretiosissimos thesauros, sexaginta numerabantur calices, quinde-

cim patenæ, & viginti Euangeliorum capſæ; omnia autem ex puro auro conflata erant, & gemmis exornata. *Gregorius Turonenſis, Aimoinus, & alij.* Iſidorus tamen aſſerit, Narbonæ, non autem in Hiſpania profligatum fuiſſe Amalaricum, quinto Imperij ſui anno, & Barcinonem fugere parantem, Narbonæ in foro iugulatum fuiſſe. Sub idem tempus ijdem Principes bellum indixerunt Burgundionibus, eiectoque eorum Rege Gundemaro, totam Prouinciam, victricibus armis ſubactam inter ſe partiti ſunt, *vt refert Agathias.*

Cabades Perſarum Rex Martyropolim ciuitatem profectus, magno militum numero obſidione cinxit, Anno Chriſti quingenteſimo trigeſimo ſecundo, Iuſtiniani Imperatoris ſexto, Athalarici Regis ſeptimo. Porro Martyropolis vrbs eſt maioris Armeniæ, cui Citharisan Caſtellum adiecit Iuſtinianus Imperator, vt habetur in Nouella 31. ſita autem eſt in Armenia, quæ Sophanine nuncupatur, iuxta fluuium Nymphium, *Procopio teſte.*

Beliſarius ad littus Africanum appellens, tertio expleto menſe, à quo ſoluerat Conſtantinopoli, ingentem, prope Carthaginem, duxit exercitum, Anno Chriſti quingenteſimo trigeſimo tertio, Iuſtiniani Imperatoris ſeptimo, Athalarici Regis octauo, dieque decima quinta Septembris, qua natalis Diui Cypriani, ciuitatis Epiſcopi Anniuerſariæ Vigiliæ agebantur, Ammata Gilimeris Tyranni fratre proſtrato, interfectoque Vrbem occupauit, ipſumque Gilimerem Vandalorum Regem, bellum iterum, collectis copijs, renouare parantem, cum Zanzone fratre ex Sardinia reuocato, penitus deleuit, Zanzone cæſo, coëgitque ad montem Numidiæ, Papuam dictum, confugere, vbi à Phara, Beliſarij Duce obſeſſus, grauique fame oppreſſus, ac tandem obſidentis poteſtati traditus, Carthaginem ad Beliſarium deductus fuit, Bellumque Vandalorum confectum, *vt vult Procopius de bello Vandalico.*

Iuſtinianus Imperator Francis in ſocietatem adſcitis, Gothicum bellum, ob crudelem, à Theodato Italiæ Principe, maturatum Amalaſunthæ Reginæ vitæ exitum, ſuſcepit, Anno Chriſti quingenteſimo trigeſimo quinto, principatus nono, Theodati Regis ſecundo; Dalmatiamque Gothis ſubie-

ctam, per Mundum Ducem clarissimum, inuadens, Solanam expugnauit, vniuersamque Siciliam, in suam ditionem, Belisarij singulari virtute, redegit.

Gothi, qui residui fuerant in Dalmatia, manus cum Romanis conserentes, Anno Christi quingentesimo trigesimo sexto, occiso Mundi filio, ipsoque etiam Mundo, Solonas recuperarunt; Legionisque Romanæ milites deficientes in Africa, Carthaginem diripuerunt, oppida, & agros euastarunt, totamque prouinciam, ferro, ac sanguine impleuerunt. Verum à Ducibus Symmacho, & Germano, profligato Sotza Tyranno, seditiosorumque auctore, perdomiti fuere. *Procopius de bello Gothico.*

Belisarius Syracusis soluens, Romamque cogitans, Neapolim ciuitatem in Campania munitissimam, sibique obuiam, post duram viginti dierum obsidionem, cepit, Anno Christi quingentesimo trigesimo septimo, Iustiniani Imperatoris vndecimo, Votigis Regis primo; Gothorumque ferocientes animos, ac tot triumphis superbientes fœliciter compescuit, *vt scribit Auctor citatus.* Tum Romanæ vrbis mœnibus admoto exercitu, ea, haud multo post facta ciuium deditione, potitus est, Gothis aduersa porta, fuga elapsis, Rauennamque petituris præter ipsorum Ducem Leuderem, qui cum capi potius, quam fuga subduci maluisset, ad Iustinianum Imperatorem missus fuit. *Euagrius asserit*, id accidisse quinto Idus Decembris, post annos sexaginta, quibus à Gothis occupata vrbs fuerat. *Illud ipsum tradit Nicephorus lib. 17. cap. 13. Anastasius autem ad quintum illius eiusdem mensis refert.* Quod contigit anno ex quo ab Erulis capta, sexagesimo expleto; à Gothis vero possessa, quadragesimo tertio.

Vitigis Gothorum Rex, desperata pace, contractisque, ex Italia, & Gallia, centum fere Gothorum, & quinquaginta, magnis itineribus aduersus Belisarium se contulit; vrbemque, mense Martio, Anni Christi quingentesimi trigesimi octaui, Iustiniani Imperatoris duodecimi, Vitigis Regis secundi, aggeribus, munitionibus, varijsque alijs operibus circumcinxit, oppugnauitque, mense tamen Iulio anni sequentis, castra, ab ea amouere coactus fuit, Belisario strenuè ipsam defendente. Cæterum toto obsidionis tempore, crebra fuere certamina, &

iterati conflictus, in quibus enituit maxime Thrasimundi cuiusdam Massagetæ equitis virtus; is enim frequentibus ex vrbe eruptionibus, Gothos tanta vi solus identidem aggressus est, vt sæpe victor ad suos regrederetur. *Procopius.*

Hunnorum exercitus, Istrum fluuium transmisere, multisque ciuitatibus oppugnatis, omnia vrbis vsque Constantinopolis suburbia cædibus, atque incendijs defœdarunt, Anno Christi quingentesimo trigesimo nono, Iustiniani Imperatoris decimo tertio, Vitigis Regis tertio; immensosque thesauros, cum centum, ac viginti captiuorum millibus abduxerunt; iteratisque denique hisce excursionibus, tantam Imperio cladem intulere, qualem nulla vnquam hactenus natio Barbara.

Mediolanum eodem anno à Gothis, quod Belisarij præsidium militare expetijsset, capitur, soloque æquatur, cæsis vt ferunt, trecentis hominum millibus. Cæterum Mediolanum vrbs est Insubrum in Italia metropolis, cæterisque omnibus, & magnitudine & ciuium copia, & alijs fortunæ bonis, Roma vnica, & Neapoli excepta, antecellens. Quidam Insubriam, alij Albam, alij vero Peutheciam, dictam fuisse volunt, *vt scribit Castilioneus.* Insubriæ meminit antiquus nummus Marci Valerij Messalæ. *Zacharias Lelius in suo orbis breuiario* credit Herculeam quoque à Maximiano Herculio nuncupatam fuisse.

Ciuilis belli flammæ exarsere in Gallia, Anno Christi quingentesimo quadragesimo, Iustiniani Imperatoris decimo quarto, Vitigis Regis quarto. Childebertus siquidem Francorum Rex, cum Theodeberto Theodorici filio, & Metensium Principe, in Clotarium fratrem, Suessionumque Regem, comparato numeroso exercitu, signa tulit, eductisque copijs, infestisque signis, ecce derepente, dum in agro Aurelianensi iam iam pugnaturi subsisterent, è sudo vdus, & è sereno tenebrosus aer, coruscantibus hinc inde fulminibus, nimbos grandine immixtos, horridè depluit, fœdumque imbribus diem, tonitrua, fulgetra, ac cælestes minæ vltra solitum turbauerunt. Itaque supremi numinis iras veritus vterque exercitus, conceptum furorem in hostem vertit. Sicque plerumque acies quas crebræ inter consanguineos inimi-

citiæ accendunt, diuini numinis voluntas dirimit. Fœlices Franci quibus officiosa laborat tempestas. *Gregorius Turonensis, & alij.*

Theodebertus Theodorici Metensium Regis, filius Iustiniani Imperatoris fastum iuste stomachatus, quod Francici cognomen cum reliquis deuictarum à se gentium nominibus publicis monumentis inscribi iussisset, Italiam inuadens, Picenum vsque Francorum copias conduxit. Verum vulgari ex lue, exercitu magnopere imminuto, abscessit inglorius. *Agathias lib.* 1.

Belisarius Gothos mirabili felicitate eodem Christi anno perdomuit, captaque Rauenna, Vitigem Regem Regno, patriaque atque libertate exutum, Constantinopolim abduxit. *Procopius.*

Chosroes Persarum Rex rupta pace, incensa Antiochia: ac Syria, magna populatione infestata, Iustinianum Imperatorem eò adegit, vt annuum tributum ipsi pensitare, magna cum ignominia spoponderit.

TRIVMPHI.

Amplissimum de Vandalis triumphum egit Constantinopoli Belisarius, Anno Christi quingentesimo trigesimo quarto, Iustiniani Imperatoris octauo, Athalarici Regis nono, cuius gloriam, decusque, ipse & aspectu decorus, & bellorum fama, terra, marique inclytus, & expressa ad viuum longo interuallo veterum triumphorum (nisi quod pedes ambularet) species, mirifice augebat. Adde puluinaria auro, gemmisque distincta; signa militaria, tapetes, mensas, pocula, vestes pretiosas, gemmea vasa, spolia augusta, exornataque trophæa, insignis victoriæ monumenta, ac captiuos ante se traductos, in primis Gilimerem Vandalorum Regem, qui cum Iustiniani Imperatoris, verendam solio in aureo, procerumque omnium comitatu stipatam maiestatem circumspexisset; ac populum vniuersum, magnis acclamationibus, tot victorijs illustrem Ducem salutantem audisset, in has erupit voces, [VANITAS VANITATVM, ET OMNIA VANITAS.] Nec prætermittam, quod idem princeps,

Sicilia tota bellicis auſpicijs recuperata , Syracuſas omnium ordinum applauſu ingreſſus fuerit, Anno Chriſti quingenteſimo trigeſimo quinto , nummorumque aureorum vim magnam, circumfuſæ multitudini effuderit.

REI INSIGNES.

Pompeius, & Hyppatius, Anaſtaſij quondam Imperatoris nepotes , affectatæ Tyrannidis rei , extincti fuere, Anno Chriſti quingenteſimo trigeſimo ſecundo, Iuſtiniani Imperatoris ſexto , Athalarici Regis ſeptimo. *Euagrio teſte.*

OBITVS ILLVSTRES.

Amalaricus Hiſpaniæ Rex bello captus à Childeberto Francorum Rege, Anno Chriſti quingenteſimo trigeſimo primo, Iuſtiniani Imperatoris quinto, Athalarici Regis ſexto interfectus fuit. Iſidorus tamen aſſerit eum Narbonæ in foro iugulatum , Viſigothorumque progeniem in illo defeciſſe, cum prole omni caruiſſet.

Clotildis Amalarici Regis vxor , Gallias cum fratre ſuo Childeberto repetens, obijt ſub itinere, eodem Anno. Dein Lutetiam delata in mauſoleo Clodouæi patris olim Francorum Regis, ſolemni ritu condita fuit. *Gregorius Turonenſis lib.* 3.

Cabades Perſarum Rex ſubrogato in locum ſuum filio Choſroe deſijt , Anno Chriſti quingenteſimo trigeſimo tertio, Iuſtiniani Imperatoris ſeptimo, Athalarici Regis octauo. *Procopius.*

Theodoualdus, & Guntharius, Clodomiri Aurelianorum Principis filij, Clodouæi auunculi dextera, cecidere.

Hildericus Vandalorum Princeps carcere detentus, Gilimere imperante, perijt eodem Anno Chriſti quingenteſimo trigeſimo tertio, Iuſtiniani Imperatoris ſeptimo.

Ammatas Gilimeri germanus occubuit in acie ſub idem tempus, ſequenti vero Anno Athalaricus Gothorum Rex in Italia, corruptis moribus adoleſcens , immatura morte, abreptus fuit principatus ſui octauo, *Auctor citatus.*


Amalaſuntha Regina rerum geſtarum gloria, & ſingulari eruditione

eruditione illuſtris, Theodati Italiæ Regis opera, licet ad ſummum honoris gradum, ab ea euectus fuiſſet, interijt, eodem Chriſti anno quingenteſimo trigeſimo quarto.

Conranus Scotiæ Rex, crudeli ſceleratorum quorundam hominum ferro transfoſſus, è viuis exceſſit anno proximo. *Leſlæus de rebus Scoticis.* Biennio poſt Theodatus Gothorum Rex in Italia. Hic enim dum capta Neapoli, fugam meditatur, à ſuis obtruncatus fuit, *vt refert Procopius.*

Theodo ſecundus, Boiorum Rex, vbi genti ſuæ pacem peperit, Boijſque hactenus ſine lare, ac focis, palantibus, vndique, ſedes fixas, ſtataſque aſſignauit, ac Noricum, & Vindeliciam Imperio ſuo adiecit, extremum clauſit diem, Anno Chriſti quingenteſimo trigeſimo ſeptimo, principatus ſui vigeſimo ſexto expleto, *vt vult Auentinus*, Iuſtiniani Imperatoris vndecimo, Vitigis Regis primo.





DECAS QVINTA.

IVSTINIANI IMPERATORIS Gesta.



Orem illum antiquum, ipsaque vetustate venerandum, quo singulis annis Consules creabantur, abrogauit, Anno Christi quingentesimo quadragesimo primo, principatus decimo quinto, Theodobaldi Regis primo. Et vero post Basilium Iuniorem hoc Anno consularibus fascibus ornatum, nullum alium Romanis in Fastis licet inuenire. Quamquam deinceps subinde, per interualla saltem, creatos constet; indignum ratus per Consules potius, quam per Augustos, annos numerari. Quam ob causam populorum odium subijt; Rei tamen inuidia ad Tribonianum quoque spectauit, qui cum, ea dignitate donari non posset (Ethnicus siquidem erat) illius antiquandæ auctor Iustiniano fuisse dicitur. *Nouella Iustiniani* 105. *de Consulibus.*

Audito nuntio de vrbis obsidione, facta à Totila Gothorum Rege in Italia; Belisarium qui in hostiles Persarum copias, arma susceperat, Italis, ac in primis Vigilio summo Pontifice efflagitantibus, reuocauit, vrbique iterum periclitanti, totique Italiæ, in subsidium misit, Anno Christi quingentesimo quadragesimo quarto, Principatus decimo octauo, Totilæ Regis tertio. *Procopius de bello Gothico.*

Massiliam, Arelatem, totiusque eius oræ maritima loca, Francis, cum omni iure, humanissime concessit, *vt refert Auctor citatus*, Asserens Francos, primos fuisse, qui aureos nummos, non Romani Imperatoris, vt cæteri pro more, sed Regum suorum impressa imagine, natiuo cuderunt metallo; Argenteum enim Persarum Regibus numisma facere quidem,

non autem propria ſignare effigie fas erat. Immo nec Barbarorum vllus Princeps, id præſtare auſus fuerat.

Liberium Patricium Germanum, magno cum exercitu in Italiam feſtinanter miſit, Anno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo, principatus vigeſimo quarto, Totilæ Regis nono; Iam ſiquidem Totias Gothorum Rex, Siciliam inuaſerat, magniſque cladibus afflixerat, *vt ſcribit citatus Auctor,*

CHILDEBERTI FRANCORVM Regis geſta.

MAgnam expeditionem aduerſus Theudem Gothorum Regem in Hiſpania regnantem parauit, Anno Chriſti quingenteſimo quadrageſimo ſecundo, Iuſtiniani Imperatoris decimo ſexto, Totilæ Regis primo; pietatemque, atque regias omnes virtutes ſumme, ſi vnquam hactenus, coluit. *Gregorius Turonenſis.*

HEROES

Sanguine, Geſtis, & Politia.

Conſtantinus Princeps, Arto, ſeu Arthuro Britanniæ Rege ex incto, rerum potitus eſt, Anno Chriſti quingenteſimo quadrageſimo primo, Iuſtiniani Imperatoris decimo quinto, Theodebaldi Regis primo; *Leſlaus, & Polydorus lib. 3.*

Theodebertus Theodorici filius, & Metenſium Rex, aureorum millia, ad Deſiderium Verdunenſem Epiſcopum miſit vt ciues ad extremas rerum anguſtias redactos, hacce pecunia viritim diſtributa ſubleuaret. *Gregorius Turonenſis, & alij.*

Beliſarius ob ingentem partam gloriam de Italia recuperata, Rauenna, & Vitige in poteſtatem redacto, ab æmulis inuidiam paſſus, atque in ſuſpicionem affectatæ Tyrannidis, ad Iuſtinianum Principem adductus, Conſtantinopolim reuocatur eodem Chriſti anno. Quò cum Vitige, Gothorumque proceribus, & Theodebaldi Italiæ tunc imperantis liberis, omnique pecunia, ac Regia ſuppellectile, Ildegere, Va-

leriano, Martino, & Herodiano Præfectis prosequentibus, se contulit: Triumphi tantum pompa verius, quam gloria, illi negata fuit. Mox in Orientem profectus, Chosroem Persarum Regem, ad pacem expetendam adegit. Anno autem Christi quingentesimo quadragesimo quinto, Iustiniani decimo nono, Totilæ quarto; è perfide in Italiam nauigans, Romam peruenit, quam viribus impar haud quaquam ingressus, Aemiliam petijt. Tandem vxoris precibus, Byzantium, ab Augusto excitus, Anno Christi quingentesimo quadragesimo nono, Iustiniani Imperatoris vigesimo tertio, suæ supestes famæ, non inglorius modo, verum etiam infœlix vixit, pœnas supremo numine patrati sceleris in Syluerium Pontificem, in quem sacrilegas manus iniecerat, exposcente. *Procopius.*

Damianus Iudæorum, atque Homeritarum Princeps, magni erat nominis. Adadus autem Auximitarum res administrabat in Æthyopia, *vt asserit Cedrenus.* Araricus Theodebaldo Gothorum Rege in Italia sublato, regia sumpsit insignia, Anno Christi quingentesimo quadragesimo secundo.

Totilas Theodebaldi nepos, ingenio, ac viribus præstans, Ararico post paucos menses funerato, Rex Italiæ renuntiatus fuit. Hic Anno Christi quingentesimo quadragesimo septimo, Iustiniani Imperatoris vndecimo, edictum sanciuit quo ciuium saluti, mulierumque pudori in vrbis irruptione, consultum fuit. Legatos insuper ad Iustinianum Imperatorem pro pace concilianda misit. Verum rem ad Belisarium, Augusto deferente, ita exarsit, vt vrbem solo æquare decreuerit, ab ea tamen mente, Belisarij litteris abductus fuit; muros nihilominus ex parte diruit; filiamque Childeberti matrimonio sibi iunxit, Anno Christi quingentesimo quinquagesimo. *Procopius.*

Antala, interempto Stoza in Africa Tyranno, in eius locum subrogatus fuit, Anno Christi quingentesimo quadragesimo quarto, Iustiniani Imperatoris decimo octauo, Totilæ Regis quinto. *Sigebertus.*

Areobindus, cui sororis Imperatoris filia nupta fuerat, in Africam missus est, Anno sequenti. Guntharis vero Dux, cuius ope, Vandali aduersus Mauros militabant, principa-

tum sub idem tempus occuparat in Africa.

Theodegisclus, *vt vult Vasæus in Chronico*, aut Theudisclus, *vt Mariana*, ob spectatam rebus in bellicis virtutem, ac generis nobilitatem, ex sorore enim Totilæ Ostrogothi genitus, procerum suffragijs Theude defuncto, Visigothorum genti præficitur, Anno Christi quingentesimo quadragesimo octauo, Iustiniani Imperatoris vigesimo secundo, Totilæ Regis septimo. *Auctor citatus.*

Mensibus septemdecim expletis, Agila Visigothis imperauit, *vt testatur Isidorus*, Theodogisclo super epulas cæso. Hic aduersa fortuna, ad vitæ vsque exitum fœdissime iactatus fuit. Illi Asiscli Martyris grauia piacula exigentis numen, ob templum suburbanum, quod ad Cordubam eius nomine erat, immissis, proh scelus, regijs iumentis, violatum, apparuit. *Isidorus, Vasæus, Michael Ritius, & alij.*

Lechus, Slauicæ totius nationis consensu Poloniæ Rex creatus fuit, Anno Christi quingentesimo quinquagesimo. Quot vero annis Regnum tenuerit, obscurum est. Hoc tantum de eo, certo habemus *ex Reynardo Vapouio*, quod ipsius posteritas, centum circiter, & quinquaginta annis, Poloniæ imperarit, ad annum scilicet septingentesimum. *Salomon Neugebauerus à Sadano.*

VIRI ERVDITI.

Priscianus patria Cæsariensis, Grammaticus celeberrimus, Philosophus clarissimus, ac latinæ linguæ peritissimus, floruit hoc tempore, *vt testatur Philippus Bergomensis.* Trithemius tamen scribit eum vixisse tantum, Anno Christi quingentesimo quadragesimo. Multa, variaque eruditè scripsit, ac præcipue de octo partibus orationis, libros sexdecim. De constructione earundem duos. De accentibus tàm nominum, quàm verborum. De ponderibus, & mensuris. De præexercitamentis Rhetoricorum. De versibus comicis. De naturalibus quæstionibus, ad Chosroem Regem Persarum, & de Cosmographia.

Simplicius Philosophus insignis, ex Phrygia natus, commentarios Græcos edidit in Aristotelis Physicæ auscultationis

libros octo. In quatuor etiam libros de cœlo, & tres de anima eiusdem Philosophi, ac decem Prædicamenta. In Enchiridion Epicteti. In tres libros Iamblichi, atque De secta Pythagorica. Adde commentariolum de Syllogismis, & initium commentariorum de anima.

Victor Capuanus Episcopus multiplici eruditione excultus, nobis quædam de sex ætatibus reliquit, & de Cyclo Paschali.

Priscianus Lydus Theophrasti libros de sensu, phantasia, & intellectu, docte nitideque exposuit; *vt habetur apud Gesnerum.*

Aurelius Cassiodorus summæ doctrinæ vir, Chronicon perbreue ab ortu mundi, ad Annum vsque Christi quingentesimum nonum, id Theodorico Italiæ Rege expetente, composuit. Libros insuper de rebus gestis Gothorum, duodecim. De anima, vnum. De Orthographia, vnum. De Etymologijs, vnum. De Schemmatibus, & tropis, vnum. Rhetoricæ compendium. Catalogum Cōsulum Romanorum. Compendium Mathematicæ. Libros Epistolarum duodecim, & orbem liberalium discipulorum. *Vide, supra hac de re, B. Rhenanum in præfatione Procopij.* Reliqua pia opera habes *in sacra mea Historia.*

REGNORVM ORTVS.

Northumbriæ Regnum cœpit, Anno Christi quingentesimo quadragesimo octauo, Iustiniani Imperatoris vigesimo secundo, Totilæ Regis septimo; quod quidem postea in duo diuisum fuit, Berniciorum scilicet, sub Rege Ida, qui haud multo post Imperij fines, à flumine Humbro, vsque ad fretum Scyticum, propagauit. Et Deirorum sub Alla, seu Ella Principe. Porro regnum Northumbriæ stetit vsque ad Egbertum Vestsaxonum, qui eo potitus, est anno Christi octingentesimo vigesimo octauo, durauitque annis fere ducentis octoginta. *Matthaus Vestmonstrariensis.*

OPERA PVBLICA.

Hospitale, cui nomen Sanson, flammis penitus exhaustum,

& structura splendidiore augustius, & loci amplitudine magnificentius, reposuit Iustinianus Imperator, Anno Christi quingentesimo quadragesimo primo, Principatus sui decimo quinto, Theodobaldi Regis primo. Sequenti vero Antiochiam ciuitatem, funesto, à Chosroe Persarum Rege, incendio deformatam, non solum restituit idem Princeps, sed etiam munitiorem, & theatris, ac balneis, ædificijsque, tùm priuatis, tùm publicis longe illustriorem reddidit. *Procopius de ædificijs Iustiniani Imperatoris.*

Totila Italiæ Rex, vrbem igne ferroque vastatam, maximis restaurauit sumptibus, Anno Christi quingentesimo quinquagesimo, Iustiniani Imperatoris vigesimo quarto, *vt refert Auctor citatus lib. 3. de bello Gothico.*

PRODIGIA,

Horrendum maxime, signa varia in cœlo visa, Gallis omnibus, incussere terrorem, Anno Christi quingentesimo, quadragesimo tertio, Iustiniani Imperatoris decimo septimo. Ipso siquidem Paschatis die ingens cometa apparuit; cœlum crebris, magnisque flammis exarsit; Sanguis è nube largiter fluxit; vestimenta denique rubei coloris maculis aspersa. *Buzelinus lib. 1. Annalium Galloflandriæ.*

In Albione cruentæ herbæ conspectæ in agro Eboracensi. Vitulus biceps non procul à Cameloduno natus. Agnus item masculus, & fœmella. Sol adulta die sanguineum prætulit colorem. Ingens Cornicum numerus dimicauit in Gualia, secutaque auium cædes tanta, vt nullam aliam maiorem, ætas audierit. *Hector Boëtius.*

Hæc autem omnia portenta grauissimi belli prænuntia fuere, Anno Christi quingentesimo quadragesimo quinto, octauo vero principatus Eugenij Scotiæ Regis.

CALAMITATES.

Vulgaris lues magna hominum strage totum Orientem compleuit, Anno Christi quingentesimo quadragesimo quarto. *Euagrius lib. 4. cap. 18.* vbi asserit eam non solum vastum il-

lum tractum, sed etiam vniuersum terrarum orbem, Annis quinquaginta depastam fuisse. Sola Constantinopolis ciuitas, singulari B. Mariæ Virginis deprecatione, leuamen experta fuit, cum in ea feralis ille morbus tribus tantum mensibus, grassatus fuerit: eapropter, dies secunda Februarij, solemni cum apparatu, in ipsius honorem, ac perpetuam tanti beneficij memoriam, religiosissimè colebatur, vt tùm Græci, tùm Latini Scriptores, præter publicas tabulas, amplissime referunt. *Miscella lib. 15. Nicephorus, Cedrenus, Sigebertus, & alij.*

RES BELLICÆ.

Damianus Hebræorum, & Homeritarum Rex, acie captus ab Adada Auximatarum in Æthyopia Principe, Regno exuitur, Anno Christi quingentesimo quadragesimo primo, Iustiniani Imperatoris decimo quinto, Theodobaldi Regis primo, *vt scribit Cedrenus.*

Totila Italiæ Rex quinque tantum militum conscriptis millibus, bis apud Fauentiam, in Æmilia primo, inde apud Florentiam in Tuscia, collatis signis, Romanos Duces profligauit, Anno Christi quingentesimo quadragesimo secundo, Iustiniani Imperatoris decimo sexto, principatus sui primo. Florentiam tamen inuadens sub idem tempus, repulsus fuit à Iustino. *Procopius.*

Childebertus, & Clotarius Francorum Reges, & Clodouæi filij, validissimas copias aduersus Theudem Arrianum hominem, Gothis apud Hispaniam imperantem, duxerunt eodem Christi Anno. Terraconensique prouincia longè, latèque vastata, vrbs Cæsaraugusta, graui obsidione fatigata, ad Vincentij Martyris, in cuius prouincia erat, opem confugit. Viri lugubri veste, fœminæ vero sparsis crinibus fœdatæ cinere, circa muros ciuitatis, publica supplicatione diebus singulis instaurata, tunicamque Vincentij circumferentes, supremum numen implorabant; qua re ex captiuo cognita, Franci animos ab omni iniuria temperarunt. Dein Gallias repetentes, Vincentij Martyris sacras reliquias, quas à ciuibus impetrarant, deuexerunt. *Gregorius Turonensis, & alij.*

Samnio, Campania, Apuleia, Calabria, alijsque prouin-

cijs,

cijs, atque ciuitatibus potitus est Totila Rex, Anno Christi quingentesimo quadragesimo tertio, Iustiniani Imperatoris decimo septimo, ipsamque Neapolim obsedit, cuius ciues audito nuntio, quod classis à Iustiniano Principe, in auxilium missa, fœdissima tempestate disiecta fuisset, atque naufragium passa, militesque fere omnes, in Gothorum, qui littora circumierant, potestatem venissent, deditionem haud cunctati fecerunt. *Procopius.* Sequenti vero Anno castra ad vrbem admouit.

Chosroes in Romanos fines irrumpens, Sergiopolim Syriæ ciuitatem ad Euphratem, centum viginti stadijs à Sarro, Austrum versus distantem, expugnare tentauit. Hæc tamen S. Sergij patrocinio defensa, illæsa permansit. *Euagrius lib.* 4. *cap.* 14. Exercitus Iustiniani Principis aduersus Persas, ad internecionem pene deletus fuit, eodem Christi Anno quingentesimo quadragesimo quarto. Tibure proditione capta Anno proximo. Persæ Mesopotamiam varijs eodem Anno funestarunt cladibus, Edessamque magna oppugnarunt vi, sed irrita, *vt asserit Auctor citatus.*

Spoletum obsidet Totila Rex, Anno Christi quingentesimo quadragesimo sexto, Principatus sui quinto, Iustiniani Imperatoris vigesimo, nec multo post in deditionem accepit. Tum Perusiam Hetruriæ vrbem, ab Achæis conditam profectus est, quam septem menses frustra obsessam, dolo tandem, Cripriano, cui vrbis custodia commissa fuerat, interempto expugnauit. Anno autem sequenti Romam se contulit, cuius ciues iam fame pene confecti; profligatis insuper, à Barbaris, qui Constantinopoli subsidio missi fuerant, Græcis militibus, nulliusque auxilij spe subnixi, hosti vrbem tradidere. Ad belli vero reliquias persequendas profectus, apud Lucanos primum, mox Calabros depugnauit.

Belisarius infero mari, ad ostia Tyberina classe inuectus, diebus quadraginta emensis, vrbem aggressus, ingressusque, eam incredibili celeritate restaurauit, fossisque ita muniuit, ciuibus ab exilio reuersis, omnique ope reficiendæ patriæ intensis; vt reuertentem Totilam ad ipsius oppugnationem, mira fœlicitate repulerit. *Procopius lib.* 3. *de bello Gothico.*

Sclauini transmisso Istro, Illyricum occuparunt, Anno

H

Christi quingentesimo quadragesimo octauo, Iustiniani Imperatoris vigesimo secundo. Proximo autem, reuocato in Græciam Belisario, tota fere Italia iterum cessit Gothis; Imperiumque occidentale collapsum, Barbaris, qui tunc & Pannonias, & Syrmiam inuaserant, vndique ingruentibus.

Longobardi in finitimas regiones irruperunt, Dalmatiamque, atque Illyricum, Epidamnum vsque depopulati sunt, Anno Christi quingentesimo quadragesimo nono, pleraque, in Venetorum tractu, loca ceperunt, cum nec Romani ea tueri, nec Gothi, vtrisque bellum inferre possent.

Isaurorum proditione, vrbem iterum, cæsis Romanis, Totila occupauit, Anno Christi quingentesimo quinquagesimo, Iustiniani vigesimo quarto, principatus sui nono. Sclaui rursum Istro transmisso, Illyricum, atque Thraciam peruastarunt, prædaque onusti ad propria remearunt. *Procopius.*

REI INSIGNES.

Ioannes Patricius Cappadox, Iustiniano Imperatori percarus, ab eo enim & Consulatus infulis, & Prætura Prætorij donatus fuerat, bonis omnibus ob suspicionem exutus in exilium Cyzicum missus fuit, Anno Christi quingentesimo quadragesimo octauo, Iustiniani Imperatoris vigesimo secundo, Totilæ Regis septimo. *Ita Auctor citatus.*

OBITVS ILLVSTRES.

Artus siue Arthurus Britannorum Rex desijt, Anno Christi quingentesimo quadragesimo primo, Iustiniani Imperatoris decimo quinto, Totilæ Regis primo. *Leslæus, Hector Boëtius, & alij.*

Theodebaldus Italiæ Rex perijt, Anno sequenti, in cuius locum Araricus suffectus fuerat. *Procopius.*


Stoza Tyrannus in Africa, Romanorum dextera occubuit, Anno Christi quingentesimo quadragesimo quarto, Iustiniani Imperatoris decimo octauo,

Areobindus filiæ sororis Imperatoris coniux, à Guntharide Africæ Tyranno, sub quo Vandali aduersus Mauros milita-

bant interemptus fuit in Africa, Anno Christi quingentesimo quadragesimo quinto, Iustiniani Imperatoris decimo nono, Totilæ Regis quarto. Guntharis autem diebus triginta post ab Artabane periJt. *Auctor citatus.*

Theudis Gothorum Rex in Hispaniaense confossus, Anno Christi quingentesimo quadragesimo octauo, principatus decimo septimo & mensibus quinque è viuis sublatus fuit; *Rodericus Toletanus, & alij.*

Theodora Augusta Iustiniani Imperatoris vxor, naturæ concessit, eodem Christi Anno; proximo vero Theodegisclus, seu Theudisclus, impetu in Regiam facto, cecidit Hispali inter epulas; *vt referunt Auctores citati.*





DECAS SEXTA.

IVSTINIANI IMPERATORIS *Gesta.*



Vdæis, qui sacram legem, nulla alia lingua quam Hebraïca doceri prohibuerant, quò facilius magistri rudibus, atque imperitis, venena sua instillarent, præcepit, Anno Christi quingentesimo quinquagesimo secundo, principatus vigesimo sexto, vt suæ religionis mysteria, quocumque idiomate siue Græco, siue vulgari aperirentur. *Nouella* 146.

Narsetem virum bello clarissimum, contra Gothorum hostiles copias, armauit, Anno Christi quingentesimo quinquagesimo tertio, Principatus vigesimo septimo; ciuitatemque Cæsariensem proconsularibus fascibus nobilitauit. Sequenti vero edictum de rebus Italiæ ad Antiochum Italiæ Præfectum misit. *Procopius.*

Pacem à Persis tot expetitam votis, concessit, Anno Christi quingentesimo quinquagesimo septimo, Principatus trigesimo primo. Iustinum insuper nepotem suum Colchidi, & Armeniæ præfecit, *vt docet Agathias.*

Morum in ciuibus emendationem, salutari edita sanctione procurauit, Anno Christi quingentesimo quinquagesimo octauo, principatus trigesimo secundo, qua blasphemos omnes, & in ipsam naturam peccantes, grauiter coerceri voluit, melioremque ad frugem traduci. Cumque nonnulli, etiam senatorij ordinis, atque sacerdotales viri, infandæ huius libidinis comperti fuissent, pudendis exsectis, aut acutis calamis genitalium meatibus terebratis, exuti vestibus, in forum producti fuere. *Ita Cedrenus.*

Praſinis ſub idem tempus factionibus, contra Venetas, adeo fauit, vt eis non ſolum aduerſarios impune trucidare, verum etiam in ipſos magiſtratus, qui eos ſupplicio mulctare vellent, inſurgere, immo in alienas ædes irrumpere, & theſauros cuiuſcumque diripere permiſerit.

Graui correptus morbo, in extremis fuit, eodem Chriſti Anno quingenteſimo quinquageſimo octauo, principatus trigeſimo ſecundo. Eapropter variæ euerſæ domus; Artificum officinæ diffractæ; ſanguis innoxius vbertim effuſus. Mox tamen reſtituto priſtinæ ſanitati Auguſto, reſtituta etiam ipſi vrbi fuit antiqua tranquillitas. *Cedrenus, & alij.*

HEROES

Sanguine, Geſtis, & Politia.

Germanus vir multarum virtutum gloria, ac præcipue militari illuſtris, magnæ erat famæ apud Iuſtinianum Imperatorem, in eo ſiquidem ſolo, ſpes omnis recuperandæ Italiæ collocata erat, *vt teſtatur Procopius lib. 3. de bello Gothico.*

Theodebaldus Theodorico parente atque Metenſium, & Auſtraſiæ Rege, extincto, purpuram ſumpſit, Anno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo ſecundo, Iuſtiniani Imperatoris vigeſimo ſexto, Totilæ Regis decimo.

Parthenius tanto erat in pretio, vt ei à Theodeberto Regni totius cura commiſſa fuerit.

Theias princeps fortiſſimus, Totila Oſtrogothorum Rege in Italia ſublato, Rex vltimus creatus fuit, Anno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo tertio, Iuſtiniani Imperatoris vigeſimo ſeptimo.

Athanagildus, Agilæ Viſigothorum Principi in Hiſpania ſucceſſit biennio poſt, ſignaque in Romanos, qui tùm icti fœderis beneficio, tùm virtute, & armis, non exiguam Hiſpaniæ partem occuparant, immo ad vtriuſque maris littus, ditionem ſuam propagarant, fortiter intulit, *vt vult Iſidorus.*

Connanus, Conſtantino defuncto, regijs in maiori Britannia ornatus fuit inſignibus, Anno Chriſti quingenteſimo, quinquageſimo quinto, Iuſtiniani Imperatoris vigeſimo nono.

Bucellinus, seu Bulsinus Alemannus, Francorum exercitum ducebat in Campania sub Theodebaldi Metensium Regis auspicijs.

Clotarius qui duas sibi antea sorores iunxerat, & è quibus filij septem enati fuerant, Vuldetradam Theodebaldi nepotis vxorem in coniugem accepit, eodem Christi Anno. Illam tamen paulo post Griualdo Duci tradidit. *Gregorius Turonensis.*

Chramnus in Clotarium parentem suum funesta moliens, Childebertum patruum in societatem sibi iunxit, Anno Christi quingentesimo quinquagesimo sexto, Iustiniani Imperatoris trigesimo. Captus dein, ac vinculis ferreis onustus, libertati pristinæ restitutus fuit, Anno Christi quingentesimo quinquagesimo nono, Iustiniani Imperatoris trigesimo tertio.

Narses Eunuchus Persa, Dux summè illustris, adeoque religiosus, vt nunquam manus cum hostibus conserere voluerit, nisi purgato prius rite Christiano exercitu. Quam ob rem, B. Virginis ope, præclara quæque, atque illustria præstitit in prælijs facinora. Aduertant hic omnes qui bellicis rebus præsunt, cuius præsidio niti debeant. *Euagrius lib. 4.*

Ida Berniciorum in Northumbria Rex, primus Imperij fines, magna fœlicitate propagauit; tantumque gloriæ, toto duodecim annorum decursu, quo ipse rexit, adeptus est, vt populis finitimis, & admirationi, & fortitudini fuerit. *Matthæus Vuestmonasteriensis.*

Alla, seu Ella Deirorum genti in Northumbria imperabat, eodem anno, *vt asserit Auctor citatus.* Iustinus, Iustiniani Imperatoris nepos Colchidi regioni Asiæ, iuxta Pontum, & Armeniæ, Caucasum inter, & Taurum sitæ præficitur, Anno Christi quingentesimo quinquagesimo septimo, Iustiniani Imperatoris trigesimo primo.

Vortiperius, interfecto Aurelio Connano patre, in Britannia Rege, Regnum occupauit, *Polydorus.* Zaberga Catrigurorum Hunnorum Præfectus fama præstans, atque re militari insignis habebatur apud omnes proceres.

Theodomirus, qui & Charraricus apud Gregorium Turonensem nuncupatur, Sueuorum res administrare cæpit in Gallicia, Anno Christi quingentesimo sexagesimo, *vt docent rerum Hispanicarum Scriptores.*

Addas, Ida Berniciorum Principe, & parente demortuo, in Regem inauguratus fuit. Nec omittam Lechum Poloniæ Regem omnium procerum consensu creatum fuisse, eodem Anno, *vt placet Salomoni, Neugebauero, & Cadano.*

VIRI ERVDITI.

Machutus Combrius, seu Machonius vt volunt aliqui, natione Britannus, vir singulari doctrina percelebris, scripsit librum vnum Epistolarum.

Melchinus Auolonius, poëta, Historicus, & Astronomicus famosus, librum de antiquitatibus Britannicis composuit. Alium de gestis Britannorum; tertium vero de Arthuri mensa rotunda. *Pitheus de illustribus Britanniæ Scriptoribus.*

Dacius Episcopus Mediolanensis, Chronicon contexuit teste *Gregorio lib. 3. dialogorum cap.* 4. Hermias Philosophus insignis, quædam in Gentiles Philosophos edidit, *vt habemus in Gesnero.*

Agathias Scholasticus Smyrnæus, Historiam de rebus Iustiniani Imperatoris, post Procopium Cæsariensem elucubrauit, attigitque non solum ea quæ sub Belisario, sed etiam quæ in Italia sub Narsete, & Lazorum regione, atque Byzantio, contigere; alios insuper libros tum metricos, tum oratorios in lucem dedit, inter quos Daphnica laurea, & nouorum Epigrammatum orbis, à Maximo Planude lasciuioribus resectis castigatus, *vt refert Suidas.*

Iordanis, seu Iornandes Gothorum Historiam libris duobus complexus est; in quorum primo Romanorum gesta, in secundo vero, Gothorum originem, præclaraque facinora, ad ipsorum vsque Regni occasum, recenset.

REGNORVM OCCASVS.

Theia Principe cæso, Regnum, nomenque Ostrogothorum in Italia deletum est, Anno fere à quo ortum fuerat, sexagesimo, Christi autem quingentesimo quinquagesimo tertio. *Procopius de bello Gothico.*

OPERA PVBLICA.

Lechus Poloniæ Rex nobile illud oppidum, Guesnæ nomine nuncupatum, condidit, Anno Christi quingentesimo quinquagesimo tertio; *Vaponio teste.*

Restaurata item fuere à Iustiniano Imperatore collapsa, terræ-motu, regiæ vrbis ædificia, ac præcipue Sophiæ templum, illustrius longe, summaque cura, atque impensa repositum cum hac inscriptione.

[TVA DE TVIS OFFERIMVS SERVI TVI, CHRISTE, IVSTINIANVS, ET THEODORA, EA TV PROPITIVS ACCIPE, FILI DEI VERBVM, QVI NOSTRA CAVSA CARNEM ASSVMPSISTI, ET CRVCI AFFIXVS FVISTI, AC NOS IN TVA FIDE CONSERVA, ET QVAM NOBIS COMMISISTI REMPVBLICAM, AVGE ET TVERE, INTERCEDENTE DEIPARA VIRGINE MARIA.] *Vide Euagrium atque Procopium hac de re.*

PRODIGIA,

Cetus Porphirius dictus, & Byzantijs vltra quadraginta annos grauiter molestus, cum & naues identidem submergeret, & hominibus passim exitium afferret, ad terram tandem prouectus, in profundum lacum, ex quo nulla vi extrahi poterat, incidit, quo audito nuntio, accolæ turmatim accurrentes, securibus, atque bipennibus, marinum illud, funestumque monstrum, cuius longitudo triginta erat cubitorum, latitudo vero decem, fœliciter confecerunt. *Procopius.*

CALAMITATES.

Romana classis quæ contra Calabriam mittebatur, funesto, in ostijs Adriatici maris, perijt naufragio, Anno Christi quingentesimo quinquagesimo secundo, Iustiniani Imperatoris vigesimo secundo, Totilæ Regis decimo.

Constantinopolis quadraginta dierum spatio vehementer concussa

concussa fuit anno sequenti, multæque vrbes solo æquatæ, inter quas, Berythus in Phœnicia; immo & Alexandria Ægypti, solo licet, hisce terræ concussionibus, minime obnoxio, *vt refert Agathias, lib. 2. Miscella lib. 16. & Cyrillus in vita S. Sabæ.*

Magna item eadem ciuitas Constantinopolis tùm hominum, tùm ædificiorum, præsertim S. Sophiæ templi strage deformata fuit, Anno Christi quingentesimo quinquagesimo septimo; rem tuitus præ cæteris, *narrat Agathias lib.* 5. Proximo demum Anno, pestis adeo desæuijt vt regia vrbs funeribus pene exhausta fuerit.

RES BELLICÆ.

Sclauini Barbari, Romano exercitu, apud Hadrianopolim, profligato, Thraciam impunè populati sunt, Anno Christi quingentesimo quinquagesimo primo, Iustiniani Imperatoris vigesimo quinto, Totilæ Regis nono. Sequenti vero incursiones, in Romanos fines, longè lateque factæ.

Corsica, & Sardinia Insulæ occupatæ à Gothis, qui postea è Sicilia expulsi, belloque nauali deleti fuere. Gepidæ item à Longobardis prostrati; & Tarentum à Gothis captum, recuperatum, Anno Christi quingentesimo quinquagesimo tertio, Iustiniani Imperatoris vigesimo septimo. *Procopius.*

Narses eodem Anno obstructis licet, à Francis, Gothisque, itineribus, Byzantio egressus, Rauennam incolumis appulit. Tum Rubiconem fluuium traijciens, Gothorum Duce interempto, in Hetruriam terrestribus cum copijs profectus est, vbi Totilam inuictum hactenus Regem, magnisque victorijs inclytum, sibi cum ingenti exercitu occurrentem, collatis signis cæcidit. Dein nobilissimis Italiæ ciuitatibus, immo ipsa Roma (cuius claues ad Iustinianum Imperatorem misit) breui potitus est; Gothorumque bellum quod ad decimum vsque octauum annum durarat, confectum, & reddita Imperio Italia, cuius legibus Gothi se submisere. *Auctor citatus de bello Gothico.*

Iustiniani Imperatoris copiæ apud Colchos turpiter à Persis prostratæ, Anno Christi quingentesimo quinquagesimo quar-

to, principatus vigesimo octauo. Sequenti vero, pari fortuna pugnatum, à tribus siquidem Persarum millibus, Romanorum quinquaginta circiter millia cæsa fuere, *vt asserit Agathias.*

Theobaldi Mediomatricum, & Austrasiæ Francorum Regis Duces Italiam ingressi, Campaniam, Lucaniam, & Brutios euastarunt. Dein vulgari lue correpti, mirum in modum imminuti fuere; tantaque clade à Græcis, Narsete Duce, attriti, vt quinque, & non amplius, ex septuaginta fere hominum millibus, in Galliam remearint. *Ita citatus Historicus,* qui hanc, in vrna lapidea, inscriptionem, tantæ victoriæ monumentum, ad Castilini fluminis ripam, inuentam refert.

[AQVAS CASILINI FLVMINIS, MORTVIS GRAVATAS, SVSCEPIT TYRRHENI MARIS LITTVS, QVANDO FRANCORVM GENTEM OCCIDIT AVSONIVS ENSIS, VBI MISERO, HÆC GESSIT MOREM BVLTINO. FÆLIX ETIAM ISTE FLVVIVS, ET ERIT BARBARICO PRO TROPHÆO, DIVTINE ERVCTANS SANGVINEM.]

Tumultuatum est eodem anno à Iudæis, & Samaritanis in Palæstina, Cæsareæque in primis, qua in vrbe Præfectus interfectus fuit. Verum ab Adamantio militiæ Magistro, Augusti iussu grauiter in eos animaduersum. *Miscella.* Liberius Patricius ex Gallia missus, ingenti prælio, ad Hispalim pepugnauit, victusque Agila Visigothorum Rex in Hispania.

Romanus exercitus insignem de Persis victoriam retulit in Colchide, Anno Christi quingentesimo quinquagesimo sexto, Iustiniani Imperatoris trigesimo. *vt vult Agathias.* Ciuile bellum inter Clotarium & Childebertum exortum est, eodem anno. Haud multo post Chramnus in patrem, qui aduersus Saxonas rebellantes copias duxerat, euocato in auxilium Childeberto patruo suo, arma mouit. *Sigebertus, Gregorius Turonensis, & Aimoinus.*

Prospere aduersus Mysianos, qui à Romanis ad Persas defecerant; pugnatam est, Anno Christi quingentesimo quinquagesimo septimo, Iustiniani Imperatoris trigesimo primo; quo emenso, ineunte hyeme, facta est noua Hunnorum eua-

ſtatio, Duce Zaberga, quæ tota pene Græcia, atque Thracia, nemine obſiſtente, miſeranda ſtrage afflicta fuit. Iamque ipſi regiæ vrbi Conſtantinopolitanæ, idem periculum imminebat, cum Beliſarius clariſſimus Dux, varijſque trophæis celeberrimus, ſenio licet confectus, conſcripto tumultuariò exercitu, in hoſtes maturauit, eoſque deuictos, annuo promiſſo tributo, ad propria remiſit. *De ijs fuſius Agathias.*

REI INSIGNES.

Ruſticus, & Ioannes Duces Romani exercitus, ob necem ab eis Colchorum Regi, Romanique Imperij ſocio, illatam, capite damnati fuere, Anno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo, Iuſtiniani Imperatoris primo, *Agathias.* Perſarum item exercitus Dux ob rem male geſtam, Choſrois Regis iuſſu excæcatus fuit.

OBITVS ILLVSTRES.

Germanus inſignis Ductor Romani exercitus obijt, Anno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo primo, Iuſtiniani Imperatoris vigeſimo ſexto.

Theodebertus Metenſium, & Auſtraſiæ Rex, filiuſque Theodorici, & Childeberti Francorum Regis nepos, Italiam infeſtis armis inuadens è viuis ſublatus anno ſequenti fuit, *vt ſcribit Gregorius Turonenſis.*

Parthenius Francorum odio flagrans, ob tributa impoſita, Theodeberto Rege imperante, cui erat percarus, lapidibus obrutus fuit.

Totila Oſtrògothorum Rex in Italia cecidit in belli conflictu, Anno principatus ſui decimo, Chriſti autem quingenteſimo quinquageſimo tertio, Iuſtiniani Imperatoris vigeſimo ſeptimo.

Theias eius ſucceſſor eodem anno à Narſete occiſus fuit. Anno vero poſt Clotildis Clodouæi quondam Regis vxor ſanctiſſima, fœminarumque decus eximium, ac tot Regum, filiorumque parens, fatis conceſſit apud vrbem Turonicam. *Gregorius.*

Theobaldus Mediomatricum, & Austrasiæ Princeps, Theodeberti filius, cuius auspicijs bellum in Italia gerebatur, immatura morte, adhuc adolescens abreptus fuit, Anno Christi quingentesimo quinquagesimo quinto, Iustiniani Imperatoris vigesimo nono.

Agila Visigothorum Rex in Hispania, ferro Emeritæ confossus, perijt vt asserit *Rodericus, Isidorus, & Visigothorum Chronicon*. Constantinus Rex in maiori Britannia decessit eodem Christi Anno.

Connanus Britanniæ Princeps interfectus fuit, Anno Christi quingentesimo quinquagesimo septimo, Iustiniani Imperatoris trigesimo primo. *Polydorus lib. 3.*

Ida denique Berniciorum in Northumbria primus Rex decessit, Anno Christi quingentesimo sexagesimo, Iustiniani Imperatoris trigesimo quarto. *Ita citatus Auctor.*

FVNERA.

Sanctissimæ Clotildis Francorum quondam Reginæ cadauer, Turonis, vbi à morte Clodouæi coniugis sui, reliquum vitæ tempus, ad obitum vsque perduxerat, Parisios funebri pompa, atque apparatu lugubri delatum fuit, & in templo D. Petri, nunc. Genouefæ, ab eadem Regina extructo, supremis honoribus conditum, Anno Christi quingentesimo quinquagesimo tertio, Iustiniani Imperatoris vigesimo septimo, *vt refert Gregorius Turonensis, lib. 3.*

DECAS SEPTIMA.

IVSTINIANI IMPERATORIS Gesta, & Obitus.



Oniuratione Procerum appetitus, Anno Christi quingentesimo sexagesimo primo, vitæ periculum adijt. Biennio post in Hæresim Aphtardocitarum, Christi scilicet carnem ita esse corruptionis expertem, asserentium, vt humanis affectionibus careret, incidit; edictumque de ea tulit, quod tamen, vt volunt aliqui, non euulgauit.

Ægra valetudine, senioque confectus Iustinum ex filia nepotem, Imperij consortem fecit, fauentisque fortunæ signum, in illius cubiculum pro more solemni transferri iussit. Dein morbo ingrauescente, vt virtutum laude, ita & vitiorum labe conspicuus, è vita excessit, Anno Christi quingentesimo sexagesimo quinto, principatus sui trigesimo octauo, & mensibus octo, *vt docet Gregorius*, vel mensibus septem & diebus decem, *vt scribit Auctor Miscellæ*, aut tredecim, *Cedreno teste*.

ICON
IVSTINIANI IMPERATORIS.

IVstinianus ex Bederiana Illyrica ciuitate, Iustini senioris hæres, Magnusque, ob ingenij, animique magnitudinem appellatus. Vir in scrutandis rebus solers, & acutus; in peragendis impiger; in pecunia effundenda immodicus; in congerenda intemperantissimus; moribus varijs, varijsque vitijs temperatus; cares enim, & ad pietatem, & ad religionem habuit impetus, vt innumerabilibus rescriptis, quibus Ecclesiæ maximè

consuluit, testatum nobis reliquit. Orientem ætate iam maturus, vel fœlicitate, vel sapientiæ fama tenuit, veteremque Imperij Romani gloriam amplissime auxit. Persas qui Mesopotamiam, Cœlesyriam, Syriamque deprædati fuerant, Belisarij opera, fudit, fugauitque. Romam à Gothorum seruitute asseruit. Africam expulsis Vandalis, orbi Romano restituit. Narseteque Duce, Ostrogothorum nomen deleuit. Quam ob rem, Persici, Gothici, Vandalici, & Africani cognomina sumpsit. Ex immenso librorum cumulo, rem, ad pauca redegit volumina; quibus, fontes tùm priuati, tùm publici iuris continentur. Institutionum libros quatuor edidit, Codicemque euulgauit. Leges perutiles condidit, ac seuere libidinum mancipia coërcuit. Opera publica permulta, eaque splendida, insanasque substructiones, ingenti pecuniæ vi ædificauit Byzantij præcipue, Sophiæ templum, orbis totius miraculum. Tandem morbo correptus, menteque parum sanus obijt. Documentum magnum, quam parum humanæ fidendum sit sapientiæ. Princeps fœlicior certe, si breuiori vsus fuisset Imperio, maximusque, si eius famam, religionis inconstantia non defædasset.

IVSTINI IMPERATORIS Gesta.

Iustiniano Principe defuncto, Iustinus nepos, ex Curopalate, hoc est, ex palatij cura ad Imperium hortante senatu, euectus est, Anno Christi quingentesimo sexagesimo quinto, auditisque aduersus exactores auunculi, querelis sua cuique reddenda præcepit; æsque alienum Iustiniani dissolui iussit. *Euagrio teste.*

Proximo vero anno veterem intermissam diu Consules creandi consuetudinem reuocauit; seque Consulem dixit, ac donatiuum, more maiorum, Kalendis Ianuarijs, dedit. Pacem cum Gagano, seu Chaiano Auarum Rege, haud tempestiuè satis pactam, annua negata pensione, diffregit. Turcarum legatos, à quibus, summis cultus fuerat honoribus, humanissimè excepit. Sanctionem item, proh scelus, incontinentis animi edidit, eodem Christi Anno quingentesimo sexagesimo sexto, quâ, pœnas Iustiniani legibus, aduersus coniugia illicita, sancitas, infligi prohibuit; immo in peiora dilapsus, ex coniugum consensu dirimi posse, censuit. Denique

Narsetem, belli, pacisque artibus inclytum Ducem, Constantinopolim, reuocauit, amplissimisque muneribus, vt testatur Corippus, huius temporis scriptor, cumulauit: recentiores tamen contrarium asserunt.

CHILDEBERTI FRANCORVM Regis Gesta, & Obitus.

Rescriptum de bonis Ecclesiæ S. Vincentij concessis, dedit, Anno Christi quingentesimo sexagesimo primo, quo exacta omni laudum gloria illustris supremum vitæ diem expleuit.

ICON

CHILDEBERTI REGIS.

CHildebertus, Clodouæi Magni filius, Princeps spectatissimus, vita, famaque inclytus; præclara indole natus; pietate singulari conspicuus, rerum gestarum magnitudine summus, alijsque regijs virtutibus insignis, Galliæ Regnum quadraginta nouem annis tenuit. Clotildem sororem suam Amalarico Visigothorum Regi in Hispania collocauit. Publica varia opera, sacrasque ædes magnis extruxit sumptibus. Regni Aurelianensis partem ditionii suæ adiunxi. Aruernos Arcadij Senatoris proditione inuasit. Godomarum Burgundionum Regem, è solio, expulit. Amalaricum attriuit. Theudem Hispaniæ imperantem deleuit. In Clotarium Suessionum Principem, fratremque infesta signa intulit; multaque alia, & hæc grauissima armis victricibus bella gessit. Cum cœlo maturus purpuram cum homine, nulla prole relicta deposuit.

CLOTARII FRANCORVM REGIS Gesta, & Obitus.

Childeberto Francorum Rege sublato, Anno Christi quingentesimo sexagesimo secundo, Clotarius ipsius frater solus ex Clodouæi Magni liberis superstes Regnum suscepit; non diu tamen quietum. Thuringia siquidem, armis antea do-

mita rebellauit, inque belli societatem, vicinos Saxonas facilè traxit. Chrammus item filius in eum noua molitus est. Verum è Britannia reuersus, Regnoque, ac sibi consultum iri ratus si S. Medardi Episcopi precatione muniretur, eum in extremis versantem inuisit, nec multo post, graui correptus morbo, fœlicem vitæ exitum sortitus est, Anno Christi quingentesimo sexagesimo quinto, principatus autem sui ab obitu Clodouæi patris, quinquagesimo primo.

ICON

CLOTARII REGII.

Clotarius, Clodouæi Magni filius Francorum Imperium fœdè admodum administrauit. Primis siquidem principatus sui annis, adeo crudelis in propinquos suos extitit, vt propriam dexteram nepotum sanguine cruentarit; plenusque ira Chramnum filium rebellem, postremo Regni sui anno, quo solus Gallias regebat, in rustici cuiusdam domo, vna cum vxore, ac liberis, immissa flamma, succenderit. Obscœnis vero voluptatibus ita solutus, vt Radegundem, Berthariј Thuringiorum Regis filiam, inuitam licet, duxerit. Voldetradam Theodebaldi vxorem, in coniugem acceperit; duasque insuper sorores, toro sibi iunxerit. Ad virtutem tamen, exeunte principatu, traductus, magna pietatis, ac religionis in Deum officia exhibuit. Sanctitate illustres viros summè coluit. Diuique Medardi corpus, subiectis feretro humeris, ad tumulum, vna cum Episcopis, qui eò confluxerant, deferre voluit. Bella varia, fœlici confecit exitu. Thuringios expugnauit. Burgundionum agrum ferro atque incendiјs deformauit. Amalaricum, & Theudem Hispaniæ Reges profligauit, multosque alios in ordinem redegit populos. Tum vehementi febre iactatus, alternos inter frigoris, calorisque æstus, obiјt.

CHEREBERTI FRANCORVM REGIS Gesta.

Clotario Francorum Rege demortuo, Res inter Cherebertum Parisiorum, & Guntheramnum Aureliæ, & Chilpericum Suessionum, & Sigibertum Austrasiæ, siue Mediomatricum

tricum Principes, compositæ fuere, quiesque, ab intestinis armis Franciæ aliquandiu tenuit, quam externa etiam bella præbuere. Cherebertus interim totus in stupris, atque adulterijs sororem vxoris suæ Meroflendis, Marcouefam nomine, turpissimè sibi iunxit, Anno Christi quingentesimo septuagesimo. *Gregorius Turonensis.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Belisarius vir tantæ famæ, & apud Romanos, ac præsertim apud Iustinianum Imperatorem, vt eum Princeps, parte in altera percussi nummi, armatum effingi voluerit cum hac inscriptione, [BELISARIVS ROMANORVM DECVS] Hic falsis æmulorum criminibus affectati Imperij suspectus, in ordinemque redactus, omnibus opibus atque honore exutus fuit, Anno Christi quingentesimo sexagesimo primo; sequenti tamen, mense Martio, *vt testatur Miscella Auctor*, ad pristinum splendorē restitutus. His aduersantur recentiores scriptores, inter quos *Crinitus de honest. discipl. lib. 15. Volaterranus, & Pontanus*, asserentes illum oculis priuatum fuisse, immo in triuijs stipem emendicare coactum.

Iustinus Iustini Imperatoris cognatus, supremæ militiæ Magisterio, ac victorijs clarus, grande sibi nomen peperit.

Chramnus in veterem Clotarij patris Francorum Regis gratiam redijt, Anno Christi quingentesimo sexagesimo secundo, Iustiniani Imperatoris trigesimo sexto. Funestaque iterum in parentem meditans, magnis itineribus Britanniam petijt. *Gregorius Turonensis.*

Sigebertus Clotarij Principis filius, Austrasiæ seu Mediomatricum Rex salutatus, Anno Christi quingentesimo sexagesimo quinto, Iustiniani trigesimo nono, S. Nicetium ab exilio reuocauit. Brunichildam vero Gotham, Athanagildi Visigothorum Regis filiam, forma præstantem, honestam moribus, consilio prudentem, & blandam colloquio, in vxorem accepit, Anno Christi quingentesimo sexagesimo septi-

mo, Iustini iunioris Imperatoris secundo. *Auctor citatus, Aimoinus, & alij.*

Chilpericus, Sigeberti frater, & Suessionum Princeps, Gelesuintham Brunichildis maiorem sororem, connubio, eodem anno, sibi iunxit, quam ita aspere, ac seuere, adnitente Fredegunde Pellice, tractauit, vt breui illi exitium attulerit. Vix enim primo coniugis fructu delibato, mortua in geniali thoro inuenta est, nulla prole relicta, moxque funere procurato, Fredegundem duxerit. Hæc tantos irarum ignes fratrum in animis accendere, vt ab ijs, tanquam regiæ familiæ infandum opprobrium, è solio, Regnoque expulsus fuerit.

Theodoualda minimus natu, fratribusque superstes, Patre Theodone Tertio Boiorum Duce mortuo, tota potitus est Boiaria, Anno Christi quingentesimo sexagesimo quinto. *Auentinus in Boiorum annalibus.*

Longinus in Italiam missus biennio post, nouum Imperij munus assumpsit; Primus siquidem Enarchus constitutus fuit, Rauennæque more maiorum sedem sibi elegit, vnde à se iura peterentur; Romam autem nunquam profectus est, Narsete in humanis agente; suos tamen, cuique vrbs, magistratus, qui Duces appellarentur concessit, solus vero qui Romæ imperabat, Præses nominabatur; postea Ducis nomine donatus fuit. Vnde contigit, vt longo annorum tractu, Romanus Ducatus sit dictus; *ita Blondus, & alij.*

Thessalonus, & Theodopertus, Theodoualdæ defuncti filij, Boiorum Duces creati fuere, totamque Prouinciam ita partiti sunt, vt Thessalonus Boiariæ partem, quæ ab Oeno ad Lycum, inde ad Francos veteres, Boemiamque porrigitur, obtinuerit. Theodopertus vero reliquum trans Oeni fluenta, vsque ad Hunnos, Venetos, & Italos. *Auentinus.*

Narses Publicis, atque priuatis exactionibus Italis infestus, ægre id Romano in primis Senatu perferente, ad Iustinum Imperatorem, ipsiusque Consulem defertur, qui stolida facilitate, tanti viri meritis obliti, siue illius gloriæ inuidentes, eũ statim, Longino subrogato, Italiæ administratione submouere. Hic Augustæ præcipuè contumelia, quæ ipsum, vtpote Eunuchum, per ludibrium, ad pensum puellis diuidendum,

in Gynecæum reuocarat, Neapolim Campaniæ ciuitatem, ira plenus, se contulit. Dein Longobardos quorum opera in expellendis Italia Gothis, vsus fuerat, in Italiam acciuit, dato interim Augustæ responso, telam se huiusmòdi texturum, quam nec ipsa, nec vir eius, facili negotio retexerent. *Paulus Diaconus lib. 1. cap. 5. de gestis Longobardorum.* Corippus tamen huius temporis scriptor, *refert lib. 3. sub finem,* Narsetem, Anno superiori, Christi scilicet quingentesimo sexagesimo sexto, Iustini Imperatoris primo, Constantinopolim reuocatum fuisse, amplissimisque honoribus ab Imperatore donatum, immo principis lateri adhæsisse, cùm legatos, ab Auaribus Barbaris, missos audiret; nec iterum Italiam repetijsse, cum eodem munere præfecturæ. Quæ à Paulo Diacono scribuntur, in dubium, nec abs re venire possunt, ac tanquam fabulæ loco accipi, quæ sponte corruant.

Athanagildi Visigothorum Regis in Hispania, Toleti defuncti, Anno Christi quingentesimo sexagesimo septimo, Iustini Imperatoris secundo, obitum, quinque mensium interegnum excepit; partium siquidem Gothorum proceres diuisi, in nullum, qui Rempublicam inclinatam sustentaret, suffragijs conspirabant; eo nihilominus tempore emenso, Liuba; seu Liuua (sic enim antiquæ monetæ huius Regis nomen referunt) vir præpotens, & magnarum rerum vsu, atque cognitione instructus, Rex Narbonæ, vbi exterus res gesserat, Galliæ Gothicæ præfectus, omnium votis renuntiatus fuit. Hic secundo Imperij sui anno, Iustini autem Principis consulatu secundo, Leuigildum fratrem, gemina prole, Ermenigildo scilicet, & Recaredo ex Theodosia vxore, auctum, connubioque cum Gosuinda Athanagildi vidua iunctum, Imperij consortem fecit, Gothicaque ditione, quæ erat in Gallia Narbonensi, contentus, reliquas prouincias Gothico nomini subiectas ei demandauit. *Isidorus.*

Alboinus, Aldoini filius, & Longobardorum Rex, virtute, atque prudentia singulari insignis, è Pannonia, quam, quadraginta duobus annis occuparat, Hunnisque, certis legibus, concesserat, Italiam Sarmatis, Bulgaris, Gepidis, Sueuis, alijsque Barbaris nationibus, ad prædam vocatis inuasit, Anno Christi quingentesimo sexagesimo octauo, Iustini Im-

peratoris tertio, accepta prius in vxorem, Clotarij Principis iam demortui filia, Regumque Francorum sorore, Clotilda nomine, vt metuendus magis Italis videretur, ea tamen haud diu superstite, Rosimundam Cumundi, Gepidarum quondam Regis filiam, infaustis nuptijs, sibi iunxit. *Paulus Diaconus.* Tenuitque Imperium illud 206. Annis, *vt asserit Miscella.*

Cæterum quæ fuerit Longobardorum gens, paucis habeto. Hæc igitur ex Scandinauia, Oceani aquilonaris Insula orta, in continentem Germaniam cum vxoribus primum, inde in Pannoniam profecta, cum Hunnorum ope vicinos Gepidas deleuisset, tanta virtutis fama, tantaque rerum gestarum gloria enituit, vt obscuros ortus, tenuissimaque initia, armorum, nominisque claritate illustrarit; præ cæteris tamen inculta, asperaque moribus, militari etiam consuetudine efferata, à ceruice, ad occipitium rasis capillis, reliquis à fronte ad os vtrinque demissis; Barbis item incultis, atque oblongis, horrida (hinc illis forsitan Longobardorum nomen) trucem speciem præferebat.

Tiberius Comes Excubitorum creatus Augustus; Auares quietis nescios, & prælio deuictos, pacem humillimis precibus expetere coëgit sub idem tempus. *Abbas Beclarensis, & Corippus Grammaticus.*

Conuallus Princeps magnis virtutibus exaggeratus, illi siquidem plurimum & pietatis, & religionis inerat; eius corpus nec laboribus frangebatur, nec animus vincebatur; tantæque liberalitatis in eos, quos res asperæ, fatigabant, vt pater pauperum vulgo appellaretur, fratre Eugenio tertio extincto, Scotici Regni administrationem suscepit, eodem Christi Anno quingentesimo sexagesimo octauo, Iustini Imperatoris tertio. *Leslæus, Hector, Boëtius & alij.*

Sequenti anno mortuo in Britannia Himerico, Ethelbertus successit Cantiorum Rex quintus ab Hengisto, & primus Christianus. *Polydorus lib. 4.*

Areomirus denique, seu Mirus, Theodomiri Principis defuncti filius, reliquarumque virtutum hæres amplissimus, in Sueuorum Regem inauguratus fuit, Anno Christi quingentesimo septuagesimo. *Vasæus.*

VIRI ERVDITI.

Agapetus Diaconus ſententias paræneticas græco idiomâte compoſuit, vbi fusè, doctéque de Regis officio egit. Hunc librum Græci Schedam regiam vocitant, vt habes in *Geſneto.*

Kentigernus regio ortus ſanguine, patre Britanno, matre Thamete Regis Pictorum Lothi filia, in Elgna ciuitate Cambriæ natus, Sernani Scoti diſcipulus, eximiaque eruditione inſtructus; Scripſit ad Rodericum Regem epiſtolam vnam, aliam ad principem Auatum, *vt refert Lelandus. Alia pia opera habes in mea Hiſtoria ſacra.*

Amphibabus iunior cognomento Simenus, natione Britannus, vir ſpectatæ virtutis, & multiplicis litteraturæ, Epiſtolam vnam ad Gildam de Conſtantini crudelitate nobis reliquit, *vt vult Pithæus.*

Corippus Africanus Grammaticus percelebris, & poëta illuſtris, vt pote qui ſtrictam ſuam orationem ſtilo ſublimi, varijſque luminibus exornato, mirabiliter illuſtrarit. Iuſtini Imperatoris laudes doctè, eleganterque verſu Heroïco, Conſtantinopoli contexuit.

OPERA PVBLICA.

Narſes multarum palmarum Dux clariſſimus, pontem ſuper Anietem fluuium repoſuit cum hac inſcriptione.

IMPERANTE D. N. PIISSIMO ET TRIVMPHALI SEMPER IVSTINIANO AVGVSTO ANNO XXXVIII.

[NARSES VIR GLORISISSIMVS POST VICTORIAM GOTHICAM, IPSIS EORVM REGIBVS; CELERITATE MIRABILI, CONFLICTV PVBLICO, SVPERATIS, ATQVE PROSTRATIS, LIBERTATE VRBIS ROMÆ, AC TOTIVS ITALIÆ RESTITVTA, PONTEM VIÆ SALARIÆ VSQVE AD AQVAM, A NEFANDISSIMO TOTILA TYRANNO DESTRVCTVM, PVR-

CATO FLVMINIS ALVEO, IN MELIORI STATV QVAM QVONDAM FVERAT, REVOCAVIT.]

Palatium, triclinio aureo, ſplendidè exornauit Iuſtinus Imperator, Anno Chriſti quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, principatus ſui ſecundo; Valentiſque aquæductum reſtituit; Portum item Sophium, vxoris nomine nuncupatum, Regiamque, eadem appellatione donatam, *de qua fusè Agathias, & Zonaras in vita Iuſtini iunioris.*

PRODIGIA,

Characteres quidam tùm in veſtibus, tùm in ſacratum ædium, aliarumque domorum parietibus, atque Ianuis, adſtantium omnium oculis ſe ſe, non ſine magno terrore, horroreque, obtulere, anno integro, antequam atrox illa inguinaria lues Italiam euaſtaret, Anno ſcilicet Chriſti quingenteſimo ſexageſimo quarto, Iuſtiniani Imperatoris trigeſimo octauo. *Paulus Diaconus de geſtis Longobardorum & Gregorius Turonenſis.*

Funerea item, ingenteſque cædes ſpirantia ſigna apparuere in aëre ab Aquilonis parte, Anno Chriſti quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Iuſtini Imperatoris ſecundo. Viſæ ſiquidem ſunt haſtæ, & acies igneæ è diuerſo concurrentes. Cœlum inſuper ſanguinem effusè depluit, *vt refert Gregorius homil.* 1. *in Euang.*

CALAMITATES.

Turonica ciuitas fœdiſſimo incendio exhauſta fuit, Anno Chriſti quingenteſimo ſexageſimo primo, Iuſtiniani Imperatoris trigeſimo quinto; *Gregorius Turonenſis.*

Mons in Gallia Gothica, Rhodano imminens, horrendos tauri inſtar mugitus, longo dierum tractu, edidit, tùm è contiguo auulſus monte, in Rhodanum, cùm hominum tùm ædificiorum ſtrage præceps corruit, *vt vult Sigibertus.*

Tanta imbrium tempeſtas Galliæ incubuit, Anno Chriſti quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo Iuſtini Imperatoris ſecundo, vt Aruerniæ pars optima in ſtagnum abierit. Rhodanus

autem adeo exundauit vt aquas suas Arari infuderit. Nec Tiberim prætermittam, qui suis eluuionibus, ingentem cladem toti vrbi intulit; *vt scribit Collius.*

Pestilentia, qua nec fœdior, nec funestior vnquam fuit, cum nullus esset, qui ea correptus, triduo non extingueretur, totam Liguriam emensa, vniuersam Italiam peruasit, funeribusque pene exhausit. Mox Gallias, regionesque Boreales depasta, in vastam, horridamque solitudinem redegit, Anno Christi quingentesimo sexagesimo quinto, Iustiniani Imperatoris trigesimo nono. *Paulus Diaconus*, & *D. Gregorius* qui tunc orbi finem imminere existimabat, cum tot hominum millia, vbique, ea lue perirent.

RES BELLICÆ.

Clotarius Francorum Rex è Saxonia regressus, vbi mira fœlicitate hostiles copias prima impressione deleuit; reparata tamen acie ita effuso multorum Francorum sanguine attritus fuit, vt ægrè euaserit. Arma item contra Chramnum filium suum, Conobrij Britanniæ Comitis opibus innixum, nouaque molientem vertit, collatisque signis in minori Britannia, fusoque prius, ac cæso Britone, oppressit. *Gregorius.*

Hunni, extincto recenter Clotario, Anno Christi quingentesimo sexagesimo quinto, Iustiniani Imperatoris trigesimo nono, & altercantibus inter se pro Regno fratribus, è Pannonia emergentes, Thuringiam Prouinciam ingressi sunt, latè omnia populantes, vltraque haud dubiè progressuri, ni strenua Francorum virtus, hostium furorem iam prouectum compresisset.

Sigibertus Mediomatricum Rex, cuius exitio, propior tempestas imminebat, manu fortis, & bello strenuus, collecto milite, hostem occupauit, traiectoque Rheno, in vltimos Thuringiæ fines inuectus, prælium commisit ad Albim, notissimum Germaniæ amnem, tantaque partium pertinacia pugnatum est, vt victoriam fortuna diu ancipitem distinuerit; nutauit enim illa, in quam partem flecteret, donec eam Francis, sua virtus peperisset. Eo autem memorabilior illa fuit, quod præter hominum vires, Dæmonum etiam accessissent.

Ferunt ſiquidẽ magica arte, ſpectris vndiquaque occurrẽtibus, ita Francos primum exterritos fuiſſe, vt funderentur, captiuo etiam Rege, ſed mox eo liberato, recepta ſenſim fiducia, Barbaros, grauiſſima clade, Franci afflixere; Sigibertus ferociſſimæ gentis victor multis hoſtium millibus interfectis, contumaces fuiſſet conſecutus, niſi Chilperici fratris fraus, reuocaſſet. Adeo nihil, apud dominandi cupidos, probitatis, aut fidei eſt, ſed libidine habendi, feruntur Reges in præceps, nec amicis, aut generi indulgent ſuo. Hic enim abſente Sigiberto fratre, Rhemorum vrbem, aliaque paſſim oppida inuaſit. Sed victo Hunnorum exercitu, ſua facile Sigibertus recepit, viciſſimque Sueſſionum oppidum, Chilperici Regiam, occupauit, vbi Theodebertum fratris ex Audouera filium, cepit, quem exacto prius iureiurando, ne contra ſe deinceps arma ſumeret, dein vertente anno remiſit; & hoc paulo ante Brunichildis nuptias, euenit. *Gregorius*, *Aimoinus*, *& alij.*

Theodoualda Boiorum Dux, à Narſete, ſub idem tempus, euocatus contra Romanos, vrbes cis Padum, ſibi proximas ſuam in poteſtatem redegit. Alboinus vero qui ab eodem Eunucho accitus fuerat, maxima Longobardorum, Saxonum, Gepidarum, Bulgarorum, Sarmatarum, Sueuorum, aliorumque quamplurium Barbarorum multitudine accinctus, *vt teſtatur Paulus Diaconus*, in Italiam irrupit, quarto nonas Aprilis, vel vt alij volunt ipſis Kalendis eiuſdem menſis, Anni Chriſti quingenteſimi ſexageſimi octaui, Iuſtini Imperatoris tertij. Quo audito nuntio, Longinus ſuis diffiſus viribus, ab Alpibus, ad mare vſque, vrbes omnes validiſſimo muniuit præſidio. Vulturinam in Alpibus, quod nomen valli dedit; Patauium, montem Silicem, Cremonam, Mantuam, & Cæſaream, inter Rauennam, & oppidum Claſſenſe. Alboinus autem locorum oppugnatione in aliud tempus dilata, ne præſens victoriæ curſus, mora aliqua, interpolaretur, poſt Tauriſium metu deditum, Viceriam, ſeu Vicentiam Venetorum vrbem profectus eſt, Anno Chriſti quingenteſimo ſexageſimo nono, Iuſtini Imperatoris quarto. Vicentini, vero Veroneſque, ne maiorem aliquam cladem adirent, deditionem & ipſi fecere. Inde latè euagata victoria, Liguriam ingreſſus eſt, Brixiam, Mediolanum, aliaque omnia, ad Tuſciam vſque,

præter

præter Romam, & Rauennam, inuasit, Anno Christi quingentesimo, septuagesimo, Iustini Imperatoris quinto, seque Italiæ Regem nominauit; *vt asserit Auctor citatus.*

Tiberius Excubitorum Comes, postea Augustus, Auares Barbaros penitus deleuit eodem anno, *vt vult Victor Tunensis.* Leouigildus Liuuæ Visigothorum Regis frater, in consortem Imperij assumptus, mouit in Romanos, acriterque dimicatum est, ipsique Romani, è Regia, expulsi; Malacer ager, igne, ferroque vastatus, Assidonia vrbs ad fretum, noctu capta. *Ioannes Abbas, & Isidorus.* Corduba, Hispaniæ Bœticæ ciuitas illustris, Lucanique Poëtæ patria, Colonia Patricia appellata, vt patet ex antiquis inscriptionibus, & ex æreo Augusti Imperatoris nummo, quæ, ex quo Agilam Visigothorum quondam Principem vicerat, Imperij iugum detrectarat, ad officium ab eodem Rege Leouigildo, reuocata fuit, multaque circum oppida, & vrbes, magna rusticorum strage *Auctores citati.*

REI INSIGNES.

Belisarius tot victorijs inclytus, coniurationis insimulatus, in ordinem, omnibus tum honoribus, tùm opibus exutus, redactus fuit, Anno Christi quingentesimo sexagesimo primo, Iustiniani Imperatoris trigesimo quinto, *vt testantur aliqui Historici.*

Ætherus, & Addæus senatores clarissimi, primique nominis, ac Iustiniano Principi perchari, variorum criminum noxij, sed præsertim conspirationis in Iustinum Augustum, vltimo affecti fuere supplicio, Anno Christi quingentesimo sexagesimo septimo, Iustini secundo.

Iustinus Imperatoris cognatus, vir magnæ apud omnes famæ, reus habitus, Alexandriam Principis iussu deportatus fuit, dein in lectulo obtruncatus. Eius abscissum caput, ad se deferri Imperator voluit, vt illud, pedibus tota procerum spectante corona, contereret, *Auctore citato teste.*

OBITVS ILLVSTRES.

Belisarius Dux illustrissimus biennio post conflatam in Iu-

stinianum Imperatorem, conspirationem, fato consumptus fuit, Anno Christi quingentesimo sexagesimo tertio, Martij decimo tertio, *Cedrenus*, *& alij*.

Chramnus Francorum Regis filius, igne cum vxore, & filijs in agresti cuiusdam Armorici casula, immissa flamma Clotario patre imperante perijt, Anno Christi quingentesimo sexagesimo quarto, Iustiniani Imperatoris trigesimo octauo. *Gregorius*.

Theodoualda Boiorum Dux clarissimus obijt triennio post. *Auentinus lib.* 3. Athanagildus insuper, eodem Anno Christi, scilicet quingentesimo sexagesimo septimo, morbo sublatus fuit.


Eugenius tertius Scotiæ Rex singulari clementia illustris, vita functus est sequenti anno, *vt scribit Leslaus*. Alij tamen eius obitum referunt, ad Annum Christi quingentesimum septuagesimum, inter quos habetur *Hector Boetius*.

Himericus Cantiorum Rex in Britannia interijt, Anno Christi quingentesimo sexagesimo nono, *vt placet Polydoro lib.* 4. Theodomirus vero Sueuorum Rex, anno proximo.

Liuua seu Liuba Visigothorum Rex in Hispania desijt eodem Christi Anno, quingentesimo septuagesimo, *Isidoro teste*. Principatus sui tertio. Sunt vero qui asserunt eum regnasse annis quinque, Annoque Christi quingentesimo septuagesimo secundo, desijsse.

FVNERA.

Iustiniani Imperatoris cadauer solemni omnium ordinum Pompa delatum fuit, Anno Christi quingentesimo sexagesimo quinto. Hunc funebrem apparatum Corippus Africanus Grammaticus, & poëta illustris, docta, elegantique oratione stricta fuse describit, dum agit de Sophiæ pietate, eiusque officijs Iustiniano Imperatori defuncto exhibitis.



DECAS OCTAVA.

IVSTINI IMPERATORIS Gesta, & Obitus.



Rmeniæ maioris populos à Chosroe Persarum Rege deficientes, Romanique Imperij dominatum, à quo olim per Philippum Imperatorem, abalienati fuerant, vltro subeuntes, perbeneuolo excepit animo, Anno Christi quingentesimo, septuagesimo secundo, Principatus sui septimo. *Ita Euagrius lib.* 5. *cap.* 7. qui eos Persamenios appellat, alij autem Homeritas.

Biennio post accepta ingenti Persarum grassatione, Syriæ euastatione, Daræ Propugnaculi, Romanorum munitissimi expugnatione, ipsaque Antiochia in discrimen adducta, in mentis excessum incidit. Qua re commotus Chosroes triennales ei concessit inducias, *vt vult Auctor citatus.* Dein ad quendam Magia insignem virum, valetudinis gratia confugit sub idem tempus, sed frustra, *vt testantur Historici.*

Biduarium fratrem suum non solum verbis atrocibus lacerauit, verum etiam è cubiculo, iteratis pugnis cæsum, eijci, tota spectante aula regia, iussit. Breui tamen post, pœnitudine ductus, in illius amicitiam culpam totam in Dæmones refundens, redijt.

Opera Sophiæ Augustæ, Tiberium excubitorum Comitem, genere Thracem, Principem tùm animi, tùm corporis dotibus præstantem, belloque, ac pace clarissimum, in collegam Cæsaris nomine assumpsit, Anno Christi quingentesimo septuagesimo quinto, Principatus decimo; ipsumque pro more purpurea indutum chlamide, sic, populo vniuersoque adstante senatu, affatus est. Caue ne te huiusce purpuræ

ſplendor perſtringat, immo in fraudem adducat, vt mihi contigit. *Pluribus hæc enarrat Gregorius Turonenſis, Suidas, & Euagrius lib. 5.* Qui cum Tiberij cooptationem, Iuſtini iunioris anno duodecimo, & menſe decimo cum dimidio factam eſſe aſſerat, iuſte ab omnibus tùm Græcis, tùm latinis Auctoribus, redarguitur, vt apertiùs patebit ex chronologia ſequentium Imperatorum. Tandem proximè moriturus, Tiberium ex Cæſare Auguſtum conſtituit, curamque Reipublicæ obnixè ei commendauit; Tum haud multo poſt deſijt, Anno Chriſti quingenteſimo ſeptuageſimo nono, principatus decimo tertio, & menſibus nouem.

ICON

IVSTINI IVNIORIS IMPERATORIS.

Flauius Iuſtinus iunior patre Dulciſſimo Illyricæ gentis, & Vigilantia Iuſtiniani Imperatoris ſorore natus, ex Curopalate ad ſupremum fortunæ faſtigium euectus fuit, dictuſque Alemannicus, Gothicus, Germanicus, Atticus, Alanicus, Francicus, Herulicus, Gepidicus, alijſque quamplurimis gloriæ titulis donatus. Hic facili, promptoque animo in officio pietatis fuit, ſed bellicis rebus alieno; legum amans, & Iuſtitiæ, quam, Principum impotentia collapſam, inſigni ſeueritatis exemplo, reſtituit. Æs alienum diſſoluit, ciuiumque, ac militum animos, eximia ſua magnificentia, ſibi arctè deuinxit, multaque alia quæ ſummum religionis in Deum cultum ſapiebant, ipſo Principatus exordio præſtitit. Longinum primum Italiæ Exarchum creauit; operaque publica, & illa quidem auguſta proprijs extruxit ſumptibus. Princeps certè ter maximus iure nuncupandus, ni dein in turpiſſimos amores, atque infamem auaritiam, Imperij primordia deturpaſſet. Pacem cum Auaribus pactam, negata annua penſione, diſrupit. Perſicam inſuper, ſed longe maiore Reipublicæ damno; bellum enim, honeſta quidem de cauſa, ſuſceptum, imprudenter, atque ignaue geſſit, ingentique accepta in Oriente clade, conſternatus, Phreneſique correptus, (frequentiſſimum ſiquidem calamitatis initium, ſecuritas eſt, celeriuſque nemo opprimitur, quam qui nihil timet) Tiberium Auguſtum renuntiauit, morboque ingraueſcente, è viuis exceſſit.

TIBERII IMPERATORIS Gesta.

Iustino iuniore Principe sublato, Tiberius Constantinus solus Reipublicæ curam suscepit, Anno Christi quingentesimo septuagesimo nono, ipsoque Imperij exordio Sophiam Augustam, Iustiniano Iustini coniugis nepoti fauentem, vt Imperatoria ornaretur purpura, sibique insidias occultè, varijs artibus molientem, priuatam ad sortem redegit, Iustinianum vero, tantummodo obiurgatum, maiore dein amore prosecutus est, eumque aduersus hostiles Persarum copias immisit. *Paulus Diaconus de gestis Longobardorum lib. 3. & Auctor Miscellæ lib.* 17.

Sene, eodem anno, Narsetis pecuniæ vim maximam, ei indicante, adeptus est; Marmoreaque insuper tabula cruce exornata, è pauimento, vbi ambulabat, euulsa (indignum ratus eam, religionis causa calcari) ingentem inibi defossum thesaurum reperit. Deo cum Augusto magnificentia in pauperes inclyto decertante. *Gregorius, & alij.*

CHEREBERTI FRANCORVM Regis Gesta, & Obitus.

Res Ecclesiæ per vim, nefasque impie inuadens, supremo vlciscente numine infœlici exitu perijt, Anno Christi quingentesimo septuagesimo secundo, Principatus sui octauo, Iustini Imperatoris septimo. *Auctor citatus.*

ICON

CHEREBERTI FRANCORVM REGIS.

CHerebertus Francorum Rex, & Clotarij Principis filius, tam magna, præclaraque Imperij sui initia habuit, vt à Fortunato, viro illustri dilaudatus maxime fuerit. Verum cum ficta omnia celeriter, tanquam flosculi decidant, nec simulatum quid possit esse diuturnum, fucata

illæ virtutes haud multo post euanuere, muliere siquidem qualibet corruptior, stupris atque adulterijs solutus fuit, cunctisque ob impura illa, & infanda scelera exosus, (superbiam siquidem Principis sui populus, luxuriam vero, nullo modo ferre potest) Blauiam profectus est, vbi voluptatibus suis plene immersus, obijt.

SIGEBERTI FRANCORVM REGIS Gesta, & Obitus.

Chereberto Principe, nulla prole superstite, defuncto, bellum ciuile inter Chilpericum, Gunteramnum, & Sigebertum fratres, exarsit, Galliamque prope omnem, fœdissimis flammis corripuit. Plenum varijs cædibus Regnum, atrox prælijs, & discors seditionibus fuit. Aluit autem incendium illud, fratrum dominandi cupiditas, sed spirantibus hinc inde mulieribus Brunechilde, & Fredegunde, vti furijs ad Franciæ perniciem emissis, vehementissimum longe euasit. Victo tamen Chilperico, qui Fredegundem ex pellice in coniugem acceperat, Sigebertus Regnum, applaudente illi vxore Brunechilde, occupauit, haud tamen diuturnum; breui enim post, Fredegundis artibus, cecidit, Anno Christi quingentesimo septuagesimo nono, Iustini Imperatoris decimo quarto. *Paulus Æmilius & alij.*

ICON

SIGEBERTI FRANCORVM REGIS.

Sigebertus Francorum Rex Clotario Patri, fratribusque omnino dissimilis, vita enim, famaque insignis fuit. Huius Austriæ Principatum eximia pietas nobilitauit; spectata virtus propagauit; liberalitas exornauit, benignitas fouit; beneuolentia in omnes firmauit; summa denique principis indoles illustrauit. Extincto Cheberto fratre, ciuile bellum mole virium, atque irarum grauissimum, fœliciter, Chilperico fratre debellato, confecit; Lutetiamque ingressus vna cum Childeberto filio suo, & Brunechilde, Athanagildi Visigothorum Regis filia, vxore, magnis acclamationibus exceptus fuit. Tum præmissis, ad fratrem Chilpericum,

si sui potestatem non faceret, obsidendum, copijs, ipse mediocribus itineribus cum paucis subsecutus, Victoriacum se contulit; Quo in loco, longe maxima pars Francorum procerum, qui sub Chereberti imperio fuerant, ei præsto adfuere, ipsumque, solemni Francorum ritu, parmæ impositum, Regem salutauere. Verum cum omni fere felicitate comes sit calamitas, fata tam secundo rerum successui, ita inuidere, vt, ostento magis, quam exhibito gaudio, Regno potitus videretur. Haud multo siquidem post, in tanta animorum consensione, mutuaque congratulatione, iuuenes duo ingentium præmiorum expectatione, à Fredegunde Regina, illius fortunæ inuidâ, submissi, cum cultris, veneno infectis, confoderunt. Adeo Mulierum genus & ferox, & ambitiosum est.

CHILPERICI FRANCORVM REGIS Gesta.

Sigeberto Principe funerato, Anno Christi quingentesimo septuagesimo nono, Chilpericus Parisiorum Regno auctus fuit, vrbemque magno principum comitatu adijt, vbi & Germani Parisiensis Episcopi iam demortui, sanctitate, ac miraculis illustris viri Epitaphium conscripsit. Brunechildem insuper Sigeberti fratris extincti viduam, Rothomagum in exilium deduci curauit. Merouеum vero filium suum stupro incesto fœdatum, magnis insecutus est cursibus, eodem Christi anno. *Gaguinus, Aimoinus, & alij.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Alpidius vir belli, pacisque artibus clarus; Aquitaniæ præerat, Anno Christi quingentesimo septuagesimo primo, Iustini Imperatoris sexto. Biclarensis eum Seniorem appellat.

Aduerte hic, vocem illam in dominij, ac Principatus significatione vsurpatam tunc fuisse; dein consequenti tempore, tum in monumentis Hispaniæ, tùm in Conciliorum actis, præsertim quæ Caroli Magni ætate, in Gallia habita fuere, Domini, ac Principes, Seniores nuncupari cœperunt. Eum autem

morem ad vulgares exhinc linguas, Hispaniæ, Italiæ, & Galliæ permanasse (vnde vox Senechal) satis constat. Et certè Seniores imperare æquum est.

Alboinus Longobardorum Rex, Ticino expugnato, deditoque, Veronam, vbi Rosimundam coniugem, cum imbelli multitudine, & regia gaza reliquerat, profectus est eodem anno, magnæque scenæ exhibuit spectacula. Adde conuiuia publica, & hæc lautissima, *vt scribit Coccius.*

Porro Ticinum Insubriæ vrbs est à Ticino fluuio præterlabente, dicta, academia nobilis, & Caroli quinti Imperatoris victoria, inclyta: Flauia Pappia in nummo argenteo, quem *Angelus Brenentinus* in sua Regum Longobardorum tabula, edidit, appellatur. Secundam item Romam, in veteri saxo, nuncupari, docet *Henricus Fernesius.*

Verona insuper ciuitas est Italiæ amplissima, à Gallis condita, *Iustiniano teste.* Ex ea illustres viri orti sunt, inter quos Æmilius Macer poëta, immo & Plinius vt volunt aliqui, Guarinus item orator clarissimus, & Pontifex sanctitate celebertimus.

Clephus, Alboino cæso, Longobardorum omnium votis Rex acclamatus fuit, eodem Christi Anno quingentesimo, septuagesimo primo. Hic immanitate, atque intoleranda barbarie insignis, incolas ferme omnes, alias sibi sedes quærere, fugamque, relicta patria, occupare coegit, *vt asserit Auctor citatus, & alij plures.*

Sequenti anno Caduanus, post Mogodunum, & Cærentium Principes, rerum Anglicarum curam suscepit. *Polydorus lib.* 3.

Longobardi sub idem tempus, Clepho sublato, Imperij sui vnico anno emenso, & mensibus quinque, toto decennio Rege caruere; Ducibus interim triginta sex Regnum administrantibus, qui, captæ Italiæ loca inter se partiti, nullum non rapiendi, sæuiendique modum tenuere. *Coccius.*

Mummolus Dux rerum prospere gestarum gloria illustris, Patriciatus honore amplissimo à Gunteranno Aureliæ Rege ornatus fuit, Anno Christi quingentesimo septuagesimo quinto, *vt testatur Gregorius Turonensis.*

Traianus vir spectatissimus summæque famæ in aula, missus à Iustino

à Iustino Imperatore phrenesi laborante, ad Chosroem Persarum Regem, inducias petiturus, fœdus eodem anno cum illo, ad triennium pepigit; *vt vult Euagrius lib. 4. cap. 12.*

Kinnatillus Scotiæ res mortuo Conuallo administrandas suscepit, Anno Christi quingentesimo septuagesimo octauo, Iustini Imperatoris decimo tertio, nepotemque suum Aidanum in consortem Regni adsciuit. Eo vero, anno proximo, defuncto, solus Aidanus imperauit, primusque solemnes tres iudiciarias sedes in Scotia instituit; vnam in Gollouidia, alteram in Loquhabria, tertiam in Cathanesia. *Ita Leslaus, & alij.*

Sigebertus Sigeberti filius adhuc quinquennis, patre interempto in Austrasiam Gundebaldo patruo duce, furtim deducitur, Anno Christi quingentesimo septuagesimo nono, Iustini Imperatoris decimo quarto; vbi prouinciæ studia erant, & propensæ gentis voluntates, ea propter, Procerum omnium suffragijs, Rex salutatus fuit. *Gregorius Turonensis.*

Meroueus Chilperici filius natu maior, à patre sub idem tempus missus fuit ad inuadendas Parisiensis Regni vrbes, elegantique Brunechildis forma captus, Rothomagum profectus est, vbi eam sibi matrimonio iunxit, amorem, paternæ voluntati præferens. Vitiosum certè coniugium, vetantibus legibus patrui viduam in vxorem ducere. Iuuenili tamen errori paratam veniam Fredegundis nouerca discussit, in Monachum siquidem eius artibus primo detonsus fuit, dein cruenta nece sublatus. *Ita rerum Gallicarum scriptores.*

VIRI ERVDITI.

Merlinus Caledonius, seu Syluestrius in finibus Scotiæ natus, Telesini quondam vatis discipulus, vir acuti ingenij, bonarumque litterarum, summus enim Philosophus fuit, ac Mathematicus omnium sui temporis facile Princeps. Arthuro autem Regi ita charus, vt eum suis omnibus in consilijs adhibuerit, bellorumque Comitem constituerit. Futura multa prædixit. Quid nimirum ardentes Londini arbores; quid æstuantes insolito furore Tamasis fluuij vndæ, quid fons apud Eboracum, sanguinem ebulliens; quid infans apud Cantiam

nos, in vtero matris ridens; quidue alia quamplurima prodigia, quæ ad omnium stuporem apparuere, portenderent, prænuntiauit. Pleraque composuit Britannicè, quæ Gallico, Soxonico, Latinoque sermone donata fuere, *vt referunt Scriptores Britannici.*

Vincentius Fortunatus Episcopus Pictauiensis, natione Italus, & poëta illustris; scripsit ad Sanctam Radegundem, Regis Thuringiorum filiam, Francorum Regis captiuam, mox vxorem, ac tandem Pictauiensis Cœnobij Abbatissam; ad Iustinum item Imperatorem, & Sophiam Augustam. Excidium Thuringiorum Regni. Hodeporicon vitæ suæ. De Gubernando ad Sigebertum Francorum Regem. Carmina diuersa ad amicos, & Epitaphia plurima. *Vide Lilium Gyraldum,* Alia pia opera habes in sacra mea Historia.

Ioannes Gothus Gerundensis Episcopus, præter alia multa, Chronicon contexuit à primo Iustini Imperatoris anno, ad primum vsque Mauritij.

Victor Cummenensis Episcopus Ecclesiæ Africanæ Historiam ab ortu mundi ad primum Iustini Iunioris annum protraxit. *Agathias lib. 6.*

Arator Poëta insigne volumen Floriano Abbati obtulit. Floruere insuper hoc tempore plures alij viri doctrina insignes, Michael nimirum Syngellus, Andreas Hierosolymitanus Cretæ Episcopus, & Secundus Eriniæ.

REGNORVM ORTVS.

Regnum tertium Orientalium Anglorum enatum est in Estanglia sub Vffa primo Regulo, Anno Christi quingentesimo septuagesimo primo, Iustini Imperatoris sexto. *Polydoro teste.* Stetitque ad Danos vsque annis ducentis nonaginta quatuor. Dein ab Erico vltimo Danorum Principe, in Vuestsaxonum potestatem venit.

REGNORVM OCCASVS.

Clepho Longobardorum Rege extincto, Anno Christi quingentesimo, septuagesimo tertio, Iustini Imperatoris octauo,

Imperium concidit; vniuersa siquidem rerum administratio triginta sex Ducibus, per decennium, tunc commissa fuit *Miscella, Blondus, & alij.*

OPERA PVBLICA.

Iustinopolis ciuitas condita fuit à Iustino iuniore Imperatore in Istriæ Capratiæ Insula contra Barbarorum incursiones, Anno Christi quingentesimo septuagesimo primo, vt patet ex vetustissimo marmore, in quo hæc inscriptio legitur.

[D.N. CÆSAR IVSTINVS, PIVS, FELIX, VICTOR, AC TRIVMPHATOR, SEMPER AVGVSTVS, PONT. MAX. FRANC. MAX. GOTH. MAX. VANDAL. MAX. CONSVL QVARTVM, TRIBVNVS SEXTVM. CONSPICVAM ÆGIDIS INSVLAM INTIMAM ADRIATICI MARIS COMMOD SS. INTERIECTAM, VENERANDÆ PALLADIS SACRARIVM QVONDAM, ET COLCHIDVM ARGONAVTARVM PERSECVTORVM QVIETEM, OB GLORIAM PROPAGANDAM. T. S. C. VRBEM SVI NOMINIS EXCELL. NVNCVPANDAM HONESTISS. P. P. DESIGNAVIT, FVNDAVIT C. R. P. Q. ET GENTE HONESTISSIMA REFERTAM.] *Vide super hac re Volaterranum, & Opomerum.*

Anno vero proximo Forum Cornelij in Æmilia Italiæ Regione, ab Antiocho Narsetis Duce euersum, opera Clephi Longobardorum Regis renouatum fuit; hodie Immola vocatur. *Leandro, & Merulo testibus.*

Vrbem, Tagum inter & Guodielam fluuios prope Paternianam, hoc est Pastranam, vt refert Rasis Arabs, Reccaredi filij sui nomine Reccopolim dictam, magnis extruxit sumptibus, Leouigildus Rex in Hispania, Anno Christi quingentesimo septuagesimo septimo, Iustini Imperatoris duodecimo. Plerique suspicantur fuisse in Celtebris, quo loco Almonande Oppidum, loci natura firmissimum, situm est, vulgo Eurita appellatum. *Isidorus in Gothorum Historia.* Anno autem Christi quingentesimo octogesimo Victoriacum ciuitatem in Vasconia ædificauit. *Ita Vasæus.*

CALAMITATES.

Apamia, seu Apamea vrbs celeberrima in Tetrapoli Syriæ, à Seleuco Nicanore condita, & nomine ipsius vxoris nuncupata vt vult Strabo *lib.* 5. flammis absumpta fuit, Anno Christi quingentesimo septuagesimo quarto, Iustini Imperatoris nono; eademque strage, Heraclea corruit, *Euagrio teste lib.* 5. Arabia sub idem tempus magna laborauit penuria; *vt scribit Rodericus Toletanus in Historia Arabum.*

RES BELLICÆ.

Sabariam, quæ quo loco esset, clam est, varijs incursionibus deformauit Leouigildus Visigothorum Rex in Hispania, Imperioque subiecit, Anno Christi quingentesimo septuagesimo primo, Iustini Imperatoris sexto. Bœticæ autem rebus compositis, totaque prouincia pulsis Romanis, belli impetu in Cantabriam verso, Amaiam, seu Aregiam, aut Varegiam, Burgos inter, & Legionem sitam ciuitatem expugnarunt Visigothi, anno Christi proximo, *vt refert Ioannes Abbas.*

Tucinensis ciuitas, post trium annorum, & mensium aliquot obsessionem, ab Alboino Longobardorum Principe capta fuit eodem Christi anno. Miro item Sueuorum Rex in Hispania mouit in Ruccones, seu Agarones. *Lucas Tudensis Vascones appellat, Rodericus Toletanus, & alij.*

Chilpericus Turones, Pictauosque, quos ex fraterni Regni portione, Chereberti nimirum iam defuncti, Sigebertus habuerat, hostiliter inuasit. Verum Sigebertus coniunctis cum Gunteramno viribus, per Ennium cognomento Mummulum, fortissimum ea tempestate Ducem, cuncta breui recuperauit. *Gregorius Turonensis.*

Clephus in locum Alboini cæsi Longobardorum Regis suffectus, Tannetum solo æquauit, Anno Christi quingentesimo septuagesimo secundo, Iustini Imperatoris septimo. Classense dein oppidum, Rauennam prope, occupauit; vnde crebris depopulationibus, Rauennatium res euertit, diripuit,

que. Cæteræ Italiæ vrbes, arces, oppida, & quidquid hominum ad id tempus in fide Imperij fuerant, victricibus armis, præter Romam, & Tybur Romæ propinquum, cessere sub idem tempus. Nec dubium vlli fuit, quin, si tot victorijs clarus Princeps diu vixisset, Romam quoque aut funditus diruisset, aut omni Quiritium stirpe crudeliter sublata, genti suæ habitandam tradidisset. A nece tanti viri Duces etiam, qui per decennium Longobardis imperarunt, Italiam rursum, cædibus varijs, atque incendijs impleuerunt, Anno Christi quingentesimo septuagesimo tertio, Iustini Imperatoris octauo, totumque Romanum orbem fœde peruastarunt. *Euagrius lib. 5.*

Athanagildus Rex vrbes aliquas, quæ imperio detrectarant, in ordinem redegit, motibusque Aquitaniæ pacatis, in Hispaniam sequenti anno redijt, Sueuorum regnum quod tandiu tenuerat, delendi certus.

Auares, ac Persæ, Duce Adaarmane, quem Cedrenus Artabanum appellat, ingenti, Orientale Regnum, clade affecere, Anno Christi quingentesimo septuagesimo quarto, Iustini Imperatoris nono. Ab ijs enim Syria longe, lateque, ferro flammisque funestata fuit. Daras propugnaculum munitissimum, & in finibus situm, expugnatum, ipsaque Antiochia magnum in discrimen adducta. *Pluribus de ijs Euagrius lib. 5. cap. 9. & 10.*

Longobardi Cottias Alpes transgressi, Anno Christi quingentesimo septuagesimo quinto, Iustini Imperatoris decimo, in Gallias irruperunt. Tum Nicæam primo, dein obuia quæque euastarunt. Burgundiam præcipue Prouinciam, præ cæteris infestarunt. Verum ad eos Mummulus immissus, Ebradunum Alpinæ gentis oppidum, non procul ab eo iugo, vbi Druentia fluuius oritur, funditus euertit; nec multo post Saxones qui Longobardis societate belli adhæserant, grauissima strage, compressit. *Varnefridus lib. 2. Gregorius Turonensis, & alij.*

Chilpericus ciuile bellum mouit anno sequenti, Turonesque, Pictauos, aliasque Sigeberti fratris Prouincias, per Theodebertum filium inuasit. Quibus permotus Sigebertus Transrhenanis accitis populis, Chilpericum, Gunteramni licet auxilio fretum, ita perterruit, vt eum pacem petere, redditis omnibus oppidis, coegerit. *Aimoinus.*

Leouigildus Rex eodem, Christi Anno quingentesimo septuagesimo sexto, Iustini Imperatoris vndecimo, *vt refert Vasæus*, Orespedarum montium, ad Cauni radices assurgentium incolas, qui locorum asperitate confisi, iugum excusserant, perdomuit.

Recruduit iterum bellum inter Francorum Reges, Anno Christi quingentesimo septuagesimo nono, Tiberij Imperatoris primo: Chilpericus siquidem rupta pace, signa, Guntramno ad societatem belli euocato, in Sigebertum infert, qui eum ita prospere, secundoque marte profligauit, vt omnibus, Rothomagum vsque, in potestatem redactis, ad Tornaeum, quò Chilpericus cum vxore, ac liberis confugerat, obsidendum, se contulerit; *vt vult Varnefridus.*

Ruccolanus Turonensem ciuitatem cæde ac sanguine cruentauit eodem Christi Anno. Iustinianus item contra Persas à Iustino Imperatore auunculo suo missus fuit. *Paulus Diaconus.* Leouigildus denique Hispaniæ Rex, Vasconiæ partem occupauit, anno proximo, Christi scilicet quingentesimo octogesimo. *Vasæus, & alij.*

OBITVS ILLVSTRES.

Alboinus Longobardorum Rex, insidijs Rosimundæ vxoris, perijt Kalendis Octobris Anni Christi quingentesimi septuagesimi primi, Regni vero sui in Italia tertij, & mensis sexti. Cum enim ille conuiuijs Veronæ nimium indulsisset, & in patera, quam ex Cunismudi Gepidarum Regis in Pannonia interfecti calua, ad conuiuiorum, more gentis suæ, vsum, sibi ex auro cælauerat, largius ebibisset; in multum vini prouectus, funestum illud poculum ad coniugem suam deferri voluit, mandauitque vt cum patre suauius biberet. Hæc intempestiua paternæ cædis exprobratio, ita Reginæ animum perculit, vt ad mariti necem moliendam impulerit. Quare, Peredeo viro strenuissimo in tanti facinoris socium adscito, moxque in cubiculum inducto, Regem semisopitum obtruncari præcepit, *vt asserit Paulus Diaconus.*

Rosimunda Alboino coniuge sublato, Rauennam cum Helmige eiusdem criminis socio ad Romanos confugit; vbi

à Longino Exarcho adamata, eius ſuaſu Helmigi venenum propinauit. Quo ſemihauſto cum Helmiges dolum perſenſiſſet, reliquum veneni infidæ fœminæ, ſtricto gladio, porrexit, ſicque ambo vlciſcente ſupremo numine infœlici exitu, cecidere. *Auctor citatus.*

Narſes Spado, genere Perſa, Quæſturæ munere donatus, rerumque bellicarum laude ac crebris victorijs inclytus, immo ſumma erga Virginem pietate percelebris, obijt eodem tempore, *vt refert Anaſtaſius*, quo, Ioannes Pontifex; Anno nimirum Chriſti quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, Iuſtini Imperatoris ſeptimo.

Proximo autem Clephus Longobardorum Rex, ſerui cuiuſdam dextera occubuit, anno principatus ſui vno emenſo, & menſibus quinque. *Paulus Diaconus.* Addæus vrbis præfectus, vir impius, Sceleſtus, atque crudelis, pœnas criminum ſuorum luit, inexpectata morte abſumptus, Anno Chriſti quingenteſimo ſeptuageſimo octauo.

Conuallus Eugenij germanus, & Scotiæ Rex; omnibuſque cumulatus virtutibus, prolis tamen expers, naturæ conceſſit ſub idem tempus, principatus ſui decimo. *Leſlæo teſte.* Sequenti vero Kinnatillus eius ſucceſſor.

Rucolanus Dux clariſſimus, regio correptus morbo interijt, quinquageſimo ab Hydrope die. Theodebertus Chilperici Regis filius in acie cæſus perijt, eodem Chriſti Anno quingenteſimo ſeptuageſimo nono. Meroueus autem Theodeberti frater, paternam metuens iram, vltro à Gaileno familiari ſuo expetita necē Fredegundis artibus deſijt, Anno Chriſti quingenteſimo octogeſimo. Grauiores tamen Auctores aſſerunt eum patris iuſſu interemptum fuiſſe. Sanſon denique eiuſdem Chilperici Principis filius, vita functus eſt eodem tempore. *Gregorius Turonenſis.*



gesserat, effusissimè erogauit, Sophia Augusta frustra rfragante, ærariumque pene exhaustum esse inclamante; quod tamen diuna quadam prouidentia tanto magis in dies augebatur, quanto plura egenis largiebatur. Huius fælicitas, summi certe nominis fuisset, nihilque illo fortunatius, si res in occidente æquo, ac in oriente exitu successissent. Persas quidem multis magnisque prælijs perdomuit, quibus benignitatem etiam suam impertiendam ratus; captiuos Constantinopolim adductos, splendide vestiuit inque patriam benique remisit. Hostiles nihilominus Longobardorum copias vniuersam fere Italiam occupantes, nulla vi coërcere potuit. Ea propter senio iam confectus, diuturnoque intabescens morbo, Mauritium Cæsarem Augustum, omnium ordinum consensu salutauit, breuique post Imperium cum vita deposuit.

MAVRITII IMPERATORIS GESTA.

Romanam rem solus administrare cepit, Anno Christi quingentesimo octogesimo tertio, vt patet, tùm ex Tiberij Principis morte, quæ hoc anno, Eustathio teste contigit; tùm ex publicis monumentis, *& auctoritate Bedæ de gestis Anglorum lib. 1. cap. 23. Theophilacti cognomento Simocrati, & aliorum Græcorum, & Latinorum scriptorum illustrium.*

Reuocato Longino Exarcho anno sequenti in Italiam cum nouis copijs misit, eumque Exarchi infulis exornauit. Childebertum insuper Regem in societatem belli contra Longobardos acciuit. Anno demum quingentesimo octogesimo quinto, principatus sui secundo inchoato, à mense Augusti anni superioris, consulares, absque collega, assumpsit fasces.

CHILPERICI FRANCORVM REGIS Gesta, & Obitus.

Minorem Britanniam vectigalem sibi fecit, Anno Christi quingentesimo octogesimo primo. Biennio vero post in grauem morbum incidit, *vt scribit Gregorius Turonensis.* Moxque in Sabellicam traductus Hæresim, vnicam tantum, in diuinis, personam profitentem, Deum vltorem, Clodoberto, & Dagoberto filijs orbatus, expertus est. Proximo autem anno, pacem ea lege firmauit, vt Childebertus, Sigeberti

fratris filius, & Austrasiæ Rex, Regni sui successor futurus esset.

Basam filiam suam ex Audouera in Cœnobio S. Radegundis Pictauij commorantem, Reccaredo Hispaniæ Regi, & Leouigildi filio, in vxorem obtulit, Anno Christi quingentesimo octogesimo septimo. Verum reclamante illa, ipsaque Radegunde Regina obsistente, Baddam in illius locum suffecit. Auctus fuit insuper sub idem tempus filio Clotario nuncupato. Tandem Fredegundis vxoris dolo, è venatione iam sub obscura nocte rediens, iugulatus fuit, *vt refert Gregorius Turonensis lib. 6. cap. 36. Ado in* Chronico, *& alij.*

ICON

CHILPERICI FRANCORVM REGIS.

Chilpericus Clotarij Francorum Regis filius, omni vitiorum labe infamis, nam præter libidinum impunitatem, atque licentiam, ob quam à fratribus è Regno expulsus fuerat, regium in eo nihil agnoscebatur; tantæque immanitatis in suos, vt Nero alter, atque Herodes vulgo appellaretur. Turones, Pictauos, aliasque Sigeberti fratris, cum quo, frequentiora, quàm cum externis, bella susceperat, prouincias hostiliter inuasit, quamquam aduerso marte. Lutetia potitus, Brunechildem Sigeberti demortui vxorem, in exilium amandauit. Eam tamen Austrasianis oratoribus, Childeberti Regis filij nomine repetentibus, Rothomago accersitam reddi actutum iussit; Baddamque filiam suam, Reccaredo Visigothorum in Hispania Regi, vltimo Imperij sui anno, collocauit. Dein haud multo post, scelerum omnium, quæ suadente Fredegunde vxore sua, & Pellice, *admiserat, nimium vxorius; insidijs eiusdem pellicis, ferro transfossus, pœnas luit. Fœmina siquidem amissa pudicitia, nulla alia flagitia abnuit.*

CHILPERICI FRANCORVM REGIS Gesta.

Chilperico patre demortuo Rex omnium procerum votis salutatus fuit, eiusque tutelam Gunteramnus summa fide suf-

cepit, Anno Christi quingentesimo octogesimo septimo; voluitque vt infans per illustriores Regni sui ciuitates, magno principum comitatu, in cunis circumferretur. *Gaguinus.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Hormisdas Chosroïs Magni filius patre mortuo, Persarum Rex inauguratus fuit, Anno Christi quingentesimo octogesimo primo, *vt vult Procopius huius temporis scriptor.* Quidam tamen eius inaugurationem referunt ad annum quingentesimum septuagesimum nonum, quo tempore asserunt Chosroem obijsse.

Gunteramnus Aurelianorum Rex, exoratus ab Eustragilde vxore in extremis versante, vt medicos tanquam necis suæ reos, statim ab obitu, Herodiano more, obtruncari iuberet, eius optata, statuto die, exsecutus est, Anno Christi quingentesimo octogesimo tertio. Anno vero quingentesimo octogesimo septimo, Clotarij, Chilperici Regis filij, nepotis sui tutelam suscepit biennio Dein post omnia legata solui curauit.

Hermenegildus Leouigildi Regis filius, Ingundem Sigeberti Francorum Regis filiam connubio sibi iunxit, Anno Christi quingentesimo octogesimo tertio. Moxque ab Arianismo ad Catholicam, vxoris suæ studio, fidem traductus, virtutem, sacraque omnia religionis nostræ mysteria summè coluit.

Smaragdus sequenti anno in Italiam missus, & in Longini Exarchi locum subrogatus, Longobardorum audaciam fortiter fregit. Triennio autem post, Constantinopolim reuersus, Romanus, vir illustris, Exarchatus honore insignitus fuit. *Paulus Diaconus de gestis Longobardorum lib. 3.*

Philippicus magni nominis in aula princeps, Gordiam, Mauritij Imperatoris filiam in vxorem accepit, Orientisque Præfectura auctus fuit, Anno Christi quingentesimo octogesimo quarto. *Miscella, & Cedrenus.*

Euricus, seu Ebericus, Myroni patri Sueuorum Regi in

Hispania successit eodem Christi anno. Verum tius Imperium haud diuturnum; Ab Audica enim Tyranno non multò post expulsus fuit; illo tamen Audica breui potitus est. Leouigildus siquidem Visigothorum Rex, ipsum sub idem tempus purpura exuit, *vt testatur Isidorus.*

Childebertus Austrasiæ Rex, & Sigeberti filius societatem cum Mauritio Augusto inijt, oppidaque non pauca, quæ hinc Chilpericum, illinc Gunteramnum iniuria occupasse coarguebat, repetijt, Anno Christi quingentesimo octogesimo quinto; spe nihilominus patruorum Regni Austrasianis opibus adiungendi, ab incepto destitit, fœdusque cum Reccaredo in Hispania Rege, pepigit, Anno Christi quingentesimo octogesimo nono, *vt placet Gregorio Turonensi lib. 9.* Proximo denique, à Mauritio Imperatore euocatus anno ingentem duxit exercitum. Iustinianus Iustini Augusti nepos magnum sibi nomen crebris victorijs pepererat.

Antherith, Longobardis Ducum regimen pertæsis, salutatus fuit, Anno Christi quingentesimo octogesimo quinto, Flauijque nomen assumpsit, qua appellatione, Longobardorum Reges donati fuere. Anno vero quingentesimo octogesimo nono, Theodelindam Charibaldi Bauarorum Regis filiam toro sibi iunxit. *Paulus Diaconus.*

Reccaredus Princeps pietate, & animi magnitudine clarus, Leouigildo parente sublato, Visigothorum res prosperè administrauit, anno proximo.

Varanes Dux clarissimus, accepta ab Hormisda Persarum Rege, veste muliebri, ignominiæ causa, ob rem male gestam, priuatusque præfectura, arma in eum vertens, captum, vinctumque, in carcerem coniecit, illiusque filium nomine Chosroem, Regem omnium procerum votis acclamauit, eodem Anno Christi, scilicet quingentesimo nonagesimo. *Miscella lib. 17.*

Ethelericus rerum potitus est in Northumbria sub idem tempus; *vt scribit Polydorus.* Carolomannus item Pipini pater, Thuringiorum, & Brabantiæ Prouincijs præerat, Hasbano patre illustrissimo Principe extincto. *Sigonius.*

VIRI ERVDITI.

Euagrius Scholasticus acris, feruentisque ingenij, Historiam à tempore, quo Sozomenus desijt ad, Annum Christi quingentesimum nonagesimum septimum, libris sex complexus est. *Gesnerus.*

Theophilactus Sophista, cognomento Sinæcates, scripsit morales quasdam Epistolas, & rusticas. Historiam insuper orbis totius, & librum de rebus gestis Mauritij Imperatoris. *Suidas, & alij.*

Eluodugus Probus, natione Britannus, & Nennij viri eximia doctrina illustris præceptor, Historiam Britannicam doctè composuit. *Pithæus de viris illustribus.*

NATALITIA AVGVSTA.

Chilperico Francorum Regi, & Clotarij primi filio, natus est ex Fredegunde Clotarius, Anno Christi quingentesimo octogesimo septimo. Sequenti vero Theodebertus Childeberto Austrasiæ Principi, qui altero item auctus fuit, Anno Christi quingentesimo nonagesimo, Theodorico nuncupato, *vt testantur Annales Franciæ, ac in primis Gregorius Turonensis.*

REGNORVM ORTVS.

Prima Merciorum Regni initia fuere, Anno Christi quingentesimo octogesimo quinto, primusque Rex Crida appellatus, vir magnis clarus virtutibus; durauitque Regnum hocce amplissimum ducentis triginta quinque annis. *Polydorus.*

REGNORVM OCCASVS.

Sueuorum Regnum potentissimum, centumque septuaginta annis florentissimum, Leouigildi Visigothorum Regis in Hispania victricibus armis corruit, Anno Christi quingentesimo

octogesimo quarto, & ad Visigothos translatum. *Isidoro teste.*

Australium vero Saxonum Regnum ab Orientalibus occupatum Aldimo Rege imperante extinctum fuit, Anno Christi quingentesimo nonagesimo, durauitque annis centum, & nouem, *vt referunt Historici.*

PRODIGIA,

Gratissimus florum decor arbores vestiuit mense Septembri, Anni Christi quingentesimi octogesimi tertij.

Apud Augustam Suessionum in Gallia Belgica insignem ciuitatem, cœlum ardere visum est; Carnutumque in agro sanguis ex effracto pane profluxit.

Romæ sub idem tempus Angelus in summa Adriani mole apparuit, gladium vagina sua recondens.

Anno vero quingentesimo octogesimo quinto, Cometa horridus multorum dierum spatio in conspectum se dedit; *vt refert Gregorius Turonensis, & Aimoinus.*

Sagittas denique cœlitus in hominum capita immissas fuisse, Anno Christi quingentesimo nonagesimo, *asserit Gregorius Papa.*

CALAMITATES.

Antiochia Syriæ immani terræ motu grauiter quassata fuit, Anno Christi quingentesimo octogesimo primo, totaque Daphnè concidit, *vt refert Euagrius lib. 5. cap. 17. & 18. & Nicephorus lib. 18. cap. 3.*

Elementa omnia, biennio post ita grassata sunt, vt vniuerso orbi ingentia mala intulerint: Liger quidem Galliæ fluuius, in Aruernorum finibus ortum sumens; nec procul à Pictonibus in Oceanum Britannicum influens, Æduosque à Biturigibus, & Celtas, ab Aquitanis diuidens, magnam segetum, ac pecorum vim fluctibus suis absorpsit.

Rhodanus Galliæ item fluuius percelebris, nec longe à Danubij, & Rheni fontibus enascens, inque mare Mediterraneum se exonerans, ita præter morem excreuerat, vt ædificia

quamplurima, immo vrbes amplissimas disiecerit.

Aruernia eodem anno continuis imbribus sic inundauit, vt maior illius pars in stagnum abierit.

Ventorum procella adeo vehementer terris incubuit, vt permultos homines, vario abreptos turbine interemerit, sepes eruerit, syluas prostrauerit, domosque euerterit. Pyrenæus mons pergrandia è visceribus suis saxa ad omnium terrorem magno impetu excussit.

Ignis è cœlo emissus Burdegalam vrbem fœde deformauit, plerasque tùm publicas, tùm priuatas ædes exhausit. Aurelia simile incendium perpessa fuit. Lutetia eodem tempore flammis absumpta.

Antiochia tanto, tamque ingenti terræ concussu afflicta fuit, Anno Christi quingentesimo octogesimo septimo, vt magnam ædificiorum hominumque stragem ediderit. Sexaginta enim hominum millia hocce horrendo motu, *Euagrio auctore lib. 6.* periere.

Densissima grando magnam Biturigibus perniciem creauit, Anno Christi quingentesimo octogesimo octauo. Sequenti autem Tyberis tam portentoso auctu intumuit, vt murorum vrbis altitudinem æquarit, ipsoque dein mense Ianuario Anni quingentesimi nonagesimi, vulgaris lues diuinitus immissa adeo desæuijt vt plures alioqui valentes sternutando, vel oscitando animam efflarint. Summam insuper populis, ac Romæ in primis vastitatem importauit. Precibus tamen Gregorij Pontificis sensim remittens, extincta fuit Testis autem placati supremi numinis fuit Angelus gladium vagina condens, & qui celebre deinde arci nomen ad posteros dedit. *Gregorius Turonensis, Aimoinus, & alij.*

RES BELLICÆ.

Tiberius Imperator, Iustini Augusti nepotis, & Mauritij opera Persarum Regem Chosroem, Romanum Imperium inuadentem, varijs profligauit prælijs, Anno Christi quingentesimo octogesimo primo, fœdaque populatione totam Persidem incursauit. Immo ipsum Regem tot victorijs hactenus elatum ad extrema redegit, coegitque paulo ante ipsius obi-

tum, legem ferre, qua vetuit ne vllus imposterùm Persarum Rex arma contra Romanos verteret. *Euagrius lib. 5. & Agathias lib. 4.*

Philippicus Orientis præfectus, multarumque palmarum vir, Persarum rursus prouincias longè, lateque grassatus est, duasque insignes cum opimis spolijs victorias de hostibus retulit, Anno Christi quingentesimo octogesimo sexto, *vt asserit Miscella lib. 17. & Cedrenus.*

Gunteramnus Francorum Rex validissimas contra Gothos, in ea Galliæ Narbonensis parte, quæ à militibus Legionis septimæ hunc agrum incolentibus, septimania dicebatur, nunc autem Occitania, vulgo Languedoc, sedes fixas tenebant, copias sub idem tempus immisit, sacra, profanaque hostili more diripientes. Ad Carcassonem acriter pugnatum est. Victi primo Gothi, & intra mœnia compulsi; Verum irruptione ex inde facta, signaque bellica, quasi tunc primum pugna committeretur, deintegro cauentes, mutata prælij fortuna, qui enim terga dederant, vulnerum obliti, laborisque, prælium maiori impetu, restitutis ordinibus, repararunt. Attoniti hostes Gothorum audacia, breui loco moti; tum cæso Desiderio Duce, paucos fuga seruauit.

Biennio post ciuile bellum à Gundebaldo Scenico Rege, & fictitio exortum est, Anno Christi quingentesimo octogesimo octauo. Huius siquidem partes, non vrbes modo, sed integræ prouinciæ, Regnique proceres sustinebant. Gunteramni tamen opera, tùm vrbium, tùm prouinciarum, procerumque societas dissoluta fuit. Verum purpuram, non nisi armis coactus, deposuit. Lugdunum autem ingressus hostium impetus facilè repressisset, ni à suis proditus fuisset. Seuitum in vrbem quæ Regem illum adumbratum admiserat, trucidati & ciues promiscuè, & sacerdotes, vt hoc exemplo discerent ciuitates, Regem suum, & non personatum salutare. *Ita Francorum Historici.*

Tentata iterum fuit à Gunteramno septimania, Anno Christi quingentesimo octogesimo nono. Hic enim magnis delectibus, tota ditione, habitis, numerosissimum conflauit exercitum. Sexaginta siquidem hominum millia censebantur. Itaque Boso Dux, Regis sui iussu, in Galliæ Gothicæ fines, cum ingenti

ingenti exercitu irruit. Quo audito nuntio, Claudius Lusitaniæ Dux, ex antiquo Romanorum sanguine prognatus, in Galliam aduolauit, tùm ad Carcassonem hostes nactus, collatis signis fœliciter debellauit, cæsis, aut captis sexaginta Francorum millibus. Clara victoria, & qua illustrior nulla extiterat in Hispania; immo Gothorum paucitate mirabilior. Scribunt enim Auctores, à trecentis Hispanis, & Gothis, tantum prodijsse miraculum. Propius tamen vero est, parem vtriusque gentis fuisse fortunam; & certe, si maiori Francorum clade bellum exijsset, vnde in danda supplicibus pace, Gunteramni paulo obstinatior animus? Ita siquidem Franci deuicti fuere, vt Visigothis pax, à Gunteramno minime concessa fuerit.

Childebertus Austrasiæ Rex, Mauritio Augusto impellente, in Longobardos Imperij hostes mouit, Anno Christi quingentesimo nonagesimo, & vt Antherim eorum Regem, spe fidissimi, certissimique auxilij denudaret, in Charibaldum, illius socerum, Bauarosque signa tulit, victorque Tassilonem Regem Bauaris imposuit, iussum Sclauos, ab ope Longobardis ferenda, arcere. Exin Duces clarissimos in Antharim misit; quorum primus Holo, manum vnam Bilitionem Mediolanensium oppidum duxit, vbi iaculo transfossus, suorum animos turbauit, coëgitque ad Duces alios confestim se recipere. Cedinus interim, cum maxima collegarum Ducum parte, Æmiliam, Venetiamque emensus, populationes effuse fecit. In Tridentinæ regionis finibus, oppida septem inuasit, oppidanosque abduxit. Aldoaldus autem cum reliquis Ducibus, castra in vrbis Mediolani conspectu, locauit, Mauritij Cæsaris auxilia opperiens, vt ex composito hostes aggrederentur, vrbemque omni vi expugnarent. Verum cum vltra constitutam diem expectatum esset, neque hostis pugnæ potestatem faceret, re infecta in Austrasiam reditum. Tum Childebertus hæc ægre patiens, semelque, atque iterum expertus, complurium Imperium rei militari officere, ipse rursus eam prouinciam suscepit, verius arte, quam copijs conficiendam. Ratus itaque nullam præualidam armis gentem inter se consentientem, vinci ab externo hoste, quamuis feroci, opibusque præstanti posses sollicitauit hostium proceres, vt nomen regium, cuius

antea eos pœnituerat, tollerent; Ducesque rursus crearent, ad quos rerum summa deferretur; quosdamque metu, si florentissimo Regi aduersarentur, in suam sententiam perduxerat, pollicitus se ex templo deducturum exercitum, & in illorum arbitrio regendam Italiam relicturum; sin vero Antharim illius hostem tutari perseuerarent, eos cum illo perituros. Mox Duces tres ab Anthari defecerunt, reliquorumque fides suspecta, ita inter se commissis hostibus ex prouincia decessit. *Gregorio teste.*

REI INSIGNES.

Saxæ quædam mulieres, Chilperici Francorum Regis filij mortis insimulatæ, vario suppliciorum genere, periere, Anno Christi quingentesimo octogesimo septimo. Mummolus item Dux eiusdem necis conscius factus, post grauissima inflicta tormenta, interijt. Rei vero coniurationis in Gunteramnum Francorum Regem factæ, cecidere, Anno Christi quingentesimo nonagesimo. *Gregorius Turonensis.*

Gundebaldus vltimæ sortis homo, regiæ maiestatis originem ementitus, post tumultus magnos, ac tantos, quos concitauerat, vt nulla maior in Francia, ab Imperio condito, perturbatio fuerit, traditus à suis, captusque, obtruncatus cecidit, nec fœliciorem exitum, egregiæ, nouæ, & imaginariæ potentiæ, Satellites sortiti sunt. *Aimoinus, & alij.*

OBITVS ILLVSTRES.

Chosroes Persarum Rex à Tiberio Imperatore profligatus, præ dolore obijt, Anno Christi quingentesimo octogesimo primo, *vt refert Procopius*, qui asserit eum regnasse annos quadraginta octo. *Euagrius* vult ipsum in extremis, aquis lustralibus initiatum fuisse.

Austregildis Gunteramni Aurelianorum Regis coniux, desijt, Anno Christi quingentesimo octogesimo tertio. *Gregorius Turonensis.* Clodouæus Chilperici ex priore vxore Audouera filius, Fredegundis artibus interijt sub, idem tempus.

Hermenegildus Leouigildi Hispaniæ Regis filius, patris

iussu, securi percussus fuit. Hasbanus Thuringiorum, & Brabantiæ Dux, Carolomanni pater, & Pipini auus supremum diem clausit.

Antharit Longobardorum Rex, lege ipsius nomine lata, ne Orthodoxorum filij sacro inaugurarentur baptismate, è viuis, supremo vlciscente numine abreptus fuit, Anno Christi quingentesimo nonagesimo. *Paulus Diaconus de gestis Longobardorum.*

Leouigildus Visigothorum, Rex vita functus est eodem anno, *vt testatur Gregorius Turonensis & Lucas Tudensis, vt Ioannes Biclarensis, huius temporis scriptor,* qui perbreuem à Iustino iuniore, vsque ad annum Mauritij Imperatoris octauum, Historiam continens, Reccaredo, Leouigildi successori, primum Imperij sui annum, quintum Mauritij, & Gregorij summi Pontificis primum, assignauit. Hic tamen vehementer aduerte, annos Imperij Mauritij, numerari consueuisse ab ipsius consulatu, hoc est, Anno quingentesimo octogesimo quinto, vt patet ex quibusdam monumentis. Sunt tamen alij, qui illius obitum ad Annum quingentesimum nonagesimum quintum referunt.

Hormisdas Persarum Rex è solio detrusus cæsusque fustibus, Chosroe filio imperante, è vita infœlici decessit exitu, sub idem tempus. *Miscella lib.* 17. Adde Allam, secundum Northumbriæ Regem in Anglia mortuum. *Polydorus, & alij.*





DECAS DECIMA.

MAVRITII IMPERATORIS Gesta.

CHosroem iuniorem Hormisdæ filium profugum, Regnoque exutum, summa humanitate excepit, magnisque coluit honoribus, Anno Christi quingentesimo nonagesimo primo; Dein ipsum in Persidem, Narsete Duce, valido cum exercitu remisit, vt attritis hostibus, Imperio, è quo expulsus fuerat, potiretur. *Euagrius lib. 6.*

Anno autem proximo Iuliani Apostatæ, legem, qua, vetuerat ne quis militiæ Romanæ adscriptus, ea nondum expleta, Deo militaret, non sine magna nominis sui labe reposuit, *vt constat ex Epist. 62. & 63. Gregorij summi pontificis.*

Pacem cum Agilulpho Longobardorum Rege diu expetitam firmauit, Anno Christi quingentesimo nonagesimo octauo. Graui item sub idem tempus morbo laborans testamentum condidit, quo, Theodosium, filiorum natu maximum, Constantinopolis Dominum, totiusque Orientis administratorem creauit. Tiberio autem Romam veterem, cum Italia, & Insulis Maris Tyrrheni delegauit; tum cæteras Romanæ ditionis prouincias, reliquos inter filios partitus est, quibus, ætate adhuc immaturis Domitianum cognatum suum, Ecclesiæ Militensis Antistitem, virum prudentia, & ingenio præstantem, tum ad res maximas peragendas summè idoneum, tutorem designauit; *vt refert Theophilactus.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Chosroes iunior Mauritij Imperatoris operâ, in Persarum Regnum restitutus, Anno Christi quingentesimo nonagesimo primo, multa pietatis non vulgaris signa edidit; Pretiosaque S. Sergio martyri dona obtulit. *Auctore Euagrio lib. 5.*

Narses Patricius, Romanorum exercitûs Dux celeberrimus, varijsque victorijs inclytus, magnam cum Gregorio summo Pontifice, consuetudinem contraxerat. *Gregorius Epist. 63.*

Agilulphus, siue Agon, Taurinorum Dux, & sectâ Arianus, vir fortis, & ætate florens, Theodolindæ Longobardorum Reginæ viduæ, Thalami, Imperijque consors factus fuit, Mense Maïo, eiusdem Anni quingentesimi nonagesimi primi. Hic ipso principatus sui exordio, captiuos, quos Childebertus ex Tridentino agro, hostiliter abduxerat, redemit, pacemque ab ipso Rege impetrauit; tum ad domesticos motus compescendos animum adiecit, debellatisque hostibus, Regnum Italiæ stabiliuit, Roma siquidem, & Rauenna, exceptis, alijsque locis, ad eas ciuitates spectantibus, vniuersa Italia ab Alpinis montibus, Rhegium vsque illi parebat. *Paulus Diaconus, & alij.*

Romanus Italiæ Exarchus, Patauium, cæteraque loca, quæ inter Padum, & Alpes, in officio manebant, validis muniuit præsidijs, eodem Christi anno. Mox Rauenna Romam profectus est, eas vrbes recepturus, quas Longobardi interceperant.

Varanes magni erat nominis apud Persas, quorum copijs, longo annorum tractu præfuit, *vt scribit Bizarus in sua Historia Persica & alij.* Childebertus Austrasiæ Rex funesta contra Clotarium secundum adhuc infantem molitur, in eumque numerosum parat exercitum. *Paulus Æmilius.*

Theodebertus, sublato parente, Mediomatricum, & Australianorum Imperium, quod Campaniæ superioris partem continens, ad Alemannos vsque protendebatur, sub Brunechildis tutela suscepit, Anno Christi quingentesimo nonage-

ſimo ſexto, *vt conſtat ex Epiſt. 58. Gregorij Pontificis, & ex actis S. Columbani, tum etiam ex Gaguino.* Theodoricus vero frater Burgundia potitus eſt hoc tempore, ſub regimine eiuſdem Reginæ. Diuerſa autem erant illis ingenia. Hic enim ſæuus, truculentus, ſtupris ganeiſque deditus, alter vero clemens, religioſus, pietatiſque, ac bonorum cultor.

Reccaredus Leouigildi filius eximiâ virtute inſignis, Viſigothis imperabat in Hiſpania. Huic Clotoſinda Chilberti Regis ſoror, Anthari Longobardorum Principi promiſſa licet, collocata fuit. Francos ſiquidem cogitatio hæc ſubierat, diuerſorum nempe ſacrorum matrimonia, infœliciter, infauſteque iungi; Antherim autem variorum Deorum ſuperſtitione teneri. Rectaredum autem Religionis noſtræ veneranda myſteria ſummè colere. *Paulus Æmilius.*

Gunteramnus Aurelianenſis Rex clariſſimus publicam rem tanta fœlicitate adminiſtrabat, tantoque Francis omnibus erat exemplo, vt cum aulæ proceres vehementer ſtuperent, *vt referunt Annales Francici.*

Priſcus Patricius, cui Mauritius Imperator præfecturam ademerat, in gratiam Principis reſtitutus, contra Chaganum Auarum Regem miſſus fuit cum ingenti exercitu, Anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo tertio; eiuſque armis, atque virtute, Europa ab hoſtium incurſionibus liberata fuit. *Nicephoro teſte.*

Callinicus, ſeu Gallinicius, *vt vult Miſcella*, in locum Romani Exarchi ſubrogatus, Anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo octauo, bellum cum infeſta, hoſtilique Longobardorum gente, inſtauraſſet, niſi virium conſcientia deterritus fuiſſet. Quare inducias ad certum tempus pactus eſt cum Agilulpho Rege, qui pia Theodelindæ coniugis ſuaſione, aliquid, ex innata ferocitate, immanitateque, depoſuerat.

VIRI ERVDITI.

Menander Protector ſcripſit Hiſtoriam ab obitu Agathiæ auſpicatus. Fulgentius Epiſcopus primo Aſtigitanus, dein Carthaginenſis, vir Hebræi, Græci, Arabici, Syriaci, & Latini ſermonis peritiſſimus, *vt ſcribit Vaſæus.*

Gregorius Turonensis Episcopus, Francorum Historiam libris decem complexus est. Licinianus Carthaginensis Spartiatæ Episcopus, scripsit Epistolarum librum vnum ad Eutropium Abbatem: Alterum ad diuersos, pleraque alia opera. *Trithemio Auctore & Vasæo.*

Maximus, Cæsar-augustanæ Vrbs Episcopus, insigne volumen, opusque amœnum composuit de gestis Gothorum in Hispanijs, *vt refert Conradus.* Ioannes Girundensis Episcopus, natione Gothus librum vnum additionum ad Chronicon contexuit. *Auctor citatus.*

Belarnus Presbyter Britannus, & Nenij post Eluodugum Magister, vir omni doctrina imbutus, plurimum antiquitatibus inuestigandis se dedit, maximeque in genealogijs nationum perscrutandis versatus fuit. Anglo-saxonum origines, postquam Britanniam ingressi fuere, accuratissime indagauit; librumque de genealogijs gentium euulgauit. Dionatus vero Auonius eruditione percelebris, librum Epistolarum nobis reliquit, aliaque plura pia opera, quæ habes in sacra mea Historia.

PRODIGIA.

Sol tanta fuit offusus caligine, Anno Christi quingentesimo, nonagesimo tertio, vt maximum toti Thraciæ horrorem incusserit. Mulier item eadem in Regione, puerum, oculis, manibus, brachijsque, carentem, & cui piscis cauda, ad femora vsque protendebatur, peperit, sub idem tempus. *Bizarus in Historia Persica.*

CALAMITATES.

Atrox lues Africam depasta est, Anno Christi quingentesimo nonagesimo nono, *vt scribit Gregorius Pontifex lib. 8. Epist. 41.* sequenti vero magni Caiani Auarum Regis exercitus partem, Constantinopolitanum agrum perualtantem consumpsit. *Miscella & Nicephorus.*

RES BELLICÆ.

Chosroes iunior, fauente Narsete, Romani exercitus Duce, in Persas qui ipsum è suo expulerant solio, signa tulit, commissaque secundo Marte Pugna, eos penitus deleuit. Tum sex captiuorum millia, nulla mora confodi iussit, purpuramque qua exutus fuerat, summo cum honore resumpsit, Anno Christi quingentesimo nonagesimo primo. *Miscella lib.* 17. Agilulphus Longobardorum Rex in Gandulphum Bergomacium Ducem, qui Gomacinam arcem occuparat, tumultuario cum exercitu aduolauit, recuperauitque eodem anno.

Proximo autem Arnulphus Longobardus Spoleti Dux, in Italam desæuijt, omnia ferro, flammaque complens; *vt testatur Gregorius Papa Epist.* 31. *lib.* 2. qua Ioannem Rauennatem Episcopum rogat, vt cum Romano Patricio, & Exarcho, Rauennæ commorante, pacem, æquis tamen conditionibus ineat.

Bellum cruentum, in Clotarium secundum, ipsiusque matrem à Childeberto, Brunechildis impulsu motum fuit, Anno Christi quingentesimo nonagesimo tertio. Hic enim coacto ingenti exercitu, in Suessionum, qui in Clotarij fide erant, finibus, castra posuit: cui virili animo, Fredegundis obuiam, magnis itineribus, cum filio progressa est. Dein ordines omnes percurrens, puerum suum Regem, Magni Clodouæi sobolem circumtulit, eorumque fidei, virtutique commendauit, eius pueritiam, hosti contemptui esse clamitans quasi, exercitus sine suo Rege, & Rex sine suo milite foret. Tantum materna hæc vox, Principisque tenella ætas ardorem animis subdidit, vt collatis signis triginta armatorum millia cæsa fuerint; vixque fuga incolumis Childebertus respersus ignominia euaserit. Auares Caiano Duce Thraciam sub idem tempus magnis cædibus infestantes trans Istrum fœliciter expulsi fuere. *Nicephorus, Euagrius.*

Romanus Italiæ Exarchus Perusiam, quæ haud ita pridem, in Longobardorum venerat potestatem, Mauritione illorum Duce, promissionibus illecto recepit, Anno Christi quingentesimo nonagesimo quinto, Perusiæ vero exemplum securæ, Horta, Ameria, Tuder, Sutrium, Polyonarcium, aliæque non-

nullæ

nullæ ciuitates, ad Romanos pariter defecere. Certior de his factus Agilulphus, & Perusiæ in primis amissionem, seu situs opportunitate, seu opum copia, & ciuium, magni rebus suis momenti esse animaduertens, infesto in eam agmine properanter contendit, obsessamque non multo post recepit, Mauritione Auctore defectionis interempto. Mox Romanum agrum longa populatione incursauit, amissisque paulo ante vrbibus, breui potitus, Ticinum reuersus est. *Paulus Diaconus.*

Hunnos ex Pannoniæ finibus eijcere adortus Mauritius Imperator; Theodosij filij, & Germani soceri illius opera, Caiano bellum intulit, Anno Christi quingentesimo nonagesimo octauo. Hic pluribus deuictus prælijs ad Sclauinos confugit, Pannonia hostibus relicta. Sclauini autem Istriæ oram, tumultuosè ingressi, vniuersum Polæ vrbis à Colchis conditæ, Segriæ, & Iaderæ Regionis tractum funestarunt; nec quieuere in Italia Longobardi. Ea propter Italiæ Exarchus Parmam vbi Agilulphi Regis filia ex priori coniuge Taurinensi procreata, inopinato occupauit. Permouit vehementer ea clades Agilulphum, sed cum multo maiores Exarcho essent copiæ, belli impetu procul auerso, Patauium, vallo dumtaxat munitum, de repente inuasit.

Cæterum ciuitas hæc nobilissima ab Attalico excidio, sine mœnibus, fossa, humanoque cultu propemodum deserta, ad Theodoricum vsque Gothorum Regem, qui eam vallo tantum muniri curarat, fœdissime iacuerat. Eius vero ædificia tùm priuata, tum publica, ab hac prima instauratione, ad Agilulphi expugnationem, ex asseribus, quibus abundat hæc regio, extructa fuerant. Quam ob rem Longobardus hostis, validiore ventorum flatu incensas faces in aduersa tecta, sagittariorum opera, confestim immisit, parsque ædium maxima, non multo post flammis absumpta fuit. Hac strage perterriti Patauini deditionem fecere, Barbari vero dedita vrbe, ciuibusque cum præsidio dimissis, quod reliquum fuit, fœdo exhausere incendio.

Sclauini Imperio Romano infesti Barbari, Istriam deprædati, Italiam penetrarunt, Anno Christi sexcentesimo. Caianus autem Auarum Rex, Longobardorum res hostiliter aggressus est sub idem tempus. Venetiam enim inundans, in

P

campos Foroiulienses irrupit, cui Gilulphus, huius prouinciæ Dux, magno cum exercitu obuius fuit. Committitur atrox prælium, pugnaturque maioribus animis, quam viribus. Funesta hæc pugna Longobardis fuit. Barbarus autem etsi cruentam adeptus fuisset victoriam, ferocior factus, alijs alio dimissis, ad vrbes subigendas, Regionemque euastandam, ipse cum multo maxima parte copiarum, Forum Iulium firmissimum propugnaculum, maiori certe conatu, quam spe vrbis potiundæ, obsidet. Defendebatur valide, aduersus omnes hostium impressiones, oppidum Sed quod nulla vis potuerat, mulieris intemperies peregit. Romulida siquidem Gisulpho viro, & Longobardorum Duce in acie cæso, Caiani Auarum Regis mœnibus obequitantis, formaque, atque ætate florentis amore capta, infames nuptias, patriæ, ciuiumque proditione, pacta est. Hanc Barbarus in vrbem admissus, ne fidem falleret, nocte vna in vxorem habuit. Dein effrænatam mulieris libidinem, duodecim robustissimis militibus subiecit, paloque per pudenda adacto, in sublime tolli curauit vt & ciuibus, quos prodiderat, stupendum esset spectaculum, & omnes addiscerent, nec libidinem rationi, nec voluptatem vtili, atque honesto, esse anteponendam, perfidiamque nullo modo tutam esse. Porro quidquid Heruli, Gothi, & recentes Longobardi, ex tota Cisalpina Gallia, longo annorum tractu, in illud propugnaculum congesserant, exhaustum penitus fuit, tùm multitudine inde educta, igne combustum, & solo æquatum. Plura tamen fuere loca, in ea Regione, quæ capi non potuerunt vt Conihona, Memasum, Osopium, Artenia, Reumare, Gelmona. *Paulus Diaconus*. Denique idem Auarum Princeps in Pannoniam inferiorem irruens, eodem Christi Anno; mox in Thraciam, Byzantium periturus, tantum toti orbi timorem iniecit, vt ciues Europam deserendi, & in Asiam, atque Chalcedonem confugiendi, consilium inierint.

REI INSIGNES.

Argimundus Dux, funesta in Reccaredum Hispaniæ Regem moliens, ad cutem detonsus, (quod amissæ nobilitatis insigne erat, extantque etiamnum Francorum leges, de iure

Cæsarici) dein præcisa manu, asino impositus per Toleti plateas traductus, totiusque populi calumnijs laceratus, capite plexus est, Anno Christi quingentesimo nonagesimo tertio, Reccaredi Principis quarto. *Ita Ioannes Biclarensis.* Sittas insuper Persa, maiestatis reus, lapidibus, à Myrtoropolitanis obrutus fuit, tùm in crucem actus. *Bizarus de re Persica.*

OBITVS ILLVSTRES.

Childebertus Austrasiæ Rex vita functus est, Anno Christi quingentesimo nonagesimo sexto, Regnique sui hæredes Theodoricum, & Theodebertum filios suos reliquit. *Gregorius Pontifex Epist.* 58. *lib.* 5. Biennio post Thessalonus Boiorum Regulus desijt, *vt refert Auentinus.*

Gunteramnus Francorum Rex, illustri pietatis, cæterarumque virtutum memoria, quæ Ecclesiasticis commendata tabulis, vigesimo octauo Martij, quotannis repetitur, decessit, Anno Christi quingentesimo nonagesimo octauo, principatus sui trigesimo tertio, *vt colligimus ex Epistola sexta, & quinquagesima octaua lib.* 5. *Gregorij Pontificis, & plerique alij scriptores asserunt.*

Fredegundis Clotarij secundi Francorum Regis mater, & Chilperici Principis coniux, cuius necis aliorumque clarissimorum virorum auctor fuit; cuique nemo hostis, sine sui pernicie, ætate iam confecta, naturæ concessit sub idem tempus. *Fredegario Auctore.*





SÆCVLI SEPTIMI, DECAS PRIMA.

MAVRITII IMPERATORIS Gesta, & Obitus.



Ccepto nuntio de Phoca nouo Augusto creato, populum crebris adhortationibus in officio continere sæpe tentauit. Verum cum labare hominum studia, suosque conatus irritos esse aduertisset; aulæ se substraxit; nauemque cum vxore sua Constantina, ac filijs, maturatè conscendit. Theodosium autem natu maiorem, & collegam Imperij, ad Chosroem Persarum Regem actutum misit, vt memor accepti beneficij, pari officio, filium suum prosequeretur.

De ijs certior factus Tyrannus, Chalcedonis vrbis portum, Eutropij dictum, quò Mauritius confugerat, festinanter adnauigauit, captumque Principem, capite damnauit, Mense Nouembri, Anni Christi sexcentesimi secundi, principatus sui vigesimi, & ætatis sexagesimi tertij. *Ita Cedrenus, Nicephorus, & Gregorius Pontifex.*

ICON

MAVRITII IMPERATORIS.

Mauritius, è Cappadocia oriundus, oppido Arabisso; Vigilum Præfectus primum à Iustino creatus, dein Tiberij gener, mox Augustus, Orientis Imperij gubernacula suscepit. Ipso principatus exordio, ingentes clades Persis intulit; ijsque debellatis, Chosroem profugum,

ac supplicem in Regnum restituit. Scythas ex Mœsia repulit. Longobardos in Italia repressit. Theodosij filij sui, Germanique soceri opera, victos Hunnos, atque ex Pannonijs exactos, ad solitudines fugauit; illorumque Ducem Caianum summopere afflixit. Rem vero Romanam singulari fœlicitate, pluribus illustris victorijs, pluribus annis administrauit. Exeunte tamen Imperio, ita ad opes propensus fuit, vt nulla militibus, ijs præsertim qui Sarmatico limiti contra Scytharum impetus, sterili loco ac difficili, geluque perhorrido, præerant, stipendia erogarit; Immo captiuorum Christianorum multa millia, ab immani Auarum Regis Carnificina, leuissimo etiam pretio redimere abnuerit, summamque illam, quam sibi tot præclaris bellicis facinoribus gloriam pepererat, fœdo hocce auaritiæ crimine deturpauit. Quare delictorum suorum conscius, eorumque vltrices pœnas, viuos inter persoluere vehementer expetens, Deo annuente, & Phoca Tyranno iubente, singulari constantia, animique magnitudine, cum filijs obtruncatus fuit; hacque vna, in sua, suorumque cæde, vox excepta [IVSTVS ES DOMINE, ET RECTVM IVDICIVM TVVM.] Non alius certe Imperator aut acerbiorem fortunam expertus est, aut fortius tolerauit.

PHOCÆ IMPERATORIS Gesta, & Obitus.

Concitato, apud Istrum, contra Mauritium, exercitu, Anno Christi sexcentesimo secundo, Phocas centurio, Imperator à militibus salutatus fuit, Byzantiumque confestim delatus, & à Senatu, ad Hebdomum exceptus, exacta, à Cyriaco Episcopo Constantinopolitano, Catholicæ fidei confessione, Augusti insignibus, in S. Ioannis Baptistæ templo, omnium ordinum consensu exornatus est; quintoque post die Leontia eius coniux, Augusta appellata. Dein, tùm suam, tùm vxoris imaginem, Romam deferri curauit, septimo Kalendas Maij, Anni sexcentesimi tertij, quibus ab omni Clero, & Senatu, acclamatum est in Ecclesia Lateranensi, faustaque illis omnia, pro more solemni, Romani ciues precati sunt; *vt habetur apud Gregorium Pontificem, ipso exordio libri vndecimi Epistolarum.* Vsus enim ille inualuerat, vt Imperatorum imagines, ad diuersas prouincias, Romano orbi subiectas mitterentur, ijsque debitus honoris cultus deferretur. De earum

autem veneratione, multa habes *in Epistola Gregorij secundi ad Leonem Isau icum.*

Theodosium, à Mauritio patre, ad Chosroem Persarum Regem missum, Nicææ interceptum, capite mulctauit, anno proximo, vt volunt aliqui. Quamquam diu creditum, alium eius loco cæsum fuisse; vnde crebriores subinde molitiones, in suum caput exortæ. Controuersia item de principatu inter Romanam, & Constantinopolitanam sedem enata, Romanæ fauit, *vt scribunt Anastasius, & Paulus Diaconus.*

Pactis, cum Caiano Rege, inducijs, Anno sexcentesimo quinto, vires in Orientem vertit, cumque aperto Marte, Narsetem, virum bellica re illustrem vincere nequiret; dolis aggressus est. Siquidem etsi sub sacramenti semel, atque iterum interpositi religione, oblata ei fuisset venia, flammis tamen, hac simulatione, in potestatem receptum, consumpsit.

Constantinam Mauritij vxorem, ac tres illius filias, quæ hactenus Tyranni manus effugerant, factaque, (Germano Patricio id agente, qui Imperio inhiabat) populi seditione, ad templum maximum confugerant, in Monasterium migrare coëgit, Anno Christi sexcentesimo tertio, Principatus quarto. *Theophanes.*

Bonifacio Pontifici Panthæon, nobile ciuitatis Romanæ delubrum, petenti, vt illud, solemni ritu, expurgatum, in honorem Dei genitricis Mariæ, sanctorumque omnium Martyrum, Domino consecraret, non grauatè concessit anno sequenti; *vt testantur Beda, & Anastasius.* Sicque miraculum illud tot antiquorum scriptorum præconijs celebratum, & à Marco Agrippa ter consule, Augusti Imperatoris tempore erectum templum, Iouique Vindici, ac reliquis Dijs dicatum, cessit tandem vsui Christianæ Religionis, post sexcentos tamen triginta duos annos.

Filiam suam Domitiam, seu Domnentiam, vt volunt aliqui, Prisco Patricio, & Comiti excubitorum in vxorem dedit. Eius nuptiæ summo cum apparatu in palatio Marniæ factæ, ludusque Equestris, illustri Pompa, exhibitus. *Miscella lib.* 17.

Sæuit in nobiles, Anno Christi sexcentesimo octauo, principatus sexto, Prætoremque Thraciæ strenuum belli Ducem extinxit. Proximo autem Bonosum Orientis Præfectura do-

natum, in Iudæos noua molientes, immisit. In circo demum conuitijs appetitus, sontes pariter, atque insontes interfici iussit, totque insignes, famaque præstantes viros in carcerem coniecit, vt maior pars præ multitudine, pœdore, fœtoreque perierit.

Verum dum domesticis intentus est cædibus, nobiliumque Procerum carnificinam identidem instaurat. Heraclius Principum omnium votis Augustus in Africa creatus, ingenti cum classe, Constantinopolim appulit, victricibusque armis, in vrbem ingressus, & magnis acclamationibus exceptus, rerum potitus est, Anno Christi sexcentesimo decimo. Tum Photinus quidam, cuius vxori Phocas stuprum intulerat, in regiam irrumpens ipsum è solio deturbauit, purpura exuit, nigraque indutum veste, ad Heraclium deduxit, qui sic eum affatus est. Ita ne perfide Rempublicam administrasti. Ad hæc ille nondum pristinæ fortunæ oblitus, ferociam tamen suam, vtcumque sustinens, ista subdidit; Tuum erit, eam rectius administrare. Tum Heraclius ira accensus, manus illi primo, mox pedes, pudendaque, atque caput amputari iussit. Reliquum cadauer in foro bouis, (hoc est, in eo loco, in quo æneus ad bouis formam constructus erat caminus) milites combussere, anno principatus sui octauo. *Theophanes*, *&* *Cedrenus*. Nec illud, de eo silendum iudicaui, ipsum scilicet enixe optasse, ad milites audaciores reddendos, legem aliquam, à Sacerdotibus editam, qua, illi qui in bello occubuissent, tanquam alij Martyres colerentur.

ICON

PHOCÆ IMPERATORIS.

PHocas Præfectus Scythiæ, Augustus ab exercitu acclamatus, tantam primis Imperij sui annis, apud exteras nationes, expectationem sustinuerat, vt cum eo Principes omnes pacem sancire, quàm decertare maluerint; regiasque illius virtutes suspexerint. Haud tamen multo post, Tyrannus verius, quam Imperator, Imperium male partum pessime ges-

sit. Mauritij siquidem oblitus, nec tanta cæde edoctus, grauia vbique tributa exigenda mandauit; alijsque studiosius longe, pecuniæ per fas, nefasque corrodendæ incubuit. Immo gratiores multo habuit eos qui inexplebili rapacitate populos diuexarent. Socordia denique, ignauia, nequitia, frequentibus adulterijs, ac in primis crudelitate infamis, domi sedens, suisque indulgens voluptatibus, rerum omnium curam abiecit. Quare; Reges metu soluti, in Imperium vndiquaque irruerunt. Barbari quidem Armeniam, Macedoniam, Thraciam, Cappadociam, aliaque Mediterranea loca, fœde incursarunt. Sarraceni Ægyptum. Mesopotamiam, & Syriam Persæ. Germania item, Gallia, Hispania, Italiæ maior pars, Pannonia, Mœsia, & Africa pene tota, à Romano orbe ita defecere, vt Imperium fere collapsum fuerit, steteritque solum illius nominis vmbra. Hisce itaque cladibus, rerumque ingenti mole oppressa Respublica, Tyrannus ab Heraclio, procerum omnium precibus, exorato, captus, vinctusque, securi, vna cum tota stirpe regia, percussus fuit. O infelices Principum vices!

HERACLII IMPERATORIS Gesta.

Extincto Phoca, Anno Christi sexcentesimo decimo, Heraclius rerum potitus est. Et à Sergio Constantinopolitano Patriarcha regio diademate, in S. Stephani oratorio decoratus. Quo die nuptiarum solemnia, cum Fabia, Eudocia Rogati Fabri filia, quam antea desponsarat, summo cum apparatu celebrauit; comam totondit, mentumque rasit vt decebat Imperatorem. Priscum autem virum illustrem, cuius opera principatum obtinuerat, Cappadociæ Præfectura donauit, principesque exules reuocauit. Tum ad Imperium vndique laceratum, peneque extinctum, restaurandum, animum adiecit. *Glycas, Cedrenus, & alij.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Smaragdus, reuocato Gallinicio, iterum Italiæ Exarchus constitutus fuit, Anno Christi sexcentesimo secundo. Liuba autem

autem Reccaredo patre mortuo, Visigothorum Regnum in Hispania suscepit eodem Christi anno. Illius ætas annorum sexdecim, vel vt alij volunt viginti circiter, paternæ necis opportuna fuit & dissidia superiora nondum satis pacata, occasionem, male cogitantibus, præbuere. Summi, pij, Iustique Regis specimen dedit; paternisque vestigijs insistens, amplum sibi, ad immortalem gloriam, aditum patefecit. Reperiuntur in Hispania monetæ aureæ, eius nomine percussæ, additis hisce verbis, argumento singularis pietatis. [HISPALI PIVS.] Et ne priori Liubæ qui ipsius magnus patruus fuerat, esse crederentur, Diadema ante Leouigildi tempora, Gothorum Regibus insolens, atque inusitatum, assumpsit, duobus vero annis Gothicam rem administrauit.

Arnulphus, Spoleti Dux spectatissimus, Romam oppugnare statuerat, sed à Gregorio Pontifice territus, *vt constat ex eius Epistolis* 22. *&* 23. *lib.* 12. ab inceptis destitit, nec quicquam aliud molitus est.

Chosroes Persarum Rex, vindictam de Mauritij nece, à quo in Regnum restitutus fuerat, sumpturus, fœdus cum Romanis initum disrupit sub idem tempus, bellumque æque funestum Romano Imperio, atque diuturnum indixit, pleraque damna grauia intulit.

Agilulphus Longobardorum Rex pacem cum Phoca Imperatore firmauit, Anno Christi sexcentesimo quarto; nec multò post cum Francis filiumque suum Adolualdum Mediolani Regem creauit. *Paulus Diaconus.*

Vittericus, Liubæ Visigothorum Regis in Hispania, parricida, factionis opibus, armisque, purpuram induit. Vir bello quidem strenuus, victoriæ tamen expers. Romanos enim multis prælijs aggressus, inglorius tamen semper extitit, aduersaque fortuna pugnauit. *Roderico Tolerano teste.*

Kennethus Conualli filius, regia Scotorum insignia, Aidano defuncto assumpsit, Anno Christi sexcentesimo sexto, Phocæ Imperatoris quarto, *vt refert Lesleus.* Haud multo post, mense nimirum quarto emenso, Kennetho, grauissima morbi vi extincto, Eugenius Aidani filius procerum, plebisque applausu, ad Imperium euectus fuit. Hic Mimos, Bardos, Histriones, Parasitos, & id genus homines, qui otio turpissimo

languebant, è suis finibus eiecit, multosque ad pistrinum, vt duriter sibi victum quærerent, coegit; pacem denique cum vicinis Principibus summe coluit. *Auctor citatus.*

Theodoricus Childeberti filius, & Burgundiæ Rex Hermembergam Vitterici Visigothorum in Hispania Regis filiam, connubio sibi iunxit, breuique post, integram ad patrem remisit; causæ in incerto fuere. Fama tamen fuit, Theodoricum, Pellicum, quibus ad insaniam vsque deuinctus erat, arte, & carminibus, ne sancti nobilissimique connubij vsu perfrui, ac regiæ virginis florem delibare posset, impeditum fuisse; alij Brunechildis dolo id contigisse affirmarunt, vt sola rerum potiretur. *Vasæus, &c.*

Gundemarus vir armis, & pace, singularique prudentia clarus, Vitterico Visigothorum rege cæso, Anno Christi sexcentesimo decimo, Phocæ Imperatoris octauo, nobilium quorundam suffragijs, vel Francorum, qui Vitterico infensissimi fuerant, ope, Rex inauguratus fuit; argumento vectigalis annui, quod Francis à Gundemaro solui consueuisse, satis ex Bulgarani Comitis, Galliam Gothicam pro Rege, ea ætate administrantis, litteris, quæ ad hanc diem Oueti inter veteres schedas, librosque seruantur, constat.

VIRI ERVDITI.

Eblodus natione Britannus, pietatis atque eximiæ doctrinæ nominibus percelebris, *vt scribit Lelandus*, Historiam sui temporis contexuit. Ethelbertus, seu Eldibertus in Anglia Cantiorum Rex quintus, & inter omnes Anglorum Reges primus Christianus, scripsit Iudiciorum decreta, & Epistolarum librum vnum, *vt vult Beda*; aliaque nonnulla.

NATALITIA AVGVSTA.

Natus est Agilulpho Longobardorum Regi filius, Adalaldus dictus, Anno Christi sexcentesimo quarto, Phocæ Imperatoris secūdo. Huic Gregorius Pontifex Philacteria quædā misit (bullas nominant veteres, ad collum appendi solitas) crucem nempe cum ligno venerandæ crucis, & lectionem S.

Euangelij theca Persica inclusam. *Gregorius Epistola 17. lib. 12.*

PRODIGIA,

Cometes in gladium efformatus apparuit in cælo, Anno Christi sexcentesimo secundo. *Nicephorus lib.* 18. Triennio post stella crinita, aspectu horribili, plures in dies Byzantij obseruata fuit. Puer quadrupes natus, & monstra pelagi humana effigie circa Delum, à prima luce, ad meridiem vsque, hominum oculis, se se conspicienda præbuere *Coccius.*

Anno denique Christi sexcentesimo septimo, Phocæ Imperatoris quinto, cruces quæ in publicis supplicationibus præferri more solemni in Galatia solebant, vehementi in se se impetu identidem irrumpentes, funestaque, hocce stupendo spectaculo, portendentes, timorem maximum omnibus incussere. *Ita Eleusius Theodori discipulus in actis vitæ illius.*

CALAMITATES.

Hyems adeo aspera fuit, Anno Christi sexcentesimo quinto Phocæ Imperatoris tertio vt vites, segetesque omnes combusserit. Hinc orta fames, quæ vniuersum pene orbem depasta est, *vt vult Sigebertus, Paulus Diaconus, & alij.*

Ingens insuper egestas, Anno Christi sexcentesimo octauo, Phocæ Imperatoris sexto, longe lateque desæuijt, vulgarisque morbus horrendas hominum strages edidit. *Cedrenus, & Miscella lib.* 17.

RES BELLICÆ.

Theodoricus, & Theodebertus Childeberti filij, Brunechildis auiæ consilio, collectis copijs, in Senonum finibus, signa cum Clotario secundo contulere, Anno Christi sexcentesimo primo, Mauritij Imperatoris decimo nono. Prima belli impressione vincuntur fratres, mox tamen reparata pugna, vincunt, Clotario fugiente. Cæterum super vtramque aciem visus est iuuenis humana specie augustior constitisse, minaci vultu, strictoque, atque cruendo gladio; quod certe nisi

in maximis cladibus, neque credi, neque fingi solet. Et vero vtrinque cæsi permulti. Dein initum fœdus cum Clotario, sed iniquis conditionibus; conuenit enim vt Imperium Theodorici ad Oceanum vsque, Ligeri flumine terminaretur. Theodeberto autem accederet quidquid Franciæ, Isaræ, Sequanæque ad Oceanum item vsque interiacet. Eam ignominiosam pacem necessitas imposuit, atque idcirco non perpetuam.

Agilulphus Longobardorum Rex, Cremonam vi captam, Anno Christi sexcentesimo secundo, solo æquauit. Mantuam vero, post duram obsidionem deditam, magna ex parte, mœnibus nudauit.

Vascones assiduis direptionibus vicinas prouincias infestantes perdomuit Theodoricus, cum Theodeberto, tributaque grauia eis imposuit, ac Ducem nomine Genialem. *Fredegarius, & Aimoinus.*

Chosroes Persarum Rex, ingentem exercitum in vltionem necis Mauritij Imperatoris, contra Phocam Augustum duxit, Anno Christi sexcentesimo quarto. Narses item Dux rebellans, Edessamque obtinens, bellum eidem Phocæ intulit sub idem tempus.

Phocas vero pactis cum Caiano Auarum Rege inducijs, belli molem in orientem vertit, Domitiumque Magistrum militum, propinquum suum, aduersus Chosroem, & Germanum prætorem misit. Vtrobique male à Romanis pugnatum, Germano cæso, Domitio vero Theodori Archimanditæ orationibus vix incolumi elapso, *vt referunt acta S. Theodori apud Surium vigesimo secundo aprilis, & Paulus Diaconus lib.* 17. Ea propter Leontium Ducem ob rem male gestam, ignominia notatum, gradu amouit.

Persæ, vt Græcorum Annales ferunt, superiorem, atque inferiorem Syriam, nullo obsistente depopulati sunt, Anno Christi sexcentesimo septimo, Phocæ Imperatoris quinto. Dein sequenti, Chalcedonem vsque progressi, Armenia, Cappadocia, Galatia, & Paphlagonia potiti sunt. *Miscella lib.* 17.

Italia sub Longobardorum incursionibus grauiter gemuit. Anno Christi sexcentesimo septimo Africa, Heraclio auctore, & Duce aduersus Phocam mouit, Gallia ciuili bello arsit, turbarumque initium penes Clotarium fuit; qui Beroaldum, Ma-

gistrum Equitum, & præfectum Prætorio apud Austrasios, rerumque gestarum gloria insignem virum, à Theodorico Rege in Neustriam missum, vt fœderis pacem expleret, magno exercitu comparato, per Meroueum filium admodum iuuenem, & Landericum patris percussorem, aggressus, profligauit. Hic Aureliam confugiens, vrbis mœnibus, contra Landericum, qui eo cum copijs suis, citatissime profectus est, se munijt, cui Beroaldus, seu Bertoaldus singulare certamen indixit, sed illo recusante, ab oppido discessum est. Theodoricus interim properanter adfuit, & Landericum apud Stampas assecutus, ita deleuit, vt capto Merouco Regis filio, fugientem, Parisios vsque insecutus fuerit, Clotariumque facile Regno exuisset, ni Theodebertus fraternæ felicitatis inuidus, & potentiæ maioris haud patiens, obstitisset. Tantæ victoriæ Bertoaldus multum attulit, qui cum peti se, omnibus artibus, ab impotenti muliere resciuisset, turpi exitio honestam mortem præferens, perque confertos hostium cuneos irruens, disiecit, turbauitque ordines, ac singulari sui impendio, insignem cum victoria, famam sibi, patriæquepeperit. *Aimoinus, Fredegarius, & alij.*

Anno denique sexcentesimo decimo, Persæ Syriam euastantes, Apameam, & Edessam occuparunt, Romanorumque auxiliares copias attriuerunt; *vt asserit Glycas.*

REI INSIGNES.

Narses maiestatis reus dolo Phocæ Imperatoris captus, viuus combustus fuit, Anno Christi sexcentesimo quinto. *Theophanes, & Cedrenus.*

Germanus Patricius, Romanus eadem dignitate illustris, Theodotus Orientis præfectus, Helpidius, plurimique alij nobilissimi viri, eiusdem criminis insimulati, capite damnati fuere, Anno Christi sexcentesimo septimo, Phocæ Imperatoris quinto. *Nicephorus, & alij.*

Biennio post Macrobius vir clarissimus, cæsus. *Miscella.* Scribo sagittis confossus. Sequenti autem sexcentesimo scilicet decimo, Crispus Phocæ Imperatoris gener, & Cappadociæ Præfectus, occultæ molitionis, in Heraclium Augustum compertus, attonsus in clericum, solum vertere coactus fuit,

vbi ad extrema redactus misere perijt. *Ita citati Auctores.*

OBITVS ILLVSTRES.

Reccaredus Visigothorum Rex in Hispania, immortali sibi parta gloria, ob res bello, paceque præclarè gestas, animi magnitudinem, ingenij nobilitatem, consilij prudentiam, veræque pietatis cultum, Toleti vita functus est, Anno Christi sexcentesimo secundo, principatus decimo quinto. Hic Gothicas leges in compendium redegit; Romanos multis prælijs deuicit, eorumque permultas vrbes suæ ditioni adiecit, Hispaniam demum ab omni Hæreseos labe purgauit. *Alfonso Episcopo teste.*


Proximo autem Theodosius Mauritij Imperatoris filius, ad Chosroem Persarum Regem confugiens, Nicææ captus obtruncatus fuit; quamquam diu creditum, alium eius loco interemptum. *Theophanes.*

Liuba Reccaredi patris successor, Vitterici proditione, hisce artibus assueti, sublatus fuit, Anno Christi sexcentesimo quarto, principatus secundo; nulla re alia gesta ad memoriam, nisi quod, è viuis ætatis suæ flore ereptus, incredibile sui subditorum animis desiderium reliquerit. *Vasæus.*

Aidanus Scotorum Rex Conradi filius, & à D. Columbano ad pietatem efformatus obijt, Anno Christi sexcentesimo sexto; Mense vero quarto ab eius morte Kennechus Rex qui in eius locum suffectus fuerat, naturæ concessit. *Leslæus.*

Bertoaldus Magister Equitum, & præfectus Prætorio, magnique nominis apud Austrasianos, occubuit in acie. Anno Christi sexcentesimo nono. *Paulus Æmilius.*

Vittericus Arrianæ perfidiæ reuocandæ, (cuius factionis viribus, vt volunt aliqui, Rex in Hispania euaserat) consilia, vt fama vulgarat, agitans, in regiam, impetu facto, inter epulas trucidatus fuit, eiusque corpus per plateas, à coniuratis vnco tractum, atque inter populi conuitia, modis omnibus fœdatum; in ignobili tandem loco tumulatum est. Ea calamitate Liubæ innocentis necem exoluit; persuasumque omnibus diuinam vltionem, aliquando quidem seram esse, nunquam tamen irritam.



DECAS SECVNDA.

HERACLII IMPERATORIS. Gesta.



EPiphaniam filiam suam, præpostero in eam studio, Augustam appellatam, coronandam, vna cum Heraclio recenter nato, & Constantino dicto, curauit, Anno Christi sexcentesimo decimo secundo, principatus tertio.

Anno vero sequenti tributum annuum Chosroi Persarum Regi persoluere spopondit, si pacem firmaret. Martinam autem ex sorore neptem, (alij priuignam fuisse asserunt) Fabia Eudocia vxore defuncta, nouo sibi coniugio, incestis nuptijs copulauit, eodem Christi Anno, sexcentesimo scilicet decimo tertio, immo regio diademate insigniuit, *vt habet Theophanes.*

Astrologiæ opera, cui summe incumbebat, vel potius Dæmonum arte, edoctus, Romanum Imperium à circumcisis fœde deuastandum, arma contra Iudæos, (quod tamen in Sarracenis, & Turcis circumcisis impletum est) sumpsit, eosque non solum extra Imperij Prouincias, turpissimè exegit, sed etiam aduentu Theodorici, Sisebuti Visigothorum Regis in Hispania, legati pacem exposcentis, opportunitatem in illos sæuiendi nactus, petitioni regiæ perhumaniter indulsit, dummodo Sisebutus Iudæorum gentem, Regnis omnibus exitialem, ex vniuersa Hispania, procul expelleret; eaque re nihil sibi gratius fore testatus est; nec vllo maiori officio, suam ipsi conciliare beneuolentiam posse, eumque, vt iusta vota sua, mature expleret, vehementer se etiam, atque etiam rogare. *Theophanes.*

Eleutherium Exarchum ad Compſinum Neapolitanæ vrbis præfectum Tyrannum, Ioannis Exarchi percuſſorem debellandum, in Italiam miſit, Anno Chriſti ſexcenteſimo decimo quinto, principatus ſexto, *vt refert Anaſtaſius in geſtis Deusdedit Pontificis.*

Cônſtantinum filium ſuum Conſulem creauit, Anno proximo; minorem vero ex Martina genitum, & Conſtantini etiam nomine donatum, Cæſarem renuntiauit. *Ita Miſcella.*

Collabante Imperio, & extremam ruinam minitante, nouam ad Choſroem legationem inſtituit, Anno Chriſti ſexcenteſimo decimo ſeptimo, principatus octauo, antiqua in ipſum collata beneficia, in memoriam reuocans, cum Regno profugus, Mauritij Imperatoris benignitate, magnaque impenſa reſtitutus fuiſſet, aliaque his perſimilia referens, quæ certe durum quemque, atque aſperum hominem ad veram amicitiam, pacemque mouere potuiſſent. Verum ratio nulla apud Barbarum, victorijs elatum, locum vllum habere potuit. *Auctor citatus.*

Anno âutem Chriſti ſexcenteſimo vigeſimo, principatus ſui vndecimo, inita pace cum Caiano Auarum Rege, grandique pecunia, non ſolum Byzantij Eccleſijs, verum etiam per vniuerſas Imperij ditiones, mutuo accepta, tùm ſacris earum donarijs, vaſiſque conflatis, ingentem, atque inuictum contra Choſroem exercitum, Religionis Chriſtianæ tuendæ, venerandæque crucis, quæ abhinc ſeptem annis, in Perſidem, Hieroſolyma expugnata, tranſuecta fuerat, recuperandæ cauſa, conſcripſit. *Theophanes, & alij Græci Hiſtorici.*

CLOTARII FRANCORVM REGIS Geſta.

Galliæ totius Imperio potitus, victo iam, cæſoque Sigeberto, Theodorici notho, Anno Chriſti ſexcenteſimo decimo quarto, Heraclij Imperatoris quinto, animum parentis verius, quàm Regis induit, obliuionemque iniuriarum & præſtitit, & exegit; nihil antiquius ducens, quàm vt affectis rebus, quies ab omni motu, metuque daretur.

S. Lupum Senonenſis Eccleſiæ Epiſcopum, quorundam artibus

artibus in auxilium missum, reuocauit, magnisque auxit honoribus, immo ei in conuiuio administrauit.

Austrasianis Rhodonem Magistrum equitum belloque, ac pace clarissimum virum imposuit; Burgundionibus Vernarium magnæ apud principes famæ; Transiuranis vero, Herponem filium Herponis Ducis clarissimi; habitisque horum gentium concilijs; quod è re dignitateque esse videretur, constituit; nec quicquam quod dari honestè posset, petentibus denegauit. Ea Benignitas, adeo Austrasianorum, ac Burgundionum animos, in illum confirmauit, vt nullus vnquam Rex, maiori fide, religioneque cultus, obseruatusque fuerit. *Aimoinus, Paulus Æmilius, & alij.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Theodoricus Burgundionum Rex, Tyrannum agens, corradendæ pecuniæ intentus, Anno Christi sexcentesimo duodecimo, sanctum Columbanum seueriorem suorum scelerum obtrectatorem, ac vindicem, Regno expulit, *vt obseruat Ionas in actis Columbani.*

Sisebutus Gundemari funere, solemni ritu multorumque lachrimis, procurato, procerum suffragijs, in defuncti locum cooptatus fuit, Anno Christi sexcentesimo decimo tertio, Heraclij Imperatoris quarto, totiusque gentis Gothicæ dolorem summopere mitigauit, cum nulli obscurum esset, quantum in nouo Rege eluceret animi; quantum consilij; quantæue belli, pacisque artes eximiæ; quantus Religionis amor; immo quanta litterarum studia eum illustrarent. Erat siquidem latini sermonis non expers, res certe, ijs temporibus, comparanda miraculo. *Lucas Tudensis, Sigebertus, & alij.*

Sigebertus Theodorici Regis spurius, Brunechildis opera, rerum potitus est, Anno Christi sexcentesimo decimo quarto, Heraclij Imperatoris quinto; ipsoque principatus initio cum Fridiburgæ Gonzonis Ducis filiæ nuptias pro more, solemni pompa esset celebraturus, hocce, tanto Christiano principe, & perenni memoria dignum facinus edidit. Virgo siqui-

dem nuptiarum indicta die templum ingressa, regijsque vestibus exuta, sacrum, plena numine, velum sumpsit, Regem summis precibus obtestata, vt se voti compotem fieri permitteret, cui ille, magnis animis, pro insita pietate annuens, diuino sponso haud grauatè concessit. *Ita Valfridus in rebus gestis S. Galli Abbatis.*

Edbaldus Edelberti Cantiorum Regis filius, res administrandas suscepit, Anno Christi sexcentesimo decimo quinto, Heraclij Imperatoris sexto; patrisque iam demortui vxorem, thoro sibi coniunxit. Ea propter miseram exhinc, funestamque, ac modis omnibus probrosam vitam exegit. *Beda lib. 2. de rebus Anglicis; Polydorus, & alij.*

Redoualdus, Titullo patre mortuo, Orientalium Anglorum Rex acclamatus fuit sub idem tempus. Pipinus ex matre Æmegarde, & patre Carolomanno Thungrorum, & Hasbaniæ Duce, de Landis dicto, ab oppidulo, quod nunc est Brabantiæ, in confinijs Hasbaniæ, & principum olim palatium, patri sublato omnium votis successit, eodem Christi anno sexcentesimo decimo quinto. Princeps primus appellatus, quod primus auitas possessiones, magnis accessionibus sua industria auxisset; totaque Austria, non solum Hasbania, à Regibus Francorum, qui & Austrasianorum, illius fidei commissa. Maior insuper fuit regiæ domus, Comestabilis nunc vocatur, sub Clotario secundo, & Dagoberto filio, *vt referunt veteres Annales, & antiqui Historici.* Ab eo ortus est Pipinus secundus illius nepos, ex filia sua Begga, & Caroli Martelli pater, qui Carolum, Carolomannum, & Pipinum tertium, primum tamen ex hac familia Francorum Regem, genuit. *Stephanus Assas in rebus gestis S. Modoaldi Treuerensis Episcopi, & alij.*

Ioannes cognomento Campsinus Neapolitanæ vrbis Præfectus, interempto Ioanne Exarcho, Tyrannidem arripuit; in quem Eleutherius ab Heraclio Imperatore missus, vt Ioannis cædem vlcisceretur, ipse etiam Ioanne Compsino capto, cæsoque, purpuram Rauennæ, regio assumpto nomine, induit; tum in Heraclium Imperatorem mouit eodem anno, *vt vult Anastasius in rebus gestis Deusdedit summi Pontificis.* Illo deniquè extincto, Isacius eadem dignitate ornatus fuit.

Adalualdus, Agilulpho patre, morte absumpto, Longo-

bardorum Rex sub tutela tamen matris Theodolindæ, magno totius gentis studio, recatus fuit, Anno Christi sexcentesimo decimo sexto, Heraclij Imperatoris septimo. *Paulus Diaconus.*

Chosroes Persarum Rex fœdus cum Heraclio Imperatore inire renuit, nisi ipse, cunctique Romano Imperio subditi, eiurata Christiana fide, Persarum mysteria summe colerent, Solemque vt supremum numen, supremo ritu venerarentur; quod non tantum, diuinam in se iram concitauit, sed ipsum Pium Augustum, in caput suum impium fortiter decertaturum, Religionemque Christianam totis viribus propugnaturum, armauit. *Miscella lib.* 18.

Reccaredus Sisebuti filius, puer adhuc, Visigothorum Rex in Hispania salutatus fuit, Anno Christi sexcentesimo decimo nono, Heraclij Imperatoris decimo. Illo vero mortuo, Suinthilla Reccaredi primi Regis filius, rem Visigothorum administrandam suscepit, Anno Christi sexcentesimo vigesimo, Heraclij Imperatoris vndecimo. Præclara siquidem superioribus bellis gesta, & Reccaredi patris memoria, gentis beneuolentiam illi conciliarunt. Plurimum illi audaciæ inerat, neque consilij minus; laboribus neque corpus fatigabatur, nec vincebatur animus; tanta insuper munificentia in eos, quos res asperæ vexabant, vt pater pauperum appellaretur.

Frequhardus denique Princeps summa virtute illustris, Eugenio Patre Scotorum Rege defuncto, regijs insignibus omnium suffragijs nobilitatus fuit, eodem Christi anno, *vt scribit Lesleus.*

VIRI ERVDITI.

Nennius Banchorensis Monachus singulari doctrina excultus, collectiones Historiarum contexuit. Librum item vnum de mirabilibus; Catalogum vrbium; Britonum chronica; & Elogium Britanniæ composuit, Historiamque Nennij Helij latio sermone donatam, ad ætatem vsque suam deduxit. *Pitheus de illustribus Angliæ scriptoribus, & alij.*

Ioannes Monachus Visigothus Gerundensis Episcopus, litterarum tùm Græcarum, tùm Latinarum cognitione percelebris. Eutropius vir peritissimus, magnique nominis apud Hispanos.

sit. Mauritij siquidem oblitus, nec tanta cæde edoctus, grauia vbique tributa exigenda mandauit; alijsque studiosius longe, pecuniæ per fas, nefasque corrodendæ incubuit. Immo gratiores multo habuit eos qui inexplebili rapacitate populos diuexarent. Socordia denique, ignauia, nequitia, frequentibus adulterijs, ac in primis crudelitate infamis, domi sedens, suisque indulgens voluptatibus, rerum omnium curam abiecit. Quare; Reges metu soluti, in Imperium vndiquaque irruerunt. Barbari quidem Armeniam, Macedoniam, Thraciam, Cappadociam, aliaque Mediterranea loca, fœde incursarunt. Sarraceni Ægyptum. Mesopotamiam, & Syriam Persæ. Germania item, Gallia, Hispania, Italiæ maior pars, Pannoniæ, Mœsia, & Africa pene tota, à Romano orbe ita defecere, vt Imperium fere collapsum fuerit, steteritque solum illius nominis vmbra. Hisce itaque cladibus, rerumque ingenti mole oppressa Respublica, Tyrannus ab Heraclio, procerum omnium precibus, exorato, captus, vinctusque, securi, vna cum tota stirpe regia, percussus fuit. O infelices Principum vices!

HERACLII IMPERATORIS Gesta.

Extincto Phoca; Anno Christi sexcentesimo decimo, Heraclius rerum potitus est. Et à Sergio Constantinopolitano Patriarcha regio diademate, in S. Stephani oratorio decoratus. Quo die nuptiarum solemnia, cum Fabia, Eudocia Rogati Fabri filia, quam antea desponsarat, summo cum apparatu celebrauit; comam totondit, mentumque rasit vt decebat Imperatorem. Priscum autem virum illustrem, cuius opera principatum obtinuerat, Cappadociæ Præfectura donauit, principesque exules reuocauit. Tum ad Imperium vndique laceratum, peneque extinctum, restaurandum, animum adiecit. *Glycas, Cedrenus, & alij.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Smaragdus; reuocato Gallinicio, iterum Italiæ Exarchus constitutus fuit, Anno Christi sexcentesimo secundo. Liuba autem

autem Reccaredo patre mortuo, Visigothorum Regnum in Hispania suscepit eodem Christi anno. Illius ætas annorum sexdecim, vel vt alij volunt viginti circiter, paternæ necis opportuna fuit & dissidia superiora nondum satis pacata, occasionem, male cogitantibus, præbuere. Summi, pij, Iustique Regis specimen dedit; paternisque vestigijs insistens, amplum sibi, ad immortalem gloriam, aditum patefecit. Reperiuntur in Hispania monetæ aureæ, eius nomine percussæ, additis hisce verbis, argumento singularis pietatis. [HISPALI PIVS.] Et ne priori Liubæ qui ipsius magnus patruus fuerat, esse crederentur, Diadema ante Leouigildi tempora, Gothorum Regibus insolens, atque inusitatum, assumpsit, duobus vero annis Gothicam rem administrauit.

Arnulphus, Spoleti Dux spectatissimus, Romam oppugnare statuerat, sed à Gregorio Pontifice territus, *vt constat ex eius Epistolis 22. & 23. lib.* 12. ab inceptis destitit, nec quicquam aliud molitus est.

Chosroes Persarum Rex, vindictam de Mauritij nece, à quo in Regnum restitutus fuerat, sumpturus, fœdus cum Romanis initum disrupit sub idem tempus, bellumque æque funestum Romano Imperio, atque diuturnum indixit, pleraque damna grauia intulit.

Agilulphus Longobardorum Rex pacem cum Phoca Imperatore firmauit, Anno Christi sexcentesimo quarto; nec multò post cum Francis filiumque suum Adolualdum Mediolani Regem creauit. *Paulus Diaconus.*

Vittericus, Liubæ Visigothorum Regis in Hispania, parricida, factionis opibus, armisque, purpuram induit. Vir bello quidem strenuus, victoriæ tamen expers. Romanos enim multis prælijs aggressus, inglorius tamen semper extitit, aduersaque fortuna pugnauit. *Roderico Tolerano teste.*

Kennethus Conualli filius, regia Scotorum insignia, Aidano defuncto assumpsit, Anno Christi sexcentesimo sexto, Phocæ Imperatoris quarto, *vt refert Leslæus.* Haud multo post, mense nimitum quarto emenso, Kennetho, grauissima morbi vi extincto, Eugenius Aidani filius procerum, plebisque applausu, ad Imperium euectus fuit. Hic Mimos, Bardos, Histriones, Parasitos, & id genus homines, qui otio turpissimo

languebant, è suis finibus eiecit, multosque ad pistrinum, vt duriter sibi victum quærerent, coegit; pacem denique cum vicinis Principibus summe coluit. *Auctor citatus.*

Theodoricus Childeberti filius, & Burgundiæ Rex Hermembergam Vitterici Visigothorum in Hispania Regis filiam, connubio sibi iunxit, breuique post, integram ad patrem remisit; causæ in incerto fuere. Fama tamen fuit, Theodoricum, Pellicum, quibus ad insaniam vsque deuinctus erat, arte, & carminibus, ne sancti nobilissimique connubij vsu perfrui, ac regiæ virginis florem delibare posset, impeditum fuisse; alij Brunechildis dolo id contigisse affirmarunt, vt sola rerum potiretur. *Vasæus, &c.*

Gundemarus vir armis, & pace, singularique prudentia clarus, Vitterico Visigothorum rege cæso, Anno Christi sexcentesimo decimo, Phocæ Imperatoris octauo, nobilium quorundam suffragijs, vel Francorum, qui Vitterico infensissimi fuerant, ope, Rex inauguratus fuit; argumento vectigalis annui, quod Francis à Gundemaro solui consueuisse, satis ex Bulgarani Comitis, Galliam Gothicam pro Rege, ea ætate administrantis, litteris, quæ ad hanc diem Oueti inter veteres schedas, librosque seruantur, constat.

VIRI ERVDITI.

Eblodus natione Britannus, pietatis atque eximiæ doctrinæ nominibus percelebris, *vt scribit Lelandus*, Historiam sui temporis contexuit. Ethelbertus, seu Eldibertus in Anglia Cantiorum Rex quintus, & inter omnes Anglorum Reges primus Christianus, scripsit Iudiciorum decreta, & Epistolarum librum vnum, *vt vult Beda*; aliaque nonnulla.

NATALITIA AVGVSTA.

Natus est Agilulpho Longobardorum Regi filius, Adalaaldus dictus, Anno Christi sexcentesimo quarto, Phocæ Imperatoris secũdo. Huic Gregorius Pontifex Philacteria quædã misit (bullas nominant veteres, ad collum appendi solitas) crucem nempe cum ligno venerandæ crucis, & lectionem S.

Euangelij theca Persica inclusam. *Gregorius Epistola* 17. *lib.* 12.

PRODIGIA.

Cometes in gladium efformatus apparuit in cælo, Anno Christi sexcentesimo secundo. *Nicephorus lib.* 18. Triennio post stella crinita, aspectu horribili, plures in dies Byzantij obseruata fuit. Puer quadrupes natus, & monstra pelagi humana effigie circa Delum, à prima luce, ad meridiem vsque, hominum oculis, se se conspicienda præbuere *Coccius.*

Anno denique Christi sexcentesimo septimo, Phocæ Imperatoris quinto, cruces quæ in publicis supplicationibus præferri more solemni in Galatia solebant, vehementi in se se impetu identidem irrumpentes, funestaque, hocce stupendo spectaculo, portendentes, timorem maximum omnibus incussere. *Ita Eleusius Theodori discipulus in actis vitæ illius.*

CALAMITATES.

Hyems adeo aspera fuit, Anno Christi sexcentesimo quinto Phocæ Imperatoris tertio vt vites, segetesque omnes combusserit. Hinc orta fames, quæ vniuersum pene orbem depasta est, *vt vult Sigebertus, Paulus Diaconus, & alij.*

Ingens insuper egestas, Anno Christi sexcentesimo octauo, Phocæ Imperatoris sexto, longe lateque desæuijt, vulgarisque morbus horrendas hominum strages edidit. *Cedrenus, & Miscella lib.* 17.

RES BELLICÆ.

Theodoricus, & Theodebertus Childeberti filij, Brunechildis auiæ consilio, collectis copijs, in Senonum finibus, signa cum Clotario secundo contulere, Anno Christi sexcentesimo primo, Mauritij Imperatoris decimo nono. Prima belli impressione vincuntur fratres, mox tamen reparata pugna, vincunt, Clotario fugiente. Cæterum super vtramque aciem visus est iuuenis humana specie augustior constitisse, minaci vultu, strictoque, atque cruendo gladio; quod certe nisi

in maximis cladibus, neque credi, neque fingi solet. Et verò vtrinque cæsi permulti. Dein initum fœdus cum Clotario, sed iniquis conditionibus; conuenit enim vt Imperium Theodorici ad Oceanum vsque, Ligeri flumine terminaretur. Theodeberto autem accederet quidquid Franciæ, Isaræ, Sequanæque ad Oceanum item vsque interiacet. Eam ignominiosam pacem necessitas imposuit, atque idcirco non perpetuam.

Agilulphus Longobardorum Rex, Cremonam vi captam, Anno Christi sexcentesimo secundo, solo æquauit. Mantuam vero, post duram obsidionem deditam, magna ex parte, mœnibus nudauit.

Vascones assiduis direptionibus vicinas prouincias infestantes perdomuit Theodoricus, cum Theodeberto, tributaque grauia eis imposuit, ac Ducem nomine Genialem. *Fredegarius, & Aimoinus.*

Chosroes Persarum Rex, ingentem exercitum in vltionem necis Mauritij Imperatoris, contra Phocam Augustum duxit, Anno Christi sexcentesimo quarto. Narses item Dux rebellans, Edessamque obtinens, bellum eidem Phocæ intulit sub idem tempus.

Phocas vero pactis cum Caiano Auarum Rege inducijs, belli molem in orientem vertit, Domitiumque Magistrum militum, propinquum suum, aduersus Chosroem, & Germanum prætorem misit. Vtrobique male à Romanis pugnatum, Germano cæso, Domitio vero Theodori Archimanditæ orationibus vix incolumi elapso, *vt referunt acta S. Theodori apud Surium vigesimo secundo aprilis, & Paulus Diaconus lib.* 17. Ea propter Leontium Ducem ob rem male gestam, ignominia notatum, gradu amouit.

Persæ, vt Græcorum Annales ferunt, superiorem, atque inferiorem Syriam, nullo obsistente depopulati sunt, Anno Christi sexcentesimo septimo, Phocæ Imperatoris quinto. Dein sequenti, Chalcedonem vsque progressi, Armenia, Cappadocia, Galatia, & Paphlagonia potiti sunt. *Miscella lib.* 17.

Italia sub Longobardorum incursionibus grauiter gemuit. Anno Christi sexcentesimo septimo Africa, Heraclio auctore, & Duce aduersus Phocam mouit, Gallia ciuili bello arsit, turbarumque initium penes Clotarium fuit; qui Beroaldum, Ma-

gistrum Equitum, & præfectum Prætorio apud Austrasios, rerumque gestarum gloria insignem virum, à Theodorico Rege in Neustriam missum, vt fœderis pacem expleret, magno exercitu comparato, per Merouеum filium admodum iuuenem, & Landericum patris percussorem, aggressus, profligauit. Hic Aureliam confugiens, vrbis mœnibus, contra Landericum, qui eo cum copijs suis, citatissime profectus est, se munijt, cui Beroaldus, seu Bertoaldus singulare certamen indixit, sed illo recusante, ab oppido discessum est. Theodoricus interim properanter adfuit, & Landericum apud Stampas assecutus, ita deleuit, vt capto Merouео Regis filio, fugientem, Parisios vsque insecutus fuerit, Clotariumque facile Regno exuisset, ni Theodebertus fraternæ felicitatis inuidus, & potentiæ maioris haud patiens, obstitisset. Tantæ victoriæ Bertoaldus multum attulit, qui cum peti se, omnibus artibus, ab impotenti muliere resciuisset, turpi exitio honestam mortem præferens, perque confertos hostium cuneos irruens, disiecit, turbauitque ordines, ac singulari sui impendio, insignem cum victoria, famam sibi, patriæquepeperit. *Aimoinus, Fredegarius, & alij.*

Anno denique sexcentesimo decimo, Persæ Syriam euastantes, Apameam, & Edessam occuparunt, Romanorumque auxiliares copias attriuerunt; *vt asserit Glycas.*

REI INSIGNES.

Narses maiestatis reus dolo Phocæ Imperatoris captus, viuus combustus fuit, Anno Christi sexcentesimo quinto. *Theophanes, & Cedrenus.*

Germanus Patricius, Romanus eadem dignitate illustris, Theodorus Orientis præfectus, Helpidius, plurimique alij nobilissimi viri, eiusdem criminis insimulati, capite damnati fuere, Anno Christi sexcentesimo septimo, Phocæ Imperatoris quinto. *Nicephorus, & alij.*

Biennio post Macrobius vir clarissimus, cæsus. *Miscella.* Scribo sagittis confossus. Sequenti autem sexcentesimo scilicet decimo, Crispus Phocæ Imperatoris gener, & Cappadociæ Præfectus, occultæ molitionis, in Heraclium Augustum compertus, attonsus in clericum, solum vertere coactus fuit,

vbi ad extrema redactus misere perijt. *Ita citati Auctores.*

OBITVS ILLVSTRES.

Reccaredus Visigothorum Rex in Hispania, immortali sibi parta gloria, ob res bello, paceque præclarè gestas, animi magnitudinem, ingenij nobilitatem, consilij prudentiam, veræque pietatis cultum, Toleti vita functus est, Anno Christi sexcentesimo secundo, principatus decimo quinto. Hic Gothicas leges in compendium redegit; Romanos multis prælijs deuicit, eorumque permultas vrbes suæ ditioni adiecit, Hispaniam demum ab omni Hæreseos labe purgauit. *Alfonso Episcopo teste.*


Proximo autem Theodosius Mauritij Imperatoris filius, ad Chosroem Persarum Regem confugiens, Nicææ captus obtruncatus fuit; quamquam diu creditum, alium eius loco interemptum. *Theophanes.*

Liuba Reccaredi patris successor, Vitterici proditione, hisce artibus assueti, sublatus fuit, Anno Christi sexcentesimo quarto, principatus secundo; nulla re alia gesta ad memoriam, nisi quod, è viuis ætatis suæ flore ereptus, incredibile sui subditorum animis desiderium reliquerit. *Vasæus.*

Aidanus Scotorum Rex Conradi filius, & à D. Columbano ad pietatem efformatus obijt, Anno Christi sexcentesimo sexto; Mense vero quarto ab eius morte Kennechus Rex qui in eius locum suffectus fuerat, naturæ concessit. *Leslæus.*

Bertoaldus Magister Equitum, & præfectus Prætorio, magnique nominis apud Austrasianos, occubuit in acie. Anno Christi sexcentesimo nono. *Paulus Æmilius.*

Vittericus Arrianæ perfidiæ reuocandæ, (cuius factionis viribus, vt volunt aliqui, Rex in Hispania euaserat) consilia, vt fama vulgarat, agitans, in regiam, impetu facto, inter epulas trucidatus fuit, eiusque corpus per plateas, à coniuratis vnco tractum, atque inter populi conuitia, modis omnibus fœdatum; in ignobili tandem loco tumulatum est. Ea calamitate Liubæ innocentis necem exoluit; persuasumque omnibus diuinam vltionem, aliquando quidem seram esse, nunquam tamen irritam.



DECAS SECVNDA.

HERACLII IMPERATORIS. Gesta.



EPiphaniam filiam suam, præpostero in eam studio, Augustam appellatam, coronandam, vna cum Heraclio recenter nato, & Constantino dicto, curauit, Anno Christi sexcentesimo decimo secundo, principatus tertio.

Anno vero sequenti tributum annuum Chosroi Persarum Regi persoluere spopondit, si pacem firmaret. Martinam autem ex sorore neptem, (alij priuignam fuisse asserunt) Fabia Eudocia vxore defuncta, nouo sibi coniugio, incestis nuptijs copulauit, eodem Christi Anno, sexcentesimo scilicet decimo tertio, immo regio diademate insigniuit, *vt habet Theophanes.*

Astrologiæ opera, cui summe incumbebat, vel potius Dæmonum arte, edoctus, Romanum Imperium à circumcisis fœde deuastandum, arma contra Iudæos, (quod tamen in Sarracenis, & Turcis circumcisis impletum est) sumpsit, eosque non solum extra Imperij Prouincias, turpissimè exegit, sed etiam aduentu Theodorici, Sisebuti Visigothorum Regis in Hispania, legati pacem exposcentis, opportunitatem in illos sæuiendi nactus, petitioni regiæ perhumaniter indulsit, dummodo Sisebutus Iudæorum gentem, Regnis omnibus exitialem, ex vniuersa Hispania, procul expelleret; eaque re nihil sibi gratius fore testatus est; nec vllo maiori officio, suam ipsi conciliare beneuolentiam posse, eumque, vt iusta vota sua, mature expleret, vehementer se etiam, atque etiam rogare. *Theophanes.*

Eleutherium Exarchum ad Compsinum Neapolitanæ vrbis præfectum Tyrannum, Ioannis Exarchi percussorem debellandum, in Italiam misit, Anno Christi sexcentesimo decimo quinto, principatus sexto, *vt refert Anastasius in gestis Deusdedit Pontificis.*

Constantinum filium suum Consulem creauit, Anno proximo; minorem vero ex Martina genitum, & Constantini etiam nomine donatum, Cæsarem renuntiauit. *Ita Miscella.*

Collabante Imperio, & extremam ruinam minitante, nouam ad Chosroem legationem instituit, Anno Christi sexcentesimo decimo septimo, principatus octauo, antiqua in ipsum collata beneficia, in memoriam reuocans, cum Regno profugus, Mauritij Imperatoris benignitate, magnaque impensa restitutus fuisset, aliaque his persimilia referens, quæ certe durum quemque, atque asperum hominem ad veram amicitiam, pacemque mouere potuissent. Verum ratio nulla apud Barbarum, victorijs elatum, locum vllum habere potuit. *Auctor citatus.*

Anno autem Christi sexcentesimo vigesimo, principatus sui vndecimo, inita pace cum Caiano Auarum Rege, grandique pecunia, non solum Byzantij Ecclesijs, verum etiam per vniuersas Imperij ditiones, mutuo accepta, tùm sacris earum donarijs, vasisque conflatis, ingentem, atque inuictum contra Chosroem exercitum, Religionis Christianæ tuendæ, venerandæque crucis, quæ abhinc septem annis, in Persidem, Hierosolyma expugnata, transuecta fuerat, recuperandæ causa, conscripsit. *Theophanes, & alij Græci Historici.*

CLOTARII FRANCORVM REGIS Gesta.

Galliæ totius Imperio potitus, victo iam, cæsoque Sigeberto, Theodorici notho, Anno Christi sexcentesimo decimo quarto, Heraclij Imperatoris quinto, animum parentis verius, quàm Regis induit, obliuionemque iniuriarum & præstitit, & exegit; nihil antiquius ducens, quàm vt affectis rebus, quies ab omni motu, metuque daretur.

S. Lupum Senonensis Ecclesiæ Episcopum, quorundam artibus

artibus in auxilium missum, reuocauit, magnisque auxit honoribus, immo ei in conuiuio administrauit.

Austrasianis Rhodonem Magistrum equitum belloque, ac pace clarissimum virum imposuit; Burgundionibus Vernarium magnæ apud principes famæ; Transiuranis vero, Herponem filium Herponis Ducis clarissimi; habitisque horum gentium concilijs; quod è re dignitateque esse videretur, constituit; nec quicquam quod dari honestè posset, petentibus denegauit. Ea Benignitas, adeo Austrasianorum, ac Burgundionum animos, in illum confirmauit, vt nullus vnquam Rex, maiori fide, religioneque cultus, obseruatusque fuerit. *Aimoinus, Paulus Æmilius, & alij.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Theodoricus Burgundionum Rex, Tyrannum agens, corradendæ pecuniæ intentus, Anno Christi sexcentesimo duodecimo, sanctum Columbanum seueriorem suorum scelerum obtrectatorem, ac vindicem, Regno expulit, *vt obseruat Ionas in actis Columbani.*

Sisebutus Gundemari funere, solemni ritu multorumque lachrimis, procurato, procerum suffragijs, in defuncti locum cooptatus fuit, Anno Christi sexcentesimo decimo tertio, Heraclij Imperatoris quarto, totiusque gentis Gothicæ dolorem summopere mitigauit, cum nulli obscurum esset, quantum in nouo Rege eluceret animi; quantum consilij; quantæue belli, pacisque artes eximiæ; quantus Religionis amor; immo quanta litterarum studia eum illustrarent. Erat siquidem latini sermonis non expers, res certe, ijs temporibus, comparanda miraculo. *Lucas Tudensis, Sigebertus, & alij.*

Sigebertus Theodorici Regis spurius, Brunechildis opera, rerum potitus est, Anno Christi sexcentesimo decimo quarto, Heraclij Imperatoris quinto; ipsoque principatus initio cum Fridiburgæ Gonzonis Ducis filiæ nuptias pro more, solemni pompa esset celebraturus, hocce, tanto Christiano principe, & perenni memoria dignum facinus edidit. Virgo siqui-

dem nuptiarum indicta die templum ingressa, regijsque vestibus exuta, sacrum, plena numine, velum sumpsit, Regem summis precibus obtestata, vt se voti compotem fieri permitteret, cui ille, magnis animis, pro insita pietate annuens, diuino sponso haud grauatè concessit. *Ita Valfridus in rebus gestis S. Galli Abbatis.*

Edbaldus Edelberti Cantiorum Regis filius, res administrandas suscepit, Anno Christi sexcentesimo decimo quinto, Heraclij Imperatoris sexto; patrisque iam demortui vxorem, thoro sibi coniunxit. Ea propter miseram exhinc, funestamque, ac modis omnibus probrosam vitam exegit. *Beda lib. 2. de rebus Anglicis; Polydorus, & alij.*

Redoualdus, Titullo patre mortuo, Orientalium Anglorum Rex acclamatus fuit sub idem tempus. Pipinus ex matre Æmegarde, & patre Carolomanno Thungrorum, & Hasbaniæ Duce, de Landis dicto, ab oppidulo, quod nunc est Brabantiæ, in confinijs Hasbaniæ, & principum olim palatium, patri sublato omnium votis successit, eodem Christi anno sexcentesimo decimo quinto. Princeps primus appellatus, quod primus auitas possessiones, magnis accessionibus sua industria auxisset; totaque Austria, non solum Hasbania, à Regibus Francorum, qui & Austrasianorum, illius fidei commissa. Maior insuper fuit regiæ domus, Comestabilis nunc vocatur, sub Clotario secundo, & Dagoberto filio, *vt referunt veteres Annales, & antiqui Historici.* Ab eo ortus est Pipinus secundus illius nepos, ex filia sua Begga, & Caroli Martelli pater, qui Carolum, Carolomannum, & Pipinum tertium, primum tamen ex hac familia Francorum Regem, genuit. *Stephanus Assas in rebus gestis S. Modoaldi Treuerensis Episcopi, & alij.*

Ioannes cognomento Campsinus Neapolitanæ vrbis Præfectus, interempto Ioanne Exarcho, Tyrannidem arripuit; in quem Eleutherius ab Heraclio Imperatore missus, vt Ioannis cædem vlcisceretur, ipse etiam Ioanne Compsino capto, cæsoque, purpuram Rauennæ, regio assumpto nomine, induit; tum in Heraclium Imperatorem mouit eodem anno, *vt vult Anastasius in rebus gestis Deusdedit summi Pontificis.* Illo denique extincto, Isacius eadem dignitate ornatus fuit.

Adalualdus, Agilulpho patre, morte absumpto, Longo-

bardorum Rex sub tutela tamen matris Theodolindæ, magno totius gentis studio, recatus fuit, Anno Christi sexcentesimo decimo sexto, Heraclij Imperatoris septimo. *Paulus Diaconus.*

Chosroes Persarum Rex fœdus cum Heraclio Imperatore inire renuit, nisi ipse, cunctique Romano Imperio subditi, eiurata Christiana fide, Persarum mysteria summe colerent, Solemque vt supremum numen, supremo ritu venerarentur; quod non tantum, diuinam in se iram concitauit, sed ipsum Pium Augustum, in caput suum impium fortiter decertaturum, Religionemque Christianam totis viribus propugnaturum, armauit. *Miscella lib.* 18.

Reccaredus Sisebuti filius, puer adhuc, Visigothorum Rex in Hispania salutatus fuit, Anno Christi sexcentesimo decimo nono, Heraclij Imperatoris decimo. Illo vero mortuo, Suinthilla Reccaredi primi Regis filius, rem Visigothorum administrandam suscepit, Anno Christi sexcentesimo vigesimo, Heraclij Imperatoris vndecimo. Præclara siquidem superioribus bellis gesta, & Reccaredi patris memoria, gentis beneuolentiam illi conciliarunt. Plurimum illi audaciæ inerat, neque consilij minus; laboribus neque corpus fatigabatur, nec vincebatur animus; tanta insuper munificentia in eos, quos res asperæ vexabant, vt pater pauperum appellaretur.

Frequhardus denique Princeps summa virtute illustris, Eugenio Patre Scotorum Rege defuncto, regijs insignibus omnium suffragijs nobilitatus fuit, eodem Christi anno, *vt scribit Leslæus.*

VIRI ERVDITI.

Nennius Banchorensis Monachus singulari doctrina excultus, collectiones Historiarum contexuit. Librum item vnum de mirabilibus; Catalogum vrbium; Britonum chronica; & Elogium Britanniæ composuit, Historiamque Nennij Helij latio sermone donatam, ad ætatem vsque suam deduxit. *Pithæus de illustribus Angliæ scriptoribus, & alij.*

Ioannes Monachus Visigothus Gerundensis Episcopus, litterarum tùm Græcarum, tùm Latinarum cognitione percelebris. Eutropius vir peritissimus, magnique nominis apud Hispanos.

Isidorus iunior Hispalensis Episcopus scripsit Etymologiarum libros viginti, Procemiorum librum vnum, de illustribus viris vnum; de scriptoribus Ecclesiasticis vnum; de Computo, & rerum natura vnum; de proprietate rerum vnum; de Astronomia vnum; Allegoriarum vnum; Gothorum Chronicon; Historiam ab Adam, vsque ad hæc tempora; Longobardorum, Vandalorum, & Sueuorum gesta; perbreuem item Cosmographiam; aliaque permulta, *Ildefonso teste.* Reliqua pia opera habes in sacra mea Historia.

NATALITIA AVGVSTA.

Eudocia Imperatrix Heraclij Augusti coniux, Constantinum iuniorem peperit tertio die mensis Maij Anni sexcentesimi vndecimi, principatus secundi. *Theophanes.*

OPERA PVBLICA.

Verodunum, seu Verdunum ciuitas Lotaringiæ, vel Austrasiæ amplissima constructa primo fuit, Anno Christi sexcentesimo decimo quarto, Heraclij Imperatoris quinto, *vt vult Gaguinus in suis Annalibus.*

CALAMITATES.

Magna rerum inopia laborauit Ægyptus, Anno Christi sexcentesimo decimo quinto, Heraclij Imperatoris sexto, *Leontius in vita Ioannis Eleemosinarij Episcopi Alexandriæ.*

Italia insuper sub idem tempus, fœdis terræ motibus, quassata fuit, lueque Elephantiæ infestata. *Anastasius in rebus gestis Deusdedit summi Pontificis.*

RES BELLICÆ.

Persæ victorijs assueti in Armeniam, & Cappadociam irrumpentes, post ingentem hominum prædam, & maximam rerum omnium vastationem, Cæsarea, amplissima Cappadociæ vrbe potiti sunt, Anno Christi sexcentesimo vndecimo,

Heraclij Imperatoris secundo. *Bizarus in sua Historia Persica.*

Sarraceni, sequenti anno, flamma, ac ferro cuncta defœdarunt *Theophane teste.* Gundemarus in Hispania Rex, Vascones rebellantes, Ducesque, atque copias, quibus Romani limitis custodia in Hispania credita erat, prospero belli euentu profligauit sub idem tempus. *Vasaus.*

Syria ab hostilibus Persarum copijs occupata, Anno Christi sexcentesimo decimo tertio, Heraclij Imperatoris quarto, Damascum, Iouis ciuitas, ac totius Orientis oculus, ita enim à Iuliano appellatur in suis epistolis, capitur, diripiturque, *vt asserunt Scriptores.*

Theodoricus, & Theodebertus Francorum Reges, domestica discordia agitati, eò regnandi cupiditate, crebrisque odijs processere, vt in se se cruenta arma verterint. Primum quidem iuxta Tullum Leucorum, vulgo *Touls*, collatis signis summo certamine pugnatum est, sed inclinante in Theodoricum fortuna, Theodebertus, magnis itineribus, ad Coloniam Agrippinam in finibus Vbiorum se recepit; vbi reparatis viribus, infesto agmine, non tamen fœliciori exitu, Theodoricum aggreditur; Victor semel, atque iterum Theodoricus, fratrem, Transrhenanas gentes petentem, vt earum auxilijs, bellum de nouo redintegraret, assecutus, captum, purpuraque exutum clericatu initiari coegit, breuique obtruncari iussit. *Ionas de rebus gestis S. Columbani: Recentiores tamen Historici*, nihil de Clericatu, referunt.

Clotarius secundus Francorum Rex, collecto milite, Anno Christi sexcentesimo decimo quarto, Heraclij Imperatoris quinto, in campum Cathalaunensem, profectus est, commissoque ibi ferali prælio, Sigebertum hostem cepit, interfecitque. *Aimoinus.*

Sisebutus Visigothorum in Hispania Rex, Astures, Ruconesque, qui, locorum natura confisi, rebellarant; Flauij Suinthillæ ductu, atque virtute perdomuit: Romanorumque reliquias toties resurgentes, ad veterem Suinthillæ exercitum, nouis copijs adiunctis, quas, magnis delectibus, tota prouincia, conflarat, nouo bello persequi constituens, in eorum fines inuectus, bis acie victor extitit; nec paucas vrbes ad fre-

tum Gaditanum, & Oceani littora, vbi Bœticæ, & Lusitaniæ pars in Romanorum ditione erat; eodem victoriæ cursu, illis ereptas, in suam potestatem redegit; sicque viribus hostes debilitauit, vt vix haberent, vbi consisterent in Hispania. *Rodericus Toletanus*.

Chosroes Persarum Rex Syriam iterum inuadens, post multas, atque amplissimas Prouinciæ vrbes, Hierosolymam orbis totius caput, & Iudææ metropolim, expugnauit, mense Iunio, Anni Christi sexcentesimi decimi quarti, Heraclij Imperatoris quinti, omniaque sacra, profanaque diripuit; captiuorum ingentem numerum abduxit, multo vero maiorem confecit; nonaginta etenim hominum millia cecidisse testatur *Theophanes*. In eo tamen temperasse, immo pie egisse videri potuit Barbarus quod venerandam crucem, ex Caluariæ loco, vbi ab Helena Constantini Magni matre, constituta fuerat, in Persidem, vt optimum spolium aduectam, summa religione coluerit. Illam siquidem, intacta sacra, qua includebatur, theca, tanquam collegam sibi adscitam, ad dexteram, aureo, gemmisque magni pretij ornato in solio collocauit. *Suidas in Heraclio, Ado in Martyrologio, decimo quarto Septembris, Chronicon Alexandrinum, & alij Historici.* Proximo autem anno vniuersam occupauit Ægyptum, excurrensque Libyam, Carthaginem irrito tentauit conatu. Hanc tamen longa, duraque obsidione, in suam potestatem redegit, Anno Christi sexcentesimo decimo sexto, Heraclij Imperatoris septimo: totaque Africa, Ducis præsidio spoliata, Persicis cessit armis. Tandem victor, magnaque onustus præda, lares repetijt, *Ita Græcorum Annales*.

Caianus Auarum Rex subdolo pacis nomine, Augustum Heraclium seducens, suburbia ciuitatis Constantinopolitanæ deprædatus est, Anno Christi sexcentesimo decimo octauo, Heraclij Imperatoris nono.

Biennio post Suinthilla Visigothorum in Hispania Princeps, Vascones, gentem ferocem, nouique Imperij occasione tumultuantem, ac Prouinciæ Terraconensis fines ferro flammaque peruastantem, sua tantum præsentia, superioris belli memoria conterritos, deditionem facere, compulit. *Vasæo teste*.

REI INSIGNES.

Brunechildis Sigeberti Francorum Regis, & Clotarij primi filij vxor, plurimorum ſcelerum conſcia, decem enim Reges, eius opera, aut conſilio, extinctos fuiſſe fama erat; camelo impoſita, & ad ludibrium hac, illucque traducta, tum equinæ caudæ alligata, per ardua, & aſpera loca raptata fuit, eiuſque corpus diſcerptum, Anno Chriſti ſexcenteſimo decimo quarto, Heraclij Imperatoris quinto. *Aimoinus lib. 4. & alij.*

OBITVS ILLVSTRES.

Eudocia Heraclij Imperatoris vxor fatis conceſſit, Anno Chriſti ſexcenteſimo vndecimo, principatus ſui ſecundo. Huius pompam funebrem, cum barbara quædam puella è feneſtra proſpectans, ſputum, imprudens in feretrum deieciſſet, derepente apprehenſa, combuſta fuit, Auguſtæque feliciter parentauit. *Zonaras, & alij.*

Gundemarus Viſigothorum Rex in Hiſpania, ſumma animi magnitudine, multaque humanitate temperatus, maximo omnium ordinum luctu, Toleti morbo abreptus fuit; *vt teſtatur Vaſeus.*

Theodebertus Princeps in bello captus, Brunechildis iuſſu interemptus fuit, Anno Chriſti ſexcenteſimo decimo tertio, Heraclij Imperatoris quarto. *Ionas in rebus geſtis S. Columbani.*

Edilbertus primus Anglorum Rex obijt eodem anno, vigeſimo quarto die menſis Februarij, principatus ſui quinquageſimo ſexto; *vt refert Beda in Hiſtoria Anglica, & alij.* Saberethus eius nepos Orientalium Saxonum Princeps interijt eodem anno, *vt vult citatus Auctor.*

Theodoricus Francorum Rex, Mediomatricum vrbem ingrediens, ictus fulmine perijt, Anno Chriſti ſexcenteſimo decimo quarto. Heraclij Imperatoris quinto. *Ita Ionas, Aimoinus tamen*, refert eum veneno extinctum fuiſſe, Brunechildis auiæ impiæ artibus. Alij vero aſſerunt, dyſenteriæ morbo ſublatum. Eius autem ſpurius Sigebertus, in acie captus, Clotario ſecundo imperante obtruncatus fuit, cum ſuis fratribus.

Sequenti vero Ioannes Italiæ Exarchus interfectus cecidit.

Agilulphus Longobardorum Princeps vita functus est, Anno Christi sexcentesimo decimo sexto, Heraclij Imperatoris septimo, principatus sui vigesimo quinto. *Paulus Diaconus.*


Eleutherius Patricius ex Exarcho Tyrannus factus, Romam proficiscens à Rauennatibus militibus sub itinere cæsus fuit, illiusque caput Constantinopolim ad Heraclium Imperatorem missum. *Anastasius in rebus gestis Deusdedit.*

Sisebutus Visigothorum Rex in Hispania, magnis cumulatus virtutibus, belloque potens, atque doctrina celebris supremum expleuit diem, Anno Christi sexcentesimo decimo nono, Heraclij Imperatoris decimo. Quidam Pharmaci, salutaris quidem, sed vltra mensuram præbiti copia, decessisse existimant; alij venenum ei propinatum fuisse volunt. In magnorum siquidem principum obitu, multa fingi, credique consueuerunt, atrociore semper fama eorum præsertim, qui præclaris actionibus, subditorum voluntates, sibi conciliarunt. *Lucas Tudensis.*

Reccaredus illius filius, ætate puer, atque ad Regni molem sustinendam impar, tribus mensibus à patris morte, rerum potitus, desijt. *Auctor citatus.* Eugenius denique Scotorum Rex, morte absumptus fuit, Anno Christi sexcentesimo vigesimo, Heraclij Imperatoris vndecimo, tribus summa sanctitate claris filijs, Frequhardo scilicet, Donaldo, & Fiactio relictis. *Ita Leslaus, & alij.*



DECAS



DECAS TERTIA.

HERACLII IMPERATORIS. Gesta.

IN Persas, qui Chalcedonem vsque processerant, profecturus, Caiani Auarum Regis curæ Imperium, filiumque suum Constantinum commisit; Sergij vero Patriarchæ vrbem. Dein templum atratus calceos, ingressus, supremum humillimis precibus orauit Numen, vt susceptum, aduersus Christianæ Religionis infestos hostes bellum, prospero conficeret exitu. Mox Christi effigiem, non humana, sed diuina prorsus arte, elaboratam, dextera præferens, pietate, iustitia, & vitæ integritate, militibus impense commendata, plenus Deo, Euxinum mare, secundo Paschatis die, Anni Christi sexcentesimi vigesimi primi principatus duodecimi, fœlicibus nauigauit Etesijs. *Theophanes, Cedrenus, & alij.*

Crebris victorijs inclytus, tota in occursum effusa Constantinopoli, Sergio Patriarcha, cum Constantino eius filio, præeunte, exceptus fuit, Anno Christi sexcentesimo vigesimo septimo, principatus decimo octauo; ingentique auri vi, ac pretiosissimis gemmis, quas Sergio Patriarchæ miserat, vt Ecclesijs, è quibus, Persico bello suscepto, mutuo acceperat, restitueret, fœdissima tempestate submersis, statuit, vt è fisco, annua pecunia, & Clero, & Ecclesijs penderetur. *Suida teste.*

Hierosolymam se contulit anno sequenti, vbi venerandum Sacro-sanctæ crucis lignum, Caluarium in montem, auro, gemmisque ornatus proprijs deferens humeris, ab occulta quadam vi, in ciuitatis porta inhibitus fuit. Verum à Zacharia Pontifice monitus, vt abiecto regio cultu, Christi humilitatem præ se ferret, nudis pedibus, obsoletaque veste indutus,

viæ reliquum facile progressus, in eodem loco, ex quo à Persis ablatum fuerat, reposuit; enixeque curauit, indigenas alios, alio casu, in finitimas vrbes dilapsos, in patriam remigrare, vt vrbs sancta frequenter coleretur.

His peractis in Syriam contendit, quam dum accuratè perlustrat, Indorum simul, & Francorum legatos summa humanitate amplexus est. *Ita Theophanes.* Cæterum cum Edessæ commoraretur, curiosis de fide Disputationibus impensius addictus, in Monotselitarum traductus est errorem, quo, ingentem illam quam sibi apud omnes orbis totius principes comparauerat gloriam, fœdissime deturpauit.

CLOTARII FRANCORVM REGIS Gesta.

Tributum annuum, quod Longobardorum Rex, Francorum Regibus pensitabat, nomine præsertim Prouinciarum ad radices Alpium, remisit, Anno Christi sexcentesimo vigesimo primo, Heraclij Imperatoris duodecimo, vel vt vult *Gregorius Turonensis in appendice*, sexcentesimo vigesimo tertio.

Triennio post, Sichildem Bertrude vxore mortua, connubio sibi iunxit. Tum Dagoberto filio suo ex Bertrude Regina suscepto, Gomatrudem Sichildis Reginæ germanam, in vxorem dedit, illumque vniuersæ Austrasiæ Regem, ne noua molirentur Principes, totique Belgio cautum esset, creauit. *Aimoinus, & alij.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Sarbacla, Sarbara, Sais, & Razates summi erant nominis apud Chosroem Persarum Regem, reque bellica clarissimi, *vt refert Bizarus in sua Historia Persica.*

Ziebil Turcarum Princeps illustrissimus, ad Heraclium Imperatorem profectus, Anno Christi sexcentesimo vigesimo quinto, filium suum, selectorumque quadraginta Orientalium militum millia, quos secum abduxerat, effusis animis

obtulit; dein proprios repetijt lares. *Theophanes, & Cedrenus.*

Eduinus Northumbrorum Rex, hoc est Anglorum Borealium, Christianæ Religionis mysterijs initiatus, Edelburgam virginem præclaris virtutibus insignem, Eadualdique Cantiæ Principis sororem, in coniugem accepit, *Beda de gestis Anglorum, & Polydorus.*

Chosroes Rex certior factus eodem Christi Anno sexcentesimo vigesimo quinto, de Sais obitu, qui à Theodoro Imperatoris fratre debellatus, mœrore perierat, iussit illius corpus ad se deferri, itaque, ad eius conspectum, accensus ob cladem acceptam, plurimis confodit vulneribus. Anno vero Christi sexcentesimo vigesimo octauo dysenteria laborans, Merdesam, seu Mardesam filium suum ex Syra dilecta coniuge natum, Regni hæredem, Seleuciæ, quò confugerat instituit. *Byzarus in sua Historia Persica.*

Adalualdus Longobardorum Rex è mente, ob potionem dolose propinatam, vt volunt aliqui, deturbatus, quod tamen verisimile non est, cum Honorius Pontifex, de eo in Regnum restituendo, egerit, vt constat, ex ipsius ad Italiæ Exarchum, scripta epistola, imperio priuatus fuit, Anno Christi sexcentesimo vigesimo sexto, principatus decimo, Heraclij autem decimo septimo, in eiusque locum Arioualdus Episcoporum transalpinorum opera suffectus.

Isacius Italiæ Exarchus Adalualdi partes quantum potuit tutatus est. Verum fœdus tandem cum nouo Rege inire, omnibus Imperij viribus, in Orientem effusis, coactus fuit, *vt referunt Annales.*

Dagobertus vniuersiæ Austrasiæ Regno donatus, Pipini, Arnulphique virorum clarissimorum consilio, manuque vtebatur, *vt scribit Fredegarius.*

Suinthilla Rex, Richemorum filium suum, in cuius puerili ætate, eximiaque indole, paternæ, atque auitæ virtutes mirabiles summe elucebant, Regni sui consortem, contra Gothorum mores, iuraque antiqua, quibus, procerum suffragijs regia insignia donabantur, creauit, eodem Christi Anno sexcentesimo vigesimo sexto; nec prius conquieuere prouincialium animi, quam è solio, vna cum filio eiectus fuit. Cæterum in tot fœdos Princeps dilapsus fuerat amores, vt eius

probra, & calamitates, *Isidorus illius temporis scriptor* euulgare recusarit; neque tutum erat, hæcce grauia Reipublicæ vulnera, tanquam desperatæ curationis carcinomata stylo contrectare; motusque intestinos, ac gentis proditiones memoria propagare. *Ita scriptores de rebus Hispanicis.*

Syroes, seu Syrochius Chosrois Persarum Regis filius maior natu, accepto nuntio de inauguratione Merdasis fratris sui, in consortem Imperij adsciti, Anno Christi sexcentesimo vigesimo septimo, vt scribit *Byzarus in sua Historia Persica*, nulla facta mora, infesta signa in patrem mouit; cumque sibi fuga consulentem, magnis itineribus insecutus, fœlici cepit euentu, tum ferreis catenis oneratum, in domum tenebrarum, quam recens extruxerat, vbi immensos suos thesauros, tuto reconderet, turpiter coniecit. Dein purpura omnium suffragijs indutus, solutis omnibus captiuis Romanis, & Zachara Hierosolymorum Pontifice, restituto insuper Sacro-sanctæ crucis ligno; Africa, Ægypto, Syria, ac cæteris Romani Imperij ditionibus à Persis occupatis, à Mesopotamia, ad oram Syriæ, & Erithræum mare, Arabia vnica excepta, cuius defectio, magnum humano generi peperit incendium, Mahometis scilicet viri impurissimi lege infanda, pacem cum Heraclio Imperatore composuit, *vt scribit Theophanes, & alij.*

Frequhardus Scotorum Princeps, Eugenij quarti filius, è solio, ob grauia, quibus regiam maiestatem deformarat scelera, procerum omnium consensu, expulsus, carceri mancipatus fuit; Fiacrioque eius filio, viro insigni pietate illustri, & in Gallijs priuatam vitam agente, paternumque Imperium Scoticum renuente, quatuor summæ fidei viris, Reipublicæ totius administratio demandata fuit, dum alius, regia auctoritate succederet. *Leslæus de rebus Scoticis.* Carpualdus sub idem tempus Orientalibus Anglis præerat.

Mahometes Arabs, seu sarracenus, Sordidis natus parentibus, patre nimirum Ethnico, at matre Hali Ismaelita, quibus orbatus, operam suam cuidam ditissimæ viduæ, nomine Codichæ, seu Fadigæ, locauit, illiusque Camelorum curam suscepit. Dein eam varijs præstigijs, suoque vafro ingenio, ita sibi conciliauit, vt in vxorem duxerit. Sed cum à Dæmone identidem exagitaretur, morboque Comitiali grauiter la-

boraret, coniugem, id ægre, indigneque ferentem, ea arte demulsit, asserendo nimirum se ad conspectum Angeli Gabrielis apparentis sibi, concidere. Mox vates ab omnibus habitus, & Dux exercitus creatus, Sarraceni Regni initia confirmauit, Arabiæque imperauit, quam, turpissima sua lege edita, turpissime defœdauit, mortaliumque partem multo maximam, in veri obliuionem adduxit, *vt referunt Scriptores.*

Sarbaras, seu Adeser, Syroe Persarum Rege ab eo sublato, Anno emenso principatus sui, Imperio potitus est, Anno Christi sexcentesimo vigesimo octauo, Heraclij Imperatoris decimo nono. Quod tamen, tanto scelere partum, diutinum illi non fuit. Septimum siquidem intra mensem, & ipse cæsus, Barrazam nactus est Successorem, qui pariter à Persis interemptus, totidem tantum mensium spatio regnauit; in eius locum Barachanes Chosrois filius, vt volunt aliqui, suffectus fuit; eoque extincto, mense etiam septimo, vltimus gentis Persicæ Rex, Hormisdas nomine, omnium votis salutatus fuit. *Ita Bizarus de rebus Persicis.* Eububezer denique, seu Abubachar, Mahomete è viuis erepto, Sarracenorum res administrauit, Anno Christi sexcentesimo trigesimo, Heraclij Imperatoris vigesimo primo.

VIRI ERVDITI.

Vuorgresius, Britannus genere, primusque apud Anglos Gasconensis Abbas, singulari eruditione clarus, Historiarum librum contexuit. *Lelando teste.*

Georgius magnæ Ecclesiæ, *vt ait Suidas* Diaconus eiusque Archiui præpositus, cognomento Pisides, opus dierum sex, carmine Iambico, euulgauit: oratione vero solnta, multa de Heraclio, & bello Persico composuit. Scripsit insuper de æstate; de mari; ad eos qui leges non metuunt; de augmento; de sensibus; Physiologium de plantis; de auibus; volatilibus; naturalibus; feris; reptilibus; de herbis; de generibus animalium; de locusta; de hirundine; de malo punico.

OPERA PVBLICA.

Vascones à Suinthilla Hispaniæ Rege debellati, prima, ipsius iussu, Ologeti vrbis fundamenta, proprijs, maximisque sumptibus posuere, Anno Christi sexcentesimo vigesimo secundo, Heraclij Imperatoris decimo tertio, *vt testatur Rodericus Toletanus.*

RES BELLICÆ.

Heraclius Imperator in Persas profectus, Anno Christi sexcentesimo vigesimo primo, Chosrois Regis hostiles copias, crebris velitationibus fudit, fugauitque. Tum exercitu ad hyberna in Armeniam dimisso, Byzantium reuersus est; transactaque hyeme, Armeniam repetijt. Dein Persidem infesto, agmine inuasit. Chosroes vero Rex, qui non terræ tantum, sed ipsius etiam cœli victor sibi videbatur, Heraclio tamen Imperatore, ad Gazacotem vrbem, in qua ipse erat cum armatorum millibus non minus quadraginta, aduentante, fuga turpissima, in Mediam properauit. Vrbe autem, vbi solis fanum, Crœsique thesauros fuisse memorant, potitus Cæsar, hostem insecutus est, obuios quosque cæcidit, ac captiuorum infinitam pene multitudinem cepit. Quos tamen pro sua clementia, & vt sibi Persarum animos conciliaret dimisit.

Anno vero sexcentesimo vigesimo tertio Chosroes resumptis animis, & viribus, copias trifariam diuisit, earumque Ducibus, Romanos actutum aggredi præcepit; quorum duo, alio non expectato, ne cum illo vt sibi persuadebant victoriam, prædamque communicarent, acriter cum Romanis decertarunt; sed infœlici pugnæ euentu. Verum cum mox præsto fuisset reliqua exercitus pars, prælium atrox instauratum fuit, à quo, Romani haud secius victores recessere, Persis ad internecionem deletis. Superato demum Euphrate, Anno Christi sexcentesimo vigesimo quarto, Romanus miles, Sarum transmisit fluuium; vbi, dum se quietem aliquam capere speraret, adesse hostem, Duce Sarbara, Pontemque subijsse sensit; tum Heraclius vt in re trepida, suos ad prælium hortatus, primus

maturate pontem aggressus est, quo loco, cum stupendæ proceritatis miles Persa, singulari certamine excepit; Huius tamen Gygantæa hominis specie, non ita fuit Augustus territus, quin, vno, ipsum confectum vulnere in amnem deturbarit. Qua re cecidere penitus hostium animi, vixque ad fugam hostes superfuere.

Proximo anno bellum iterum in Romanum solum transtulit Chosroes, Sclauinis, ac Bulgaris, alijsque à Septentrione Barbaris, in Heraclium sollicitatis, Caiano in primis Auarum Rege, quo cum Cæsar fœdus pepigerat, cuique & filios, & Romani Imperij tutelam, in hostem profecturus reliquerat; Perfidus tamen ille, collecto ex suis, ac Barbarorum natione, potentissimo exercitu, Byzantium delatus, terra, marique obsidet, dum Sarbaras Persarum Dux spectatissimus, Chalcedonem ex aduersa mari parte, acriter oppugnat. Vterque tamen incassum obnitens, quippe & vtraque classis ventorum impetu, & terrestres copiæ, intestinis discordijs periere. Suis tamen Persarum Dux in aciem sub idem tempus, cum immenso peregrinorum, ac ciuium, nec non seruorum numero, additis quinquaginta millibus selectissimorum militum, quos præ excellentia Chrysolotas, cuneumque aureum vocitabat; contra Theodorum Imperatoris fratrem, descendit. Pugna hæc, à prima luce, commissa, in serum diei protracta fuit, ad Persas inclinante victoria, quam quidem, haud dubie, retulissent, ni repentinus, atque inexpectatus imber, mixta grandine, cum fragore, ac strepitu horrendo, cœlo effusus, eos terruisset, procella Barbarorum ora, oculosque vento, ac fulgoribus perstringente. Quibus attoniti Persæ, pauci ex tam numeroso, ac superbissimo delectu, durissimaque conquisitione, collecto exercitu, superstites fuere, cæteri vel capti, vel cæsi. Interea Ziebil Princeps clarissimus quadraginta Gazorum millia, ad Heraclium Imperatorem deducens, Regnum Persarum à tergo, disruptis, Caspijs portis, inuasit, vrbesque, ac villas succendit, agros euastauit, omniaque ferro ac sanguine compleuit.

Cæterum Caspiæ portæ, angustiæ sunt circa mare Caspium, Hircanum etiam dictum, ad octo millia passuum, *Solino teste*, in longitudinem extensæ, latitudine tamen ita exigua, vt vix

plaustro peruiæ sint.

Chosroes autem insigni clade accepta superiori Anno, Christi scilicet sexcentesimo quinto, bellum totis Imperij viribus reparauit: Razatemque Ducem spectatissimum, rebusque bellicis clarissimum, copijs præfecit. Hic maiore nisu, quam reliqui, non tamen fœliciori marte, Heraclium Imperatorem pridie idus Decembris, Anni Christi sexcentesimi vigesimi sexti, aggressus est. Verum Imperator, insperato quamuis Turcarum abscessu, ob perfrigidam, summamque hyemem, primus in hostem magnis irruit animis, ipsumque Razatem Ducem fortissimum, aliosque quamplurimos, propria manu, non sine tamen vitæ periculo, occidit, collectisque opimis spolis, aureis nimirum Razatis armis, gloriosa, immortalique victoria potitus est, cæsis multis Persarum millibus, Romanorum vero quinquaginta tantum militibus desideratis. Hæc pugna atrox admodum fuit, ægreque à primo mane, ad horam nonam, vel vt alij volunt per integrum diem, depugnata, ob eamque rem, nobilis maxime, sed Razatis præsertim Ducis præstantissimi casu, multo nobilior facta. His peractis, vexilla in Chosroem, qui non longe hinc aberat, intulit, ipsumque, Seleuciam vrbem trans Tigrim munitissimam confugere, regiasque, quas incolebat villas, regia refertas suppellectile, Romano militi cedere compulit; Romanorumque inuenta Signa bellica, in Prælijs olim à Persis capta, trecenta numero, vendicauit.

Dagobertus Austrasiæ Rex bellum graue, ac difficile cum Saxonibus rebellantibus habuit, Anno Christi sexcentesimo vigesimo octauo, Heraclij Imperatoris decimo nono, vltra Rhenum fortiter pugnatum est, vbi digna tanto Principe magnanimitas enituit. Hic itaque immixtus hostibus, dum regiæ virtutis dat suis documenta, graui, aduerso capite, percussus fuit vulnere. Qua de re Clotarius certior factus, actutum, cum omni Francorum nobilitate, præsto fuit, copiasque cum filio suo ad Visurgim fluuium coniunxit. Nouo exercitu; nouis viribus, noua belli mole, aucti Austrasiani, victoriæ spe concepta Saxones letho vouerunt, plaususque magnos dedere; ad quos Berthulphus Saxonum Dux accurrens, stansque in altera fluminis ripa, Clotarium Regem conuitijs scuriliter incessit.

O quam

O quam acres habet dolorum aculeos contumelia quam imponit inferior. Traiecto siquidem amne, cum in castra territus saxo recedit, à Clotario Rege occupatus, in pœnam conuitiorum, obtruncatus fuit; hostium vero adeo cruenta cæde edita, vt vix vllus euaserit. *Aimoinus, & Paulus Æmilius.*

TRIVMPHI.

Heraclius Imperator, crebris inclytus victorijs, regiam vrbem Constantinopolim, aureo deuectus curru, ingressus, superbissimum de Chosroe Persarum Rege, vniuersoque Imperio, liberata, ac vindicata pristina libertate, triumphum egit, Anno Christi sexcentesimo vigesimo septimo, Principatus decimo octauo. In eo enim aureæ vrbium præferebantur coronæ; opes regiæ, auita antiquorum Principum, immo, & ipsius Chosrois ornamenta pretiosissima; montium, fluminum, præliorumque simulachra, mirabili arte, expressa; signa militaria ab hostibus erepta; Cathedra D. Marci, ex Antiochia sublata, ac potissimum augustum illud, omnique ritu venerandum Sacro-sanctæ crucis lignum; cuius virtute hostium fortitudo difracta penitus fuerat, roburque solutum. Dein populus, laureatusque exercitus, cum omni senatu, magnaque hominum multitudine subsequebatur; tandem faustis acclamationibus victor Augustus salutatus, ingenti lituorum, vocumque fragore, in palatium deductus fuit. *Theophanes, Suidas, & alij.*

OBITVS ILLVSTRES.

Saïs Persarum Dux celeberrimus, à Theodoro Heraclij Imperatoris fratre, debellatus, præ nimio dolore interijt, Anno Christi sexcentesimo vigesimo quinto, *vt vult Theophanes.*


Biennio post, Anno scilicet Christi sexcentesimo vigesimo septimo, Chosroes Rex potentissimus, Romanoque Imperio hostis infensissimus, à Syroe filio suo rebellante captus, omnique ludibrio habitus, acubus confossus, perijt, principatus sui sui trigesimo septimo; ceperat enim imperare, auctore Miscella, Anno Christi quingentesimo nonagesimo; ipsius vero filij Syrois fratres, spectante patre, cæsi fuere. *Ita Græcorum Scriptores.*

Anno autem ſexcenteſimo vigeſimo octauo Bertulphus, ſeu Bertoaldus Saxonum Dux, captus, vinctuſque occubuit. Ipſeque Syroes nouus Perſarum Rex vnicum principatus ſui annum agens, Sarbaræ Ducis opera, cecidit: Sarbora autem ſeptem tantum menſibus Imperio potitus, interfectus fuit, eiuſque ſucceſſor Barrazas nomine, pari emenſo ſpatio, à Perſis ſublatus. Barrhanes denique Choſrois filius, in Barrazæ locum ab ijſdem Perſis, ſubrogatus, breui fato functus eſt, cum totidem tantum menſibus imperaſſet, *vt teſtantur Auctores citati.*

Mahometes Arabum Princeps, ſupremum expleuit diem, Anno Chriſti ſexcenteſimo trigeſimo, Heraclij Imperatoris vigeſimo primo; de quo S. Eulogius Martyr hæc refert in Apologetico, ex codice Sigerenſis cœnobij, excerpta, illum ſcilicet, mortem imminere præſentientem, ſe Angeli Gabrielis virtute reſurecturum prædixiſſe, ipſiuſque æmulos eum demortuum ſumma cura cuſtodiri iuſſiſſe; die tamen tertia iam exeunte, non reſurrexiſſe quidem, ſed tam putidum exhalaſſe fœtorem, vt cuſtodes ſuos, ac vigiles procul expulerit, maiorque illius cadaueris pars, à canibus, hocce graui odore, allectis, corroſa fuerit; reliquum autem terræ mandatum. Nihilominus, proh nefas, ipſi, ab Eububezere qui recenter acclamatus purpuram induerat, ſepulchrum regia munificentia erectum.



T



DECAS QVARTA.

HERACLII IMPERATORIS Gesta.

CErtior factus Edessæ commorans de Theodoro fratre suo, ab Haumaro Arabum, seu Sarracenorum Rege turpiter fugato, deserta Syria, Byzantium se recepit, sacro-sancto Crucis ligno Hierosolymis, ne in hostium iterum potestatem recideret, abducto, Anno Christi sexcentesimo trigesimo tertio, principatus vigesimo quarto. *Theophanes, Cedrenus, & alij.*

Veritus Hæretici infamiam, nouo rescripto edito, Anno Christi sexcentesimo quadragesimo, principatus trigesimo primo, Ecthesis superioris anni auctorem se esse negauit, Sergiumque Episcopum Constantinopolitanum, Augusti nomine, illam promulgasse asseruit, vt testantur acta publica Senatus Constantinopolitani. Rectius certe egisset si sacra Christianæ fidei mysteria impensè se colere toto orbe euulgasset.

CLOTARII FRANCORVM REGIS Gesta, & Obitus.

E Saxonico bello, in quo hostiles copias prospere attriuerat, reuersus, Burgundionum procerum concilium coëgit, Anno Christi sexcentesimo trigesimo primo, principatus sui vltimo; eosque enixe rogauit, vt quem maxime optarent, in locum Vernarij Præfecti iam demortui, subrogari, & à Rege, Palatij Rectorem præfici, ipsi indicarent, quibus statim succlamatum est, illum sibi omnia futurum, nulliusque alterius dominium subire se velle, quod & gratissimum, & iucundis-

simum fuit Principi, qui non multo post inter viuos desijt.
Paulus Æmilius.

ICON

CLOTARII FRANCORVM REGIS.

CLotarius secundus Chilperici ex Fredegunde filius, Christianæ fidei mysterijs deditissimus; rerum gestarum fama clarissimus; belli pacisque artibus celeberrimus; Guntheramno tutori quondam suo moribus simillimus, sed animi magnitudine longe maior; eleganti corpore; ingenio eximio; prudentia singulari; suauitate maxima; constantia mirabili; benignitate, quæ Principum propria est, summa; eruditione non vulgari; regijs denique tantum ornatus virtutibus, quantum ea dignitas capit; Quadrimestris, Rex salutatus, patrui sub regimine, Regnum varijs cædibus plenum; atrox prælijs; discors seditionibus; immo ipsa etiam pace sæuum, suscepit. Magna siquidem domestica odia; ferro interempti Principes; motæ Prouinciæ; bellumque ciuile, Brunechildis opera, Imperij exitium meditantis, adeo exarserat, vt Galliam pene omnem fædissimis flammis corripuerit. Breui tamen, Landerici viri clarissimi studio, fæliciter confectum fuit. Dein vniuerso Francorum Imperio potitus, nihil antiquius habuit, quàm Regis nomen induere, omnique comitate, subditorum animos sibi conciliare; quod certe tanta præstitit industria, vt nullus vnquam Rex maiori fide, religioneque cultus, obseruatusque fuerit. Longobardis tributum annuum, quod Francis pendere consueuerant, abrogauit; cum ijsque fædus in multas ætates pepigit. Bertrude vxore fato sublata, Sichildem sibi iunxit; filiumque suum Dagobertum, in consortem Regni assumpsit, cui Gomatrudem, Sichildis germanam collocauit. Tum ab eodem contra Saxonas euocatus, Bertarium illorum Ducem obtruncauit, tantamque hostium stragem edidit, vt vix vllus superstes extiterit. Tandem in Franciam victor reuersus, omnique laude, atque gloria cumulatus, purpuram cum homine exuit.

DAGOBERTI FRANCORVM REGIS Gesta.

Clotario patre defuncto, Anno Christi sexcentesimo tri-

gesimo primo, Heraclij Imperatoris vigesimo secundo, Lutetiam maturatè se contulit, vbi summo cum apparatu exceptus, Franciæque Rex acclamatus, ne aliqua, nouarum rerum cupidis, tumultus, vel motus alicuius occasio præberetur, Aribertum fratrem suum Aquitania, quæ Ligeris flumine, & Pyrenæo saltu, concludebatur, donauit, omniaque tranquilla pace, legumque moderatione, ac priscis institutis, impensè fouit. Sisennandum insuper nobilem Hispanum, Suinthilla extincto, Hispaniæ Regem creauit, eodem Christi anno; Abundantio, & Venerando copiarum præfectis eo missis: Hæc enim Franciæ gentis gloria erat, vt eius arbitrio sceptra regerentur, gererenturque. *Vasæus, & alij Scriptores Hispanici.*

Aulicorum quorundam consilio, prolisque amore, Gomatrude vxore sterili reiecta, Anno Christi sexcentesimo trigesimo secundo, Heraclij Imperatoris vigesimo tertio, Nantildem virginem, Deo sacratam, è monasterio raptam, in coniugem accepit, & vt turpissimis suis libidinibus facilius indulgeret, pluresque fœminas thori consortes, Reginarum luxu enutriret, Amandum Traiectensem Episcopum, in ipsum acrius identidem insurgentem, ab aula procul exegit.

Triennio post, Anno scilicet Christi sexcentesimo trigesimo quinto, Heraclij Imperatoris vigesimo sexto, Pictonum, qui rebellantibus Vasconibus fauerant, euastatis agris, Pictauium, vrbem totius regionis Principem, deprædatus est, *vt refert Gaguinus.*

Ad meliorem frugem, Richarij sanctitate illustris viri opera traductus, Austriam perlustrans, Regentrudem virginem, dimissa omni pellicum turba, matrimonio sibi iunxit, Anno Christi sexcentesimo trigesimo nono, Heraclij Imperatoris trigesimo, filiumque ex ea Sigebertum nomine, anno vertente, suscepit. Tum Amandum Episcopum, virum pietate præstantem, in aulam reuocauit, ad illiusque pedes supplex deuolutus, veniam iniuriæ irrogatæ ab eo exorauit; precibusque, atque lachrymis vbertim fluentibus, euicit, vt recenter pusillulum natum, sacro baptismate inauguraret. *Ita Annales.*

Ariberto fratre defuncto, Anno Christi sexcentesimo quadragesimo, Heraclij Imperatoris trigesimo primo, vniuersa

Gallia potitus est, Sadragesillique Aquitaniæ Ducis interfecti paterna bona, fisco adiudicauit, cum filij illius, nullam de percussoribus pœnam sumpsissent; leges siquidem Romanæ, filios, impunita nece parentis, hæreditate arcebant. *Paulus Æmilius.* Adde quod eodem anno Iudæos peruicacius hominum genus, veræ Religionis causa, non autem, Heraclij Imperatoris hortatu, Christiana sacra suscipere coegerit.

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Sisennandus, ex Suinthilla Visigothorum Rege, & Theodora, Sisebuti Principis filia natus, regijs ornatus fuit insignibus, Anno Christi sexcentesimo trigesimo primo. *Vasæus, & alij Historici.*

Pipinus Brabantiæ Dux, legum defensor acerrimus; patriæ munimentum tutissimum; Dagoberti Francorum Regis moderator sapientissimus, ac Maior domus spectatissimus, grande sibi nomen fecerat apud Principes. *Stephanus Abbas in rebus gestis S. Modoaldi.*

Proximo anno Donaldus, Eugenij tertij filius, Frequhardo Scotorum Rege extincto, Reipublicæ administrationem suscepit. Hic maiorum suorum exempla æmulatus; Regnum Frequhardi Principis socordia, penitus labefactatum, in pristinum suum splendorem restituit. *Leslæus de rebus gestis Scotorum.*

Osricus, & Enfridus, Eduino Northumbriæ Rege in acie cæso, Regnum obtinuere, Anno Christi sexcentesimo trigesimo tertio, Heraclij Imperatoris vigesimo quarto. Huic Bernicia; illi vero Deira obuenit, *vt vult Polydorus.*

Edbaldus, seu Eadualdus Cantiorum Rex clarissimus, Edelbergam Reginam, Eduino Principe orbatam, summa cum humanitate excepit, infœlicem illius sortem vehementer condolens.

Haumaurus, Eububezere Arabum, seu Sarracenorum Principe defuncto, sceptrum sub idem tempus sumpsit. Anno vero Christi sexcentesimo trigesimo sexto, Heraclij Impera-

T

toris vigesimo septimo, Hierosolymam in suam potestatem redactam ingressus, cilicio ex camelis, ac sordidis indumentis amictus, Salomonis templum, (vt pote affinis genti Hebræorum) inuisit, fœdamque illius direptionem summe defleuit. *Theophane teste.*

Osualdus Edelfridi filius, & Eduini ex sorore nepos, in Scotia, à morte patris, profugus, Osrico, & Enfrido ferro sublatis, Rex ab Ida decimus salutatus fuit, ineunte Christi Anno sexcentesimo trigesimo quarto, Heraclij Imperatoris vigesimo quinto, omnesque Britonum, Pictorum, Scotorum, & Anglorum Prouincias in ditionem accepit, *vt scribit Beda.*

Cadoualladrus, patre Cadauallone Britonum Rege interempto, regio diademate ornatus fuit: fatis enim Britannicas res in exiitum trahentibus, relicto Regno, Romam profectus est, vbi reliquum vitæ suæ cursum, suauiter peregit. *Polydorus, & alij.*

Aribertus Dagoberti Francorum Regis frater, & Aquitaniæ Rex, tutore Brunulpho, Vasconiam, quæ officio suo decesserat, recuperauit, eodem Christi Anno sexcentesimo trigesimo quarto, suumque principatum fœlicibus propugnauit armis. *Paulus Æmilius.*

Cingillus, Cœlulpho demortuo, Vestsaxonum orientalium Rex acclamatus fuit anno sequenti. *Auctore Polydoro.* Chintila insuper Sisennandi in Hispania Regis fato absumpti frater, rerum potitus est eodem anno.

Sigebertus Carpualdi Orientalium Anglorum Regis frater ex matre, & Redoualdi Principis filius, rerum administrationem omnium votis suscepit, Anno Christi sexcentesimo trigesimo sexto, Heraclij Imperatoris vigesimo septimo, percelebresque Academias, vt pote eximia doctrina excultus, suo in Regno instituit, ac præsertim Cantaburgiæ, vnde insignes, multiplicique eruditione præstantes viri prodiere. *Ita Polydorus, & alij.*

Sequenti anno Mahuuia, Sarracenorum suffragijs, prouinciarum omnium, quæ Ægyptum inter, & Euphratem censentur, Præses constitutus fuit. *Cedrenus.* Rhotaris autem Arrianus Princeps, in locum Arcoualdi Longobardorum Regis demortui, suffectus, Anno Christi sexcentesimo trigesimo

octauo; Heraclij Imperatoris vigesimo nono, *vt refert Paulus Diaconus.*

Tulga Princeps, Chintila in Hispania Rege sublato, Imperium sumpsit, Anno Christi sexcentesimo trigesimo nono, Heraclij Imperatoris trigesimo. Vir ætate quidem iuuenis, æquitatis tamen, atque Religionis laude, senilique prudentia nulli posthabendus; bello strenuus; consilio bonus; liberalique ingenio, ac benignitate singulari erga eos, quos res angustæ vexabant. Regias enim opes, non ad priuata commoda, neque ad voluptatum instrumentum, sed ad multorum præsidium, populique salutem, congestas esse identidem dictitans.

Ercombertus Edbaldi Cantiorum Regis filius, regijs infulis insignitus fuit, Anno Christi sexcentesimo quadragesimo, Heraclij Imperatoris trigesimo primo. Princeps tum amore in patriam, tum Religione in Deum, neutiquam patri longe impar; siquidem, & auum, ac patrem insigniter æmulatus, Idola vbique destrui, & ieiunium quadraginta dierum obseruari præcepit. *Polydorus.*

VIRI ERVDITI.

Sigibertus Anglorum Rex, virtute, atque doctrina non vulgari illustris, præclara legum instituta, Anglis, vt alter Solon Salaminis, & Licurgus Spartiatis, atque Lacedemonijs, reliquit, librumque vnum Epistolarum. *Beda teste.*

Maximus Monachus Constantinopolitanus Martyr, scripsit in Porphirij Isagogem, & Aristotelis Categorias, multaque alia opera, quæ habes in sacra mea Historia.

NATALIA AVGVSTA.

Sigebertus Dagoberti Francorum Regis filius ex Regentrude vxore natus est, Anno Christi sexcentesimo trigesimo nono, Heraclij Imperatoris trigesimo; *vt asserit Aimoinus.*

REGNORVM

REGNORVM OCCASVS.

Florentissimum illud Persarum Regnum, per tot sæcula, maioribus in dies accessionibus propagatum, & cui sæpe Romanæ vires cessere, deuicto à Sarracenis Hormisda illius Rege, fugatoque, immo vt volunt aliqui, in bello cæso, collapsum est, Anno Christi sexcentesimo vigesimo nono, Heraclij Imperatoris trigesimo: ipsique Persæ, victoris nomen assumere coacti, Sarracenique appellari. *Bizarus de rebus Persicis.*

OPERA PVBLICA.

Magnus Altinus Episcopus, Opitergio Venetorum vrbe clarissima, & cui ipse præerat, à Rhotario Longobardorum Rege euersa, Seuerino summo Pontifice, & Heraclio Imperatore approbantibus, ciuitatem Heracleam Imperatoris nomine dictam, condere cepit, Anno Christi sexcentesimo trigesimo nono, Heraclij Imperatoris trigesimo, *vt scribunt Merula, & Volaterranus.*

Paulus Altini Venetorum etiam oppidi excisi Præsul clarissimus, vrbes sex sub idem tempus, Torcellum scilicet, Maiorbum, Burianum, Amorianum, Aimanum, & Constantiacum, iuxta Torcellum, à Constante Imperatoris filio nominatum, magnis ædificauit sumptibus. *Ita citati Auctores.*

Erchenaldus, & Adabaldus fratres nobilissimi, varios inter bellorum euentus, hostiumque incursiones, Duacense oppidum, apud Galloflandros instaurarunt, arcemque miræ altitudinis, intra vrbis pomeria, extruxerunt, Anno Christi sexcentesimo quadragesimo, Heraclij Imperatoris trigesimo primo, *vt referunt Annales Galloflandriæ.*

PRODIGIA,

Mahomete defuncto horrendus Cometa à meridie vsque ad Septentrionem porrectus, Arabum Imperium collapsurum prænuntians, gladij instar apparuit, Anno Christi sexcentesimo trigesimo secundo, Heraclij Imperatoris vigesimo ter-

tio. *Theophane teste.*

Sigebertus Dagoberti Francorum Regis filius, dum eum S. Amandus Episcopus sacro baptismate inauguraret, consuetasque orationes enuntiaret, nullo, pro more Christiano, Amen respondente, ipse quadraginta tantum dies natus, Amen expedita voce, ad omnium stuporem protulit, Anno Christi sexcentesimo trigesimo nono, Heraclij Imperatoris trigesimo. *Gaguinus.*

RES BELLICÆ.

Arabes Sarraceni dicti, vel ab vrbe Arabiæ Saraca appellata, vel quia à Sara, vxore Abraham, ortos se esse dictitarent, Eububezere Duce, Mahometis successore, Palæstinæ Præside, in acie victo, Gazensem Regionem deprædati sunt, Anno Christi sexcentesimo trigesimo secundo, Heraclij Imperatoris vigesimo tertio. *Theophanes, Cedrenus, & alij.* Sequenti vero Bostram ciuitatem vi ceperunt, Theodorique Imperatoris fratris exercitum deleuere.

Penda Merciorum Rex, & Cadoualla Britonum Princeps, arma in Northumbros sumpsere eodem anno. Decertatum vtrinque acriter, victoriaque iam in Northumbros inclinante, Eduinus eorum Rex, medios inter hostes fortiter depugnans, vulneratus occubuit, multaque hominum millia cæsa. *Polydorus.*

Sarraceni Romanos multis prælijs vicere, Anno Christi sexcentesimo trigesimo quarto, Heraclij Imperatoris vigesimo quinto. Damascum siquidem, veram Iouis vrbem, & totius orientis oculum, vt vult Iulianus in suis epistolis, aliasque plurimas, atque amplissimas ciuitates occuparunt, immo ipsam nobilissimam Ægyptum, quæ hactenus ab Augusti temporibus, sub Imperatorum ditione, perseuerarat, tributum pendere coëgere. *De ijs fuse Græcorum Annales.*

Cadouallo Britonum Rex signa in Enfredum, & Osricum Northumbriæ Reges tulit sub idem tempus, victosque, atque captos in carcerem coniecit. Dein Osualdum Ethelfridi filium, qui in eorum locum suffectus fuerat, atrociori bello petijt, neutiquam secum cogitans, quantum hostis valeret armis.

Osualdus nihil cunctatus, in campum, vbi quondam Ætiani milites murum, ad arcendos Pictorum concursus, construxerant, copias duxit, crucemque per castra circumferens, eam venerari, diuinumque auxilium, ad rem fœliciter conficiendam, implorare præcepit, tum ipsam crucem tanquam victoriæ trophæum, eo in loco, qui postea cælestis campus dictus est, collocauit; altero autem die, vbi illuxit, sacris ritè peractis, in certamen, signo edito, descendit. Committitur ingens prælium, in quo, æquis viribus, eo vsque dimicatum est, dum vis se paulatim remisit: quo cognito, Osualdus, redintegrata pugna, hostem primo in fugam se dare coëgit, mox fugientem consecutus, cum omnibus fere copijs, interemit. *Beda lib. 3. & Polydorus.*

Dagobertus Francorum Rex Pictauiensem ciuitatem depopulatus est, dirutisque mœnibus, solum arare, atque hinc inde sal aspergere iussit, vt refert *Gaguinus, & alij Scriptores.*

Haumarus Arabum Rex eodem fere Anno Christi sexcentesimo trigesimo quinto, Heraclij Imperatoris vigesimo sexto, Syriam deleto penitus Romanorum exercitu, subegit, grauique seruituti, anno proximo addixit; qua per Annos quadringentos sexaginta tres seuere oppressa fuit; Francorum enim tantum victricibus armis ab hocce iugo liberata, Anno Christi millesimo nonagesimo nono, Alexij Comeni Imperatoris decimo nono, respirare aliquantulum cœpit.

Sarraceni occupata Antiochia totius Orientis Metropoli, ingentem exercitum in Ægyptum, tributum promissum pendere renuentem immisere, eaque in potestatem redacta Tripolim vsque progressi sunt, Anno Christi sexcentesimo trigesimo septimo, Heraclij Imperatoris vigesimo octauo *Cedrenus, & Leo lib. 8. Historiæ Africanæ.*

Cæterum Tripolis tractus est Phœnices à tribus clarissimis ciuitatibus, in eo constructis, ita nuncupatus. Prima Tyrus dicebatur, Colonia à Seuero deducta, in Insula, Alexandri operibus, continenti coniuncta; celeberrimum quondam orbis Emporium, conchilio, & purpura insigne. Secunda ciuitas, Sidon appellabatur, à Sida Beli filia, *vt placet Eustathio,* vocata; & à Phœnicibus, qui relictis sedibus, ob frequentes terræ-motus, eam construxerunt; & à piscium vbertate

lingua sua Sidona dixerunt. Hæc cum Tyro & vetustate, & claritate decertabat. Tertia vrbs nominabatur Aradus, distans à Phœnice cui adiacet viginti stadijs, *vt refert Strabo lib.* 16.

Rhotaris Longobardorum Rex omnem Liguriæ oram suæ fecit ditionis, Anno Christi sexcentesimo trigesimo nono, Heraclij Imperatoris trigesimo; Opitergiumque summi quondam apud Venetos nominis, subita vi adortus, cepit, Romanorumque exercitum ad Scultennam Mutinensem amnem prostrauit. *Coccius, & Sigonius.*

Iadducen, redactis, eodem anno, *vt vult Cedrenus*, sub iugum vrbibus Edessa, & Constantia, tota Mesopotamia potitus est.

Franci, in Sclauos, partim Religionis causa, partim gentis Barbaræ, continuis incursionibus prouocati, mouerunt, Anno Christi sexcentesimo quadragesimo, breuique hostium furor attritus fuit. *Fredegarius, Aimoinus, Paulus Æmilius.*

Porro Sclaui, non alij fuere olim, *vt referunt scriptores*, quàm qui nunc Boëmi, Polonique dicuntur, è Scythia, Barbarorum ferocissimo seminario profecti. Albim vero fluuium medio cursu Sclauos à Saxonibus dirimere, quidam asserunt.

OBITVS ILLVSTRES.

Suinthilla Visigothorum in Hispania Rex, morbo Toleti sublatus fuit, Anno Christi sexcentesimo trigesimo primo, Heraclij Imperatoris vigesimo secundo, *vt censent aliqui.* Richomerus insuper illius filius breui post extinctus. *Rodericus Toletanus.*

Frequhardus Scotorum Rex, in vincula, ob grauia, infandaque scelera, coniectus, manus violentas sibi intulit, Anno Christi sexcentesimo trigesimo secundo, Heraclij Imperatoris vigesimo tertio. *Leslaus de gestis Scotorum.*

Eububezer Arabum Rex, & Mahometis successor, obijt Anno sexcentesimo trigesimo tertio, *Theophane teste.* Eduinus Northumbriæ Rex magnis virtutibus illustris, in acie cum filio suo Effredo cecidit. Edfredus vero alter ipsius filius, à Penda Merciorum Rege, cui se dederat, violato iureiurando interfectus fuit. *Polydorus.*

Osricus, & Enfridus fratres Northumbriæ Reges, Eduini consanguinei, ferro occubuere, Anno Christi sexcentesimo trigesimo quarto, Heraclij Imperatoris vigesimo quinto.

Cadouallo Rex Britannus plurimis victorijs clarus, ab Osualdo Northumbriæ Rege victus, captusque perijt. *Auctor citatus.*

Sisennandus in Hispania Rex, ex Theodora Regina, Suinthilæ Principis vxore, & Sisebuti filia natus, Toleti morte absumptus est, Anno Christi sexcentesimo trigesimo quinto, Heraclij Imperatoris vigesimo sexto. *Vasæus.*

Arioualdus Longobardorum Rex Arrianus desijt sine stirpe, Anno Christi sexcentesimo trigesimo octauo, Heraclij Imperatoris vigesimo nono, *vt testatur Paulus Diaconus.*

Chintila in Hispania Rex, & Sisennandi frater naturæ concessit, Anno Christi sexcentesimo trigesimo nono, Heraclij Imperatoris trigesimo. *Vasæus.*

Aribertus, Dagoberti Francorum Regis frater, & Clotarij secundi filius, supremum clausit diem eodem anno. Illum Chilpericus filius, haud multo post secutus est. *Gaguinus.* Adde Eadbaldum, seu Edbaldum, æque pium, ac Christianæ fidei studiosum, Anglorum in Cantio Regem, decessisse sub idem tempus, *vt refert Beda.*





DECAS QVINTA.

HERACLII IMPERATORIS Gesta, & Obitus.



Æmonum præstigijs, & Monothelitarum Hæresi addictus, inglorius, Romanoque pene exutus Imperio, reliquum vitæ cursum exegit, ærumnisque confectus, atque hydropisi, supremum expleuit diem, Anno Christi sexcentesimo quadragesimo primo. *Cedrenus.*

ICON HERACLII IMPERATORIS.

Heraclius, Heracleonæ filius, Imperator militum suffragijs salutatus, nihil antiquius habuit, quàm Imperium pene extinctum, prægrauantibus Persarum armis; Syria, cum ipsis Hierosolymis, expugnata, & Europa ab Auaribus Barbaris, Scythicisque populis, longe, lateque euastata, in antiquam suam gloriam restituere. Quam ob rem, Chosroe Persarum Rege, pacem impie denegante, totam belli molem, in orientem, restauratis legionibus, collectisque ingentibus copijs, conuertit. Tum deuictis, summa fœlicitate, Persarum Ducibus, immo ipso Chosroe penitus prostrato, cæsisque supra triginta hostium millibus; Perside igne, ferroque deturpata, ac recuperato sacro-sanctæ crucis ligno; fœdus cum Syroe Chosrois filio init; Tigridemque fluuium, Romani, Persicique Imperij limitem constituit. Dein Regiam vrbem Constantinopolim repetens, apparatissimum de Persis, dextera sacro-sanctam Christi crucem præferens, triumphum egit. Verum in Monothelitarum errorem dilapsus, Imperator nullus fuit; ab Haumaro siquidem Sarracenorum Principe,

multis prælijs, diuino vlciſcente numine, debellatus, Armeniaque, Meſopotamia, Ægypto, Syria, Palæſtina, ipſaque Hieroſolyma ſubacta, ad extrema redactus, tàm turpis, vitæ exitu, fuit, quàm clarus primis Imperij ſui annis; eoque certe perniciosſior, ob ignauiam, Imperator, quo diuturnior.

CONSTANTINI IMPERATORIS Geſta, & Obitus.

Heraclio funerato, Conſtantinus illius filius, rerum ſolus potitus eſt, Anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo primo, coronaque quam pater ſecum ad ſepulchrum detulerat inauguratus, eam pretio ſeptuaginta librarum, templo Sophiæ perſoluto, reſtitui curauit; quartoque Imperij ſui menſe, à Martina nouerca, veneno è viuis ſublatus fuit, *vt refert Nicephorus, Zonaras, Cedrenus, Theophanes, & alij.*

ICON

CONSTANTINI TERTII Imperatoris.

Conſtantinus ex Fabia Eudocia Heraclij Imperatoris priori coniuge natus, regio diademate à primis annis, conſulumque inſulis inſignitus fuit. Deliciæ aulæ totius, ob maxima virtutum ſemina, quæ in ipſo ſumme elucebant; veræque, atque antiquæ pietatis, & religionis Chriſtianæ, non autem paterni dogmatis hæres. Gregoriam, Nicetæ Patricij filiam, in vxorem habuit, ex eaque Conſtantem Principem, & Theodoſium ſuſcepit. Nulla re magis, quam nouercali odio, memorabilis.

HERACLIONIS IMPERATORIS Geſta, & Exilium.

Heracleon Conſtantino fratre extincto, Imperium cum Martina matre inuaſit, Anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo primo. Verum illud, ſcelere partum, ſenis haud am-

plius mensibus exactis, scelere amisit. Etenim senatui, totique populo Constantinopolitano iuste inuisus, naribus illi, matri vero lingua, ob Priuigni parricidium, patrum decreto præcisa, perpetuo exilio, cum ipsa Augusta, damnatus fuit, *vt legimus in Græcorum Annalibus.*

CONSTANTIS IMPERATORIS Gesta.

Constans Constantini filius, Heracleone è Regno eiecto, Augustus à senatu, absentibus etiam militibus, quod raro contigit, ante, & post Tacitum, *vt refert Pomponius Lætus*, acclamatus est, Anno Christi sexcentesimo quadragesimo secundo, auique sui Heraclij æmulus, Monothelitarum Hæresim, omni ope, propugnare studuit. Ea propter Martinum summum Pontificem, qui edictum, Typum nuncupatum, nouumque illud dogma damnarat, Constantinopolim, per Theodorum Calliopam Italiæ Exarchum, abripuit. Mox post dirum carcerem, & indignos cruciatus, Chersonem cum Maximo, viro doctrina, & sanctitate illustri, Roma itidem abducto, relegauit, Anno Christi sexcentesimo quinquagesimo. *Theophanes, & Anastasius.*

DAGOBERTI FRANCORVM REGIS Gesta, & Obitus.

Lidericum, eiusque vxorem, sororem suam, insigni apparatu Suessionibus excepit, Anno Christi sexcentesimo quadragesimo tertio, Constantis Imperatoris secundo, principatus vero sui vndecimo; dein regia dote ornauit, ingentemque tam auri, quàm gemmarum vim in eos effudit.

Proximo autem anno, illius magnificentia in ornandis, pretiosissimisque muneribus augendis Ecclesijs, maxime enituit.

Vascones qui in eum arma verterant, Anno Christi sexcentesimo quadragesimo quinto, *Fredegario teste*, & ad sacras S. Dionysij ædes, ipsius iram veriti confugerant, quamuis in eorum prælio, vt volunt aliqui vulneribus aliquot affectus fuisset;

fuiſſet; tamen vt in Agesilao ferunt, Religionem iræ antefe-rens, in gratiam admiſit; immo illos aſpere tractare metuit, nefas ducens ab ijs pœnas exigere, quos ſacer locus exceperat.

Biennio poſt, Anno ſcilicet Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo, Conſtantis Imperatoris ſexto, in extremis verſans, Nanthildem Reginam, & filium ſuum Clodouæum, Ægani viro, cuius virtus, & probitas ſpectata illi iamdiu fuerat, enixe commendauit; tum breui poſt, morbo paulatim ſuccreſcente, naturæ conceſſit. *Aimoinus lib.* 4.

ICON

DAGOBERTI FRANCORVM REGIS.

Dagobertus Clotarij ſecundi ex Bertbrude filius, Francorum Regnum grauiter implicatum ſuſcepit. Rerum ſiquidem cura, à Clotario patre, nouiſſimis vitæ ſuæ annis, remiſſa, licentia, atque audacia, veluti libera legum, regumque frenis, ac moderatione, omnia ſibi vendicarat, patriuſque mos, pudorque, reuiuiſcere nequaquam poterat. Seueritas enim Regis, gliſcens malum irritatura erat; indulgentia vero, vires contumaciæ, petulantiæque additura. Omnia tamen ſumma prudentia, & æquitate fouit; bellaque geſſit pari fœlicitate, vbique victor. Sclauos continuis excurſionibus Galliæ prouincias defœdantes breui expeditione compeſcuit. Vaſcones imperium detrectantes ingenti clade afflixit. Iudæos ſacra Religionis Chriſtianæ myſteria venerari coëgit. Siſennandum nobilem Hiſpanum, Suinthilla è Regno expulſo, Hiſpaniæ Regem creauit, aliaque præclara, & regio digna nomine, facinora edidit. Princeps tot, tantiſque ornatus virtutibus, vt vix vlli in Deum Pietate; in fidem conſtantia; in Religionem cultu; in ſacras ædes munificentia; in pauperes liberalitate; in rebelles clementia; in exteras nationes potentia; in res adminiſtrandas, conſilio, & æquitate; in ſuos denique charitate ceſſiſſet, niſi libido ſola, tantis meritis, labem maximam inuſſiſſet. Adeo in venerem, libidinemque proiectorum inhoneſta labes eſt.

CLODOVÆI FRANCORVM REGIS Gesta.

Dagoberto Patre defuncto, Neustriæ, (nunc Franciæ) & Burgundiæ regimen sumpsit, sub tutela tamen Nanthildis matris; cui, tertia paternæ suppellectilis parte concessa, reliquam cum fratre Sigiberto diuisit, Anno Christi sexcentesimo quadragesimo septimo, Constantis Imperatoris sexto, plurimorumque facultates, contra ius, vindicatas, & ad fiscum delatas, Ægæ Principis consilio, restitui iussit, *vt vult Gaguinus, & Paulus Æmilius.*

Aureliam Burgundiæ caput profectus est, Anno Christi sexcentesimo quinquagesimo, Constantis Imperatoris nono; vbi Floacato viro clarissimo, Burgundiæ præfectura aucto, Nanthildis neptem, Ragnobertam nomine, collocauit. *Fredegarius, & Aimoinus.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Osuuinus Northumbriæ Rex, Osualdo in acie, à Penda Merciorum Rege interfecto, omnibus acclamantibus, salutatus fuit, Anno Christi sexcentesimo quadragesimo secundo, Constantis Imperatoris primo. *Beda, & Polydorus.*

Mauritius Chartularius, res Imperij toto oriente affectas, intuitus, Tyrannidem Romæ arripuit; armaque in Isacium Italiæ Exarchum, Rauennæ commorantem, vertit, Anno Christi sexcentesimo quadragesimo tertio, Constantis Imperatoris secundo. *Anastasio Auctore.*

Flauius Chindasuinthus, Tulga Visigothorum Rege in Hispania, morbo Toleti absumpto, Imperium vi occupauit, eodem Christi anno; inaugurationisque vitium, vitæ probitate, prudentia, atque constantia, compensare studuit. Fama est, immo antiqua ipsa monumenta testantur, eum omnem opem, ad Hispaniam litteris illustrandam contulisse, curamque Taio Cæsar-augustano Episcopo demandasse. Parta

ſiquidem pace, & profligata impietate, nulla re magis florere poteſt Reſpublica, quam ſapientiæ ſtudijs, ac Religionis pietate. Porro Regnum, quod armis inuaſerat, hæreditarium familiæ ſuæ fecit, Flauium filium Receeſuinthum in conſortem Imperij, ſub extremam ætatem adſciſcens. *Chronicon Hiſpaniæ.*

Plato Hæreticus, Iſacio Italiæ Exarcho demortuo, Exarchatus præfectura donatus fuit ſub idem tempus; *vt aſſerit Martinus Papa Epiſtola 16.*

Sigibertus Orientalium Anglorum Rex inſigni pietate illuſtris, exuta purpura, rerum ſummam Egrico cognato ſuo detulit, Anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo quarto, Conſtantis Imperatoris tertio; tum Religionis vitæ genus eligens in cænobium ſeſe abdidit. *Beda, & Polydorus, & alij.* Proximo Hoamen Sarracenorum Princeps ſalutatus fuit, Haumaro, à quodam Perſa cæſo. *Theophanes.*

Ferquhardus, Ferquhardi primi filius, Scotiæ Rex, Donaldo quarto ſublato, ſceptrum ſumpſit, Anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo ſexto, Conſtantis Imperatoris quinto. Hic ipſo principatus initio, animum ab omni virtute abduxit, vitamque adeo infamem, grauibuſque ſceleribus deformatam egit; vt Regni totius Proceres, de alio Cæſare eligendo, conſilium inierint. *Leſlæus de rebus Scoticis, & alij.*

Gregorius Romanorum Dux celeberrimus Africæ præerat, totumque plagæ illius tractum fortiter contra hoſtium incurſus tuebatur, à Sarracenis tamen expulſus fuit, anno ſequenti.

Salomon, Patre, minoris Britanniæ Regulo; extincto, rerum adminiſtrationem, Iadoco fratre maiore natu id expetente, ſuſcepit, Anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo, Conſtantis Imperatoris ſexto.

Sigibertus Dagoberti filius, Auſtraſianis opibus fouendis, Tranſrhenaniſque prouincijs in fide, officioque continendis, atque ab hoſte tutandis, vehementer ſtuduit, Galliamque Clodouæo fratri minori conceſſit. *Paulus Æmilius.*

Æga fumoſis imaginibus illuſtris, & ſapientia, atque æquitate præſtans, Palatij Præfectus conſtitutus fuit à Clodouæo Rege, rerumque cura illi demandata ſub idem tempus. *Fredegarius.*

Olympius Hæreticus, Platoni, Italiæ Exarcho successit, Anno Christi sexcentesimo quadragesimo octauo, Constantis Imperatoris septimo. Proximo vero Romam missus, Martino summo Pontifici, qui Imperatoris edictum noui dogmatis damnarat, infesto animo aduersatus est; sed frustra; coactus siquidem fuit fasces submittere, sibique Pontificem conciliare, ac fœdus cum ipso inire. Dein in Siciliam, cum ingenti exercitu, aduersus Sarracenos properanter se conferre. *Ita Anastasius.*

Reccesuinthus Chindasuinti Hispaniæ Regis filius, ab ipso antea in consortem Imperij assumptus, patre mortuo, rem administrabat. *Rodericus Toletanus.* Theodorus Calliopa Italiæ Exarchus creatus ab Imperatore, Martinum summum Pontificem vi captum, Constantinopolim maturatè deuehi curauit. *De ijs fuse Anastasius.*

Ercembaldus per Dagoberti Regis matrem, Clodouæo coniunctus, in Ægæ magistri equitum, iam defuncti locum, suffectus fuit. Grimoaldus vero Pipini filius, paternis opibus, & Palatij cura in Austrasia auctus, eodem Christi Anno sexcentesimo quadragesimo nono, Constantis Imperatoris octauo; sequenti autem Flaucatus, seu Floacatus Burgundiæ præfectura donatus fuit. Radulphus denique Thuringiæ Dux, crebrisque victorijs inclytus, noua in Sigibertum Austrasiæ Regem molitus est. *Fredegarius.*

VIRI ERVDITI.

Rhotaris Longobardorum Princeps ingenio eximio, litterisque apprime exculto, leges, quæ sola memoria, vsque hactenus obseruata fuerant, in certum ordinem redegit, Codicemque, Iustiniani æmulus, vocari præcepit. *Paulus Diaconus.*

Hildefonsus Episcopus Toletanus, vir vtraque lingua peritissimus, scripsit opusculum de viris illustribus; Epistolarum librum vnum; Epitaphia varia, & Epigrammata, aliaque permulta opera pia quæ habes in sacra mea Historia.

Bonlanius Britannici sanguinis proles, in Northumbria natus, & in Insula Vectæ à puerilibus annis educatus; Historicus

non vulgaris, & Geometriæ ſtudijs illuſtris, Nutritiam Inſulam, Ptolemæum, Pliniumque imitatus accurate deſcripſit; librum item vnum Annotationum in Nennium compoſuit; alium vero de rebus geſtis Arthuri apud Scotos, & Itinerarium. *Pithæus.*

NATALITIA AVGVSTA.

Clodouæus Princeps natus eſt Dagoberto Francorum Regi ex Nanthilde Regina, Anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo tertio, Conſtantis Imperatoris ſecundo. *Ita Fredegarius.*

OBITVS ILLVSTRES.

Haumarus Sarracenorum Rex templum Hieroſolymitanum, cruce è ſummo Oliueti montis vertice deturbata, vt tantum opus ſubſiſteret, magnis ſumptibus reſtaurare cæpit, Anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo tertio. *Græcorum Annales.*

CALAMITATES.

Magna ſolis defectio, cum ingenti, funeſtaque hominum ſtrage, contigit, Anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo quarto, Conſtantis Imperatoris tertio. *Cedrenus, & Theophanes.*

Anno vero ſexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo, Conſtantis Imperatoris ſexto, tempeſtas adeo vehemens, ventorumque procella ita terris incubuit, vt prægrandes quaſque arbores, ac ſtupendas columnas funditus euerterit. *Auctor citatus.*

RES BELLICÆ.

Oſualdus Northumbriæ Rex, iuſta ira, in Pendam Merciorum Principem, omnia ferro ac ſanguine funeſtantem, accenſus, validiſſimum duxit exercitum. Verum Barbarorum vndique inſidijs circumuentus, totis viribus dimicans occubuit, Anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo ſecundo, Conſtantis Imperatoris primo. *Beda, Polydorus, & alij.*

Chadonius Dux, bellicis artibus peritiſſimus, in Vaſcones

rebellantes à Rege Dagoberto missus, Anno Christi sexcentesimo quadragesimo quinto, feroces breui, ingenti clade, perdomuit. Hi primo imperium acceperunt; mox tamen orta, ex rebus initio lætis, nostrorum incuria, (res enim secundæ sæpe negligentiam creant) Arimbertum Ducem incautum, & ab exercitu sciunctum adorti, ex improuiso oppresserunt. Tum iunctis copijs itum est in contumaces, qui ortam ex imperito vulgo, non fraude publica, rebellionem causantes, veniam erroris à Dagoberto Principe, iuste irato deprecati sunt. *Fredegarius & alij.*

Biennio post Sarraceni Africam inuasere, Gregoriumque ex Prætore Tyrannum, acie victum, in fugam vertere; moxque toti prouinciæ tributo imposito recessere, *vt refert Theophanes.* Romani autem exercitus strages magna fuit, ac ferme ea ætate, nulla maior. *Theophanes.*

Rhotaris Longobardorum Rex, acriter eodem Christi Anno sexcentesimo quadragesimo septimo, Constantis Imperatoris sexto, contra Italiæ Exarchum, ad Scultennam fluuium, in Mutinensi agro, prospere depugnauit, desiderata enim sunt Exarchanorum septem millia; totaque potitus est Liguria. *Blondus, & alij.*

Anno proximo Mahuuias Sarracenorum Princeps Cyprum fœdè depopulatus est, Constantiamque nobilem huius Insulæ vrbem, expugnauit, soloque æquauit.

Porro Cyprus, mediterranei maris Insula, notissima est, inter Ciliciam, & Syriam sita, diues, & luxui maxime dedita, ideo Veneri sacra. Varias autem habuit olim appellationes. Fuit siquidem, vt vult Plinius, Acamantis nominata, Aspelia, Cerastis, Amathus, Macaria, Crypsus, Colonia Sphecia, vt placet Eustathio; Meionis, vt Stephano; Ærosa, vt Festo, quod in ea multum æris nasceretur; Cithea, vt Cyrillo; Paphus, vt Honorio; Chitis apud Hebræos, vt Zieglero; Chetima, vt Iosepho; Ophiusa, vt Ouidio, 10. Metamonphoseor; Curopalates vero, de Officialibus Constantinopolitanis, Iustinianam secundam appellauit. Eius vero præcipuæ vrbes sunt, Cythera, Paphos, Palepaphos, Salamina vel Salamis, à Teucro condita, postea Constantia dicta, vt scribit Stephanus, à Iudæis Traiano imperante deleta, interfectis omnibus accolis, vt tradit D.

Hieronymus; nunc autem à Sarracenis capta, funditusque direpta, vt asserit Eusebius in præparatione Euangelij. Denique Cyprus à Septentrione Ciliciam spectat; à Meridie Ægyptum; ab Oriente Syriam, & ab Occidente Pamphiliam; Eius ambitus trium millium quadringentorum, & viginti stadiorum. *Auctore Strabone lib.* 12.

Olympius Italiæ Exarchus, in Sarracenos Siciliam, varijs incursionibus deprædantes, magno cum exercitu profectus est, Anno Christi sexcentesimo quadragesimo nono, Constantis Imperatoris octauo.

Rodulphus, Thuringiæ præfectus, inito, anno sequenti, cum Vinidis, vt vocant, alijsque inferioris Germaniæ populis, fœdere; Austrasiam omnem, Regemque Sigibertum grauissimo bello implicauit, nec prius confectum fuit, quam Thuringia, excusso seruitutis iugo, in libertatem se asseruisset. Vt autem adiri se hostis prius videret, & premi, quàm parari copias audiret; Rex non expectari Thuringios, sed occupari oportere ratus, Rhenum, succinctus validissimis copijs, incredibili celeritate transgressus, bellum inferre, quàm habere maluit. Læta satis, & prospera Francis, belli initia affulsere, claro iam orbis experimento; primũ Francorum impetum maiorem, quàm virorum esse, sequentes vero sensim fatiscere. Igitur, vt belli tractu, Sigiberti copias frangeret Rodulphus, commeatu omni, in munitissima castra importato, cum delecta Thuringiorum iuuentute, in arce natura, & hominum arte firmata, sese continebat; a Rege obsessus, & pressus, prope de vltimis dimicabat, cum rei gerendæ occasionem nactus, facta irruptione, tam fœliciter Francos aggressus est, vt à paucis quidem, sed desperatis, ingentes copiæ fusæ sint, solutaque obsidio. Sigibertus autem amissâ Thuringiâ dolore consternatus, ad extrema vitæ, redactus fuit, *vt referunt scriptores Gallici.*

REI INSIGNES.

Pyrrhus Constantinopolitanus Episcopus in suspicionem coniurationis adductus, de propinato Veneno Constantino Imperatori, in Africam quæ ab Augusto defecerat profectus, Anno Christi sexcentesimo quadragesimo secundo, Constan-

tis Imperatoris primo, saluti suæ, fuga consuluit; *vt asserit Nicephorus.*

Mauritius Chartularius, Ecclesiæ Lateranensis expilator, noua Romæ moliens, Isacij Italiæ Exarchi iussu captus, securi priusquam Rauennam, quò ducebatur, perueniret, percussus fuit, Anno Christi sexcentesimo quadragesimo tertio, Constantis Imperatoris secundo. *Anastasius.*

OBITVS ILLVSTRES.

Osualdus Northumbriæ Rex, pietatis gloria insignis, à Penda Merciorum Rege crudelissimo, in acie cæsus fuit, discerptusque, Anno Christi sexcentesimo quadragesimo secundo, Constantis Imperatoris primo, de quo ita Poëta Christianissimus.

Cuius, & abscissum caput, abscissosque lacertos
Et tribus affixos palis, pendere cruentus
Penda iubet, per quod, reliquis exempla relinquat
Terroris manifesta sui.

Isacius Italiæ Exarchus, breui post Mauritij Chartularij cædem, misere perijt, Anno Christi sexcentesimo quadragesimo sexto; ad cuius sepulchrum Susanna vxor, viri amantissima, hocce Epitaphium Græce inscribi curauit.

Ἐνταῦθα κεῖται ὁ στρατηγήσας καλῶς;
Ῥώμην ἀβλαβῆ φυλάξας, καὶ τὴν δύσιν,
Τοῖς γαληνοῖς δεσπόταις τρὶς ἓξ ἐνιαυτοῖς
Ἰσαάκιος, τῶν βασιλέων, ὁ σύμμαχος,
Ὁ τῆς ἁπάσης Ἀρμενίας ὄσμος μέγας.
Ἀρμένιος γὰρ ἦν οὗτος, ἐκ λαμπροῦ γένους.
Τούτου θανόντος εὐκλεῶς ἡ σύμβιος
Σωσάννα σώφρων, τρυγόνος τρόπῳ σεμνῶς,
Πικρῶς στενάζει, τοῦ ἀνδρὸς ἐστερημένη,
Ἀνδρὸς λαβόντος ἐκ καμάτων εὐδοξίαν
Ἐν ταῖς ἀνατολαῖς ἡλίου, καὶ τῇ δύσει,
Στρατοῦ γὰρ ἦρξε τῆς δύσεως, καὶ τῆς ἕω.

Idem latinitate donatum, sic habeto;

Hic iacet, qui rei bellicæ Ducem egit rectè,

Romam

Romam incolumem tutatus est, & occidentem,
Tranquillis principibus ter sex annis
Isaacus Regum commilito.
Omnis Armeniæ ornamentum magnum,
Armenius enim erat hic, & illustris genere.
Hoc mortuo gloriose, coniux
Susanna prudens, more castæ turturis,
Assiduè gemit viro priuatæ,
Viro, qui sortitus est ex laboribus gloriam,
In oriente solis, & in occidente;
Exercitum enim duxit occidentis, &
Orientis.

Vt refert Hieornymus Rubeius lib. 4. Historiæ Rauennatum.

Triennio post, Donaldus Scotorum Rex Pisces è naui piscatoria, Taio in lacu captare expetens, submersus fuit. *Lesleo teste de rebus Scoticis.*

Anno vero Christi sexcentesimo quadragesimo septimo, Constantis Imperatoris sexto, Regulus Britanniæ minoris interijt. Sequenti autem Plato Patricius, Italiæ Exarchus supremum vitæ suæ expleuit diem, *vt constat ex actis publicis quæ S. Martinus refert in suis Epistolis.*

Chinda Suinthus Visigothorum Rex in Hispania, Toleti morbo, vel vt alij volunt veneno sublatus fuit, Anno Christi sexcentesimo quadragesimo nono, Constantis Imperatoris octauo. *Rodericus Toletanus.*

Æga Clodouæi Regis Maior domus, & Rector sapientissimus decessit eodem anno. Pipinus insuper, quem morum probitas, & ex multarum rerum tractatione, atque vsu collecta prudentia, multum apud omnes Sigiberti Regis aulæ proceres commendarant, fatis concessit.

Adde Nanthildem Dagoberti Francorum Regis vxorem charissimam, & Clodouæi Principis matrem: Olympium denique Italiæ Exarchum; sub idem tempus demortuum. *Ita Anastasius, & Fredegarius.*

DECAS SEXTA.

CONSTANTIS IMPERATORIS Gesta.

INgentes contra Sarracenos, qui Romanorum agrum, Insulasque hostili agmine infestabant, copias collegit, Anno Christi sexcentesimo quinquagesimo quarto, Principatus decimo tertio; Phœnicemque Lyciæ portum, magnis itineribus profectus est. Verum cum pridie antequam pugna committeretur, se Thessalonicæ esse somniasset, cruentam illi imminere Thessalonicæ stragem, coniector aliquis prædixit, subdiditque θὲς ἄλλῳ νίκην. Quod tamen Augusti animum imperterritum nullo modo commouit. *Theophane teste.*

Biennio post, summos aliquos viros, ad Maximum apud Thraciam, exulantem, vt illum, ad Monothelitarum Hæresim traducerent, incassum misit. Anno autem sexcentesimo quinquagesimo nono, scelerum furijs agitatus, Theodosium fratrem suum, quem antea Diaconum fieri compulerat, eiusque ministerio, Christi sanguinem hauserat, crudeliter interemit; sacrilegium parricidio iungens. Verum Deo, tantum crimen vlciscente, demortui manes sese in illius conspectum per quietem identidem dedere, poculumque sanguine plenum propinantes, in hæc erupere verba, BIBE FRATER; quibus perterritus, & omnibus exosus, Siciliam meditatus est. *Auctor citatus.*

CLODOVÆI FRANCORVM REGIS Gesta.

Ildeberto Austrasiæ Rege deuicto, Childericum filium suum

Austrasianis imposuit, Anno Christi sexcentesimo quinquagesimo septimo, Constantis Imperatoris sexto; *vt testantur Annales.*

Anno vero sexcentesimo sexagesimo, grassante fame, per vniuersum Galliæ orbem, aurum, argentumque, quo Dagobertus illius pater S. Dionysij, Rustici, & Eleutherij ædem splendide exornarat, pauperibus in summa annonæ penuria, succurrendi causa, auferri iussit. *Aimoinus lib. 4.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Annas, Egrico Anglorum Orientalium Rege in bello cæso, ab omnibus proceribus salutatus fuit, Anno Christi sexcentesimo quinquagesimo secundo. *Polydorus, & alij.*

Osuuius Northumbriæ Rex Alcfledam filiam suam, Pendæ, senioris Pendæ Merciorum Regis filio, Christianis Mysterijs initiato, & ad omnia præclara quæque, atque illustria nato, in vxorem dedit, Anno Christi sexcentesimo quinquagesimo tertio, Constantis Imperatoris duodecimo. Biennio post, Penda, illius patre, interfecto, Marciorumque Regno iure belli adepto, Australem Merciæ partem, dotis nomine, ei concessit. *Beda, & Polydorus.*

Mahuuias Sarracenorum Princeps Colossum Rhodium, terræ-motu, anno sexto, & quinquagesimo, quo erectum fuerat, disiectum, Iudæo cuidam Emisseno, qui nongentos camelos, ex eius ære, onerauit, expugnata vrbe, vendidit sub idem tempus, Anno vero sexcentesimo quinquagesimo octauo, Constantis Imperatoris decimo septimo, suorum impulsus seditione, legatos de pace misit ad Imperatorem, milleque nummos in dies, daturum se, tributi nomine, spopondit, Equum insuper, & seruum. *Theophanes, & alij.* Proximo autem, Hali, Mahometis patre, æmulo suo, nece sublato, solus imperauit. *Leo Africanus lib. 3.*

Cæterum colossus Rhodius, ab antiquis toties decantatus, & inter septem miracula celebratus, tantæ fuit magnitudinis, *teste Plinio lib. 34. cap. 7.* vt diuaricatis cruribus, nauibus portum

ingredientibus, aditum præberet; altitudinis vero centum viginti pedum; illius pollicem pauci complecti poterant; digiti maiores quam pleræque statuæ. Vasti specus, difractis membris, magnæque molis saxa intus spectabantur, quorum pondere Chares ingeniosus artifex, qui eum duodecim annorum spatio, trecentorum talentorum impensis, confecerat, tantum opus librarat. Mutianus ter consulum insignibus donatus, septuaginta signorum millia Rhodi fuisse prodidit. At Plinius centum tantum Colossos, eandem vrbem habuisse asserit.

Sigebertus Austrasiæ Rex, vir pietate summus, æquitate venerandus, & benignitate illustris, omni prole priuatus, Ildebertum Grimoaldi Maioris domus filium, in suum adsciuit. Haud multo post tamen Dagobertus illi natus est, *vt referunt Annales.*

Suthelinus, Sigeberto cognomento paruo, Suardi filio, & Orientalium Saxonum Rege enecato, regiam purpuram omnium suffragijs induit, Anno Christi sexcentesimo quinquagesimo quinto, Constantis Imperatoris decimo quarto. *Polydorus, & alij.*

Frequhardus Scotiæ Rex, Tyrannum agens, suos indignis vexauit modis, immo ipsam vxorem crudeliter interfecit; filiæ vero suæ, stuprum, proh scelus, intulit, *vt testatur Leslæus.*

Grimoaldus, Ildebertum filium suum, mortuo Sigiberto Austrasiæ Rege, qui eum, desperata prole, antequam Dagobertum suscepisset, in suum assumpserat, Regem acclamauit, illiusque causam, non adoptionis modo iure, sed armis tutatus est. Dagobertum vero quem Sigebertus pater, illi summe commendarat, attonsum, in Scotiam, ad amicos ablegauit, Anno Christi sexcentesimo, quinquagesimo septimo, Constantis Imperatoris decimo sexto. *Paulus Æmilius.*

Clodouæus Francorum Rex, audito nuntio de morte Sigeberti fratris sui, arma in Ildebertum, nouum Austrasiæ Regem feliciter vertit. Eoque, vt volunt aliqui, cæso, Patreque illius Grimoaldo capto, perpetuoque carcere, Lutetiæ, damnato, filium suum Childericum in Austrasianorum Regem solemni inaugurauit. *Auctor citatus.*

Angesisus S. Arnulphi filius, Brabantiæ principatus infulis,

vna cum Begga vxore sua, & Grimoaldi Maioris domus Sigiberti Principis, ornatus fuit, eodem Christi Anno sexcentesimo quinquagesimo septimo. *Franciscus Harceus.*

Aripertus filius, Gundebaldi, qui fuerat germanus Theodelindæ Reginæ, *vt scribit Paulus Diaconus lib.* 4. Rodoaldo Longobardorum Rege nece erepto, rei administrationem suscepit, Anno Christi sexcentesimo quinquagesimo nono, Constantis Imperatoris decimo octauo. Valferus denique, Penda Merciorum Rege defuncto, Reipublicæ gubernacula sumpsit eodem anno. *Polydorus, & alij.*

VIRI ERVDITI.

Theodatus Frithona, nobili loco, apud Anglos Vicesaxones, natus, varia contexuit opera. *De eo fuse Beda.*

Guillielmus Malmesberiensis; Geruasius Dorobernensis; Ioannes Lelandus; Theorus Anglorum Archiepiscopus; Damianus Pupilensis; Mansuetus Mediolanensis, Episcopi, & Seuerinus Agabunensis Abbas, doctrina plurimum valuere hoc tempore.

CALAMITATES.

Fames tanta atrocitate in Gallos debacchata est, Anno Christi sexcentesimo sexagesimo, Constantis Imperatoris decimo nono, vt ingentes vtriusque sexus, atque ætatis, strages ediderit. *Auctore Aimoino lib. 4. cap.* 41.

RES BELLICÆ.

Sigebertus, non à multis annis Orientalium Anglorum Rex, nunc vero solemni voto, Deo addictus, vitamque sanctitate mirabili illustrem agens, audito nuntio, de euastationibus, cædibus atque incendijs, quibus Penda Merciorum Rex, vniuersas Regni sui quondam, nunc autem Egrici cognati Prouincias, identidem defœdabat, concessa ab ijs, qui cœnobio præerant facultate, arma sumpsit, in hostem ruit, acriterque contra eum, sed infelici exitu dimicauit, Anno Christi sexcentesimo quinquagesimo secundo; Constantis

Imperatoris vndecimo, *vt vult Polydorus.*

Sarraceni victricibus suis armis Romanum Imperium grauiter afflixerunt, Anno Christi sexcentesimo quinquagesimo tertio, Constantis Imperatoris duodecimo. Rhodo enim expugnata, per Ægæum delati, Cycladas magna strage funestarunt. Dein in Siciliam prouecti, littoralem oram deprædati sunt; moxque Mediterraneæ peruagati, ferro, igne, varijsque incursionibus Insulam nobilissimam euastarunt. Ad hæc adde, Armeniam ab ijs longa populatione deformatam.

Mahuuias Sarracenorum Dux, regiæ vrbis obsidionem moliens, ingentem classem apud Tripolim Lyciæ ciuitatem construi iussit, illius tamen conatus, duorum fratrum, animi magnitudine, præstantium opera, irritus fuit. Hi enim tanto, rei bellicæ apparatu, commoti; diuinoque impulsi numine, carceribus, in quibus Christianorum vis maxima detinebatur, effractis, repentino impetu, in hostiles copias irruerunt, quas partim cæcidere, partim in fugam vertere, earumque naues voracibus consumpsere flammis. Hac nihilominus clade, nullo modo perterritus Mahuuias, aliam longe maiorem classem comparauit; quæ secundo flumine Phœnicem, Lybiæ portum attigit, Constantemque Imperatorem, qui eo peruenerat, aggressus, tantam Romanorum stragem, nauali prætio edidit, vt eorum effuso sanguine mare, ad omnium horrorem, cruentarit, vixque Imperator, regijs exutus insignibus, vilique indutus veste, euaserit, Byzantiumque appulerit. *Theophane teste, qui hæc fusè descripsit.*

Osuuius Northumbriæ Rex, bellum in Pendam, Regnum suum, varijs cladibus diripientem, fœdusque omne renuentem, Christo Duce, & auspice, cui filiam suam sanctissime vouerat, si hostem Imperij, ac Christianæ Religionis debellaret, suscepit; eumque copijs licet longe minoribus adortus, tam fortiter depugnauit, vt primo etiam impetu, terga vertere coëgerit, summaque celeritate insecutus cæciderit, immo totum pene exercitum deleuerit, Anno Christi sexcentesimo quinquagesimo quinto. *Beda lib. 3. Polydorus, & alij.*

Mahuuias, Hali æmulo suo intercempto, ruptoque cum Romanis fœdere inito, bellum iterum in eos, tum etiam in

Persas collectis vndique copijs, intulit; *vt refert Zonaras, & Leo Africanus.*

OBITVS ILLVSTRES.

Osuinus Deiræ Rex, magnis virtutibus illustris, ab exercitu quem in Osuuium Berniciæ Principem collegerat, nocte se subducens, amici cuiusdam, ad quem confugerat dolo proditus, præmatura morte perijt, Anno Christi sexcentesimo quinquagesimo primo, Constantis Imperatoris decimo. *Polydorus, & Beda.*

Sigebertus, & Ægricus ipsius cognatus, ad Northumbriæ Rex, in acie à Penda Merciorum Principe cæsi occubuere, Anno Christi sexcentesimo quinquagesimo secundo, Constantis Imperatoris vndecimo. *Auctores citati.*


Sigebertus cognomento paruus, Seuardi filius, & Orientalium Saxonum Rex, domi à suis, quod Christi æmulus, hostibus aliquando pepercisset, interemptus fuit, Anno Christi sexcentesimo quinquagesimo quinto. *Polydorus lib.* 4.

Penda Merciorum Rex, Christianæque Religionis hostis infensissimus, medios inter inimicorum cuneos, acriter deprælians, ab Osuuio Northumbriæ Rege, Deo vlciscente, cæsus fuit, eodem Christi anno, *vt testatur Beda lib.* 3.

Sigibertus Austrasiæ Rex illiusque gentis deliciæ maximæ, vita functus est, Anno Christi sexcentesimo quinquagesimo septimo, Constantis Imperatoris decimo sexto, tot autem miraculis clarus, vt inter diuos adscribi, solemnique ritu, Kalendis Februarij, coli meruerit, *vt habetur ex Molano.*

Biennio post Theodosius Constantis Imperatoris frater, diuino addictus numini, ab eodem Augusto, crudeli nece extinctus fuit: *Theophane teste.*

Rodoaldus Longobardorum Rex, è viuis à Longobardo homine, cuius vxorem adulterio polluerat, sub idem tempus ereptus fuit. *Ita Paulus Diaconus lib.* 4.



DECAS SEPTIMA.

CONSTANTIS IMPERATORIS Gesta, & Obitus.



Ellum in Longobardos ſuſcepturus, Conſtantinum filium ſuum, Imperij omnium votis conſortem fecit, Anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo tertio, principatus vigeſimo ſecundo. Mox Romam cum viginti lectiſſimorum equitum millibus, quibus Saburrus Neapolitanus præerat, venienti, Vitellianus ſummus Pontifex magno ſacerdotum agmine, ac populo Romano ſtipatus, obuiam proceſſit. Tum vrbem ingreſſus auguſtiſſima templa, eorumque magnificentiſſimum apparatum, quinque dierum ſpatio accuratiſſimè perluſtrauit. Breui tamen poſt, quaſi vi captam ciuitatem deprædatus eſt. Signa ſiquidem aurea, argentea, ærea, marmorea, aliaque præclara antiqui operis monumenta, tanto furore abſtulit, vt ne tegulis quidem, quibus Pantheon, Agrippæ templum celeberrimum, opertum erat, pepercerit; pluſque ornamentorum, quam Barbari, ducentorum quinquaginta octo annorum interuallo, ſolus ſubſtraxerit. Tot enim intercurrerant, vt volunt aliqui, à prima Imperij inclinatione, ad luctuoſam illam cladem, quam Romanorum compilator verius, quam Imperator, toti vrbi intulit. Dein hiſce depopulationibus vrbe deformata, duodecimo quo venerat die, Roma egreſſus, Neapolim redijt.

Sequenti vero Anno, Chriſti ſcilicet ſexcenteſimo ſexageſimo quarto, principatus ſui decimo tertio, in Siciliam tranſijt, ſubſtititque Syracuſis, vbi Imperij ſedem conſtituere decreuerat; factaque cum Sarracenis conuentione, Damaſcum illis, Syriamque conceſſit.

Ex

Ex Italiæ denique vrbibus, Insulis, atque prouincijs, tributum adeo seuere exegit, vt multi non solum fortunis spoliati fuerint, sed, proh scelus, liberis etiam, & vxoribus; aspere item Calabriam, Africam, Sardiniamque vexauit. Quare, triennio amplius, quo Syracusis, molliter, ac libidinose versatus fuit, in balneo, siue illius vapore, siue vt alij volunt, ab Andrea quodam Trioli filio, illata vi, perijt, Anno Christi sexcentesimo sexagesimo octauo. *Ita Anastasius, & Theophanes. Paulus tamen Diaconus*, refert illius obitum ad annum proximum.

ICON

CONSTANTIS IMPERATORIS

Constans Constantini ex Gregoria filius, & Heraclij senioris nepos, ad Imperium solo admittente senatu, euectus, Religionis cultu, aui, quam patris similis esse maluit. Fuit enim Monothelita, cum ipsius pater sacra fidei Christianæ mysteria impense coleret. Martinum summum Pontificem sibi aduersantem, in Ponti Insulam deportari iussit. Quo scelere offensus Deus, Imperium, Sarracenorum armis lacerari permisit. Filio vero suo Constantino in consortem assumpto, exercituque in Italiam transmisso, cum Longobardis nihilo secundiore marte, in agro Beneuentano pugnauit. Ea clade succensus, Romam expilauit; dixissesque eum, non pietatis, sed prædæ causa, vrbem petijsset. Mox in Siciliam prouectus, Syracusis commoratus est, vbi tandem omnibus exosus, à suis extinctus fuit. Nullum siquidem Imperium aut tutum esse, aut diuturnum potest, nisi beneuolentia sit munitum.

CONSTANTINI POGONATI Imperatoris Gesta.

Constante patre sublato, rerum summa ei delata fuit, Anno Christi sexcentesimo sexagesimo octauo, certiorque factus de Mazentio quodam Armeno nouo Augusto, in Sicilia, ab exercitu creato, eò confestim aduolauit; vbi Tyrannum, necisque paternæ conscios fœliciter oppressit. Tum omnibus

Imperij orientalis rebus pacatis, Constantinopolim repetijt, Tiberiumque, & Heraclium fratres, regijs ornauit insignibus, quamquam eos, postea, Imperium affectantes deiecerit. *Ita Theophanes, & Cedrenus.* Dictus autem fuit Pogonatus, quia cum imberbis Byzantio soluisset, barbatus in vrbem redierit.

CLODOVÆI FRANCORVM REGIS Gesta, & Obitus.

Celeberrimum S. Dionysij, & Sociorum martyrum cœnobium, quod Dagobertus, duobus à Lutetia milliaribus, magnis sumptibus extruxerat, ab Episcoporum omnium iurisdictione, Landerico Parisiorum Præsule assentiente, immune esse voluit, Anno Christi sexcentesimo sexagesimo secundo, Constantis Imperatoris vigesimo primo; Editaque fuit ea de re sanctio, decimo Kalendas Iulij, Anno ipsius principatus decimo sexto. *Aimoinus lib.* 3.

Biennio post Clotario, Childerico, & Theodorico filijs relictis, obijt; & cum eo Regum simul gloria, inclytaque Merouingiorum propago degener deinceps in dies facta. Regibus enim socordiæ, ac luxuriæ, fœde se mancipantibus, Imperij Francorum maiestas penitus concidit. Et vero quantum maiores gloria, & finium propugnatione ducebantur; tantum hi & curarum remissione, & voluptatum illecebris fœlicitatem suam metiebantur; sepulti insuper, ac immersi delicijs, regium splendorem decusque in probrum conuertebant.

Cæterum Kalendis tantum Maij in publicum prodibant, quasi Persarum Reges, apud quos, persona Regis sub specie maiestatis occulitur, nullo publico, aut regio, ne dum virorum, inter Scortorum fœdissimos, spurcissimosque greges, munere functi, summam rerum ab se, vt grauem, & molestam in Magistros equitum, Palatijque Præfectos reijciebant. Donec Pipinus cognomento breuis, animo, & manu strenuus, factione potens, gratusque omnibus, Childerico segnium Regum vltimo abdicato, regiam dignitatem in antiquum splendorem, formamque restituit.

Quare cum in tanta principum socordia, natiui omnes re-

giarum virtutum colores, ad eos regie, & ad populi applausum expingendos, desiderentur; nullas etiam illorum Icones, ad illud vsque tempus, proferam; sed tantum breuiter, pro more, illorum Imperij exordia, obitusque attingam.

ICON

CLODOVÆI FRANCORVM REGIS.

Clodouæus Dagoberti filius Francorum rex annos decem & octo administrauit, nulla alia re magis memorabilis, quàm singulari benignitate, & munificentia in pauperes. Desæuiente siquidem fame, aurum, argentumque, quo pater illius S. Dionysij, Rustici, & Eleutherij sepulchra impense ornarat, abradi curauit, pieque ijs, quos res asperæ diuexabant, ob summam annonæ inopiam, viritim distribui iussit. Vtinam sic Reges populum, egestate magna oppressum subleuarent. Maiorem certe nullam crediderim principum fœlicitatem, quam publicæ subuenire inopiæ.

CLOTARII FRANCORVM REGIS *Gesta, & Obitus.*

Clodouæi patre defuncto, Regni gubernacula, sub Bathildis matris tutela, (vix enim ille pueritiam exuerat) sumpsit, Anno Christi sexcentesimo sexagesimo quarto, Constantis Imperatoris vigesimo tertio. Verum quarto ipsius principatus anno, Constantini Pogonati primo, ardenti febre æstuans, vita functus est. *Gregorius Turonensis.*

THEODORICI FRANCORVM REGIS *Gesta, & ad Cœnobium ablegatio.*

Clotario demortuo, Rex ab Ebroino viro potentissimo, & Palatij præfecto salutatus fuit, illius tamen Regnum haud diuturnum; ipsum enim haud multo post, Franciæ proceres, quod Ebroino hosti infensissimo, & ad sanguinem nato, supremam illam dignitatem, qua antea auctus fuerat, & cuius ope atrocem

in omnes carnificinam exercuerat, prorogasset, è solio deiectum, detonsumque, in S. Dionysij monasterio, exuta purpura incluserunt; Ebroinum vero, in Luxouiensi, *vt scribit Fredegarius.*

CHILDERICI FRANCORVM REGIS Gesta.

Ex Austrasia vbi præerat, abdicato Theodorico fratre, euocatus, ingenti omnium assensu Regnum inijt, Anno Christi sexcentesimo sexagesimo octauo, magnaque expectatione, spem de se conceptam fefellit, superbe, seuereque imperans.

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Grimoaldus Beneuentanus Dux, Ariperto sublato, Longobardorum Rex inauguratus fuit, Anno Christi sexcentesimo sexagesimo tertio, Constantini Imperatoris vigesimo secundo, indictione sexta, vt patet ex eius edicto, dato anno sexto ipsius principatus, indictione vndecima.

Lupus Foroiuliensis Dux, noua moliens, Ducatum occupauit; illi vero ab Auaribus extincto, Anefrides, seu Varnefrides filius successit; Sclauosque in Foroiulienses armauit. In eius locum breui post subrogatus Victaris qui Sclauos fortiter perdomuit; *vt vult Paulus Diaconus.* Romoaldus sub idem tempus, Grimoaldi filius Beneuentanos contra hostiles Constantis Imperatoris impetus, acriter tutatus est.

Molduinus Donaldi quarti filius, Frequhardo Scotiæ Rege defuncto, rebus præficitur. *Hector Boëtius, & Leslæus.* Adulphus autem Orientalibus imperabat; *vt asserit Beda.*

Ebroinus vir crudelitate famosus, Erchenualdo Palatij præfecto demortuo, eodem Christi Anno sexcentesimo sexagesimo quarto, eadem præfectura donatus est. Quo ex tempore, solutis tantum in luxum, & inertiam Regibus, ad aulæ Magistros rerum summa transmissa fuit, totaque Reipublicæ cura, & Imperij ius. Penes eos siquidem erat, & principum

legationes audire, & responsa, inconsultis Regibus, reddere, & fœdera ciere, & omnia ad arbitrium regere; Reges enim solo contenti nomine, in regia se continebant. Porro, quanta Præfectorum hæc potestas maior fuit, tanto potentius Francorum proceres, ad eam obtinendam enixi sunt, alios alijs deturbantibus (vt sunt ingenia regnantium prona ad formidinem, & suapte natura, potentiæ anxij æmuli) nec plerumque sine cæde, tot turbas, vix Regum segnitie vidente, aut si viderent, stupore animi parum curantium. Hi ferro grassati in æmulos, ferro vicissim, & inuidiæ aliorum obnoxij, luctuosas hasce tragædias totos ferè centum annos dedere, *vt habemus in Annalibus.*

Volfaldus, Ebroini in monasterium detrusi præfectura auctus fuit, *Gregorio teste.* Reccesuinthus Visigothorum Rex in Hispania, eorum leges, temporis iniuria vitiatas, castigauit, veteres autem quasdam abrogauit, nouasque permultas condidit; vt patet ex earum volumine, in quo videre licet leges illius Principis omnes aliorum Regum sanctiones, multitudine superasse. *Chronicon Hispaniæ.*

Egbertus Ercomberto mortuo Cantiorum Rex renuntiatus fuit sub idem tempus. *Polydorus, & alij.* Saporius Armeniæ præfectus, Mahuuiæ Sarracenorum Regis ope innixus, infesta signa in Constantem Imperatorem mouit, Anno Christi sexcentesimo sexagesimo septimo; venitque Hadrianopolim, *vt scribit Theophanes.*

Mazentius Armenus, Constante Cæsare interempto, Imperator à rebellantibus in Sicilia salutatus fuit; *Anastasio auctore.* Biennio post Egfridus, Osuuij Northumbrorum Regis morte absumpti filius, paternæ virtutis Regnique hæres, rerum administrationem suscepit. *Ita Beda.*

VIRI ERVDITI.

Cadmonus, ex Anglosaxonibus ortus, scripsit stricta oratione anglicana lingua, de creatione mundi, & generis humani origine. Hilda natione Angla illustris nata parentibus, in Northumbria, & Eduini Regis neptis, multiplici doctrina insigniter exculta, librum vnum Epistolarum composuit; al-

terum autem de rituum Britannorum obseruatione. *Beda lib.* 4.

Constantinus quartus, Imperator, Pogonatus dictus, Geoponica græca in lucem dedit, hoc est libros viginti de re rustica; quorum primus agit de ortu, & occasu stellarum, & aeris intemperie. Secundus de cerealibus, & leguminibus. Tertius quomodo parentur alica, tragus, & ptisana. Quartus de cultu vinearum, maxime autem de varijs vuis. Quintus de plantatione, & cura vitium. Sextus de torculari vasis olei; cellis vinarijs; vuis calcandis, & varia de musto. Septimus de vinorum differentia, cura, gustatione, & alijs quibusdam. Octauus de vinis medicatis, & varijs aceti præparationibus. Nonus de cura olearum, & varijs olearum compositionibus. Decimus de horti structura, eiusque fructu, & voluptate. Vndecimus de arboribus coronarijs, & semper virentibus, de plantatione rosæ, & lilij, aliorumque florum flagrantium. Duodecimus de hortorum instructione, & varijs olerum effectibus singillatim. Decimus tertius de insectis venenatis, & alijs bestijs fugandis; remedia aduersus pulices, cimices, culices, &c. Decimus quartus de cura columbarum & auium, tùm in aëre, tum in terra degentium. Decimus quintus de apum cura, & structura mellis. Decimus sextus de diligentia circa equos adhibenda; item de asinis, & camelis. Decimus septimus de boum admissione, generatione, educatione, & omnigena curatione. Decimus octauus de ouibus eligendis, probandis, & ineundis, & de eorum partu. Decimus nonus de studio circa canes; de leporibus, ceruis, suibus, & de salsura carnium. Vigesimus continet piscium nutritionem, & ipsorum venationem. Hoc opus latinitate donatum fuit à Iano Cornario, collectumque ex scriptis Florentini, Vidanianij, Anatolij, Berytij, Diaphanis, Leontij, Democriti, Tarentini, & ex Aphricani paradoxis, & Pamphili, Apuleij, Varronis, Zoroastræ, Frontonis, Paxami, Didymi, Damogerontis, Sationis, & Quintiliorum, seu Quintilianorum; quos sæpe citat, raro vero Aratum, Ptolemæum, Philostratum, Dionysium, Casianum, Aristotelem, & Mulomedicos, Apsyrtum, Pelagonium, Dioclem, & Theomnestum; adde Frontonem, & Xenophontem. Scripsit prætérea de Regno, magnumque volumen de ceremonijs aulicis, tum sacris, tum profanis; Philosophiæ insuper, & Rhetorices

ſtudia fere deperdita, aliaſque bonas artes renouauit, illuſtrauitque.

CALAMITATES.

Vniuerſum Angliæ tractum Peſtis atrox depaſta eſt, Anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo quarto, Conſtantis Imperatoris vigeſimo tertio. *Beda lib. 3. cap. 30.* Anno vero ſexcenteſimo ſeptuageſimo, multa in Gallijs hominum millia, morte abſumpta, varijque pagi, atque oppida cultoribus vacuefacta.

RES BELLICÆ.

Lupus Foroiulienſis Dux Gradenſem Inſulam, non longe ab Aquileia diſtantem, euaſtata vrbe, deprædatus eſt, Anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo primo, Conſtantis Imperatoris vigeſimo. *Paulus Diaconus lib. 5.*

Grimoaldus Beneuentanus Dux, certior factus biennio poſt, de diſcordia, quæ contigerat inter Pertheritem, & Gundebertum, Ariperti Longobardorum Regis defuncti filios, Regnique hæredes; Ciſalpinam Galliam, magno cum exercitu ingreſſus, Pertheritem Ticino expulit, Gundebertum vero Mediolano, vbi ſeorſim à fratre commorabatur.

Fama huiuſce belli in Galliam delata, Clodouæus Dagoberti filius, ratus hiſce internis motibus, Longobardorum opes facile diſſolui poſſe, ingentes copias, in Italiam tranſmiſit; quas Grimoaldus poſt acre prælium, ex Italiæ finibus expulit. Referunt tamen aliqui, Gallos non vi, ſed arte debellatos fuiſſe, Longobardoſque ſimulato metu, caſtra omnia, opulentiæ, ac in primis vini referta, dereliquiſſe, fugaque temere credita, Gallos ſub noctem caſtra ingreſſos, in omnem voluptatem, multamque vini crapulam effuſos, ab hoſte occultè reuerſo, tanta ſtrage cæſos fuiſſe, vt ne vnus quidem repertus fuerit, qui hanc cladem, ſuis renuntiauit. *Sabellicus.*

Conſtans Imperator ſub idem tempus, Anno ſcilicet Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo tertio, in Longobardos mouit, præmiſſaque claſſe, Athenas pedeſtri itinere profectus eſt. Hinc ſecundis tempeſtatibus in Italiam delatus, Tarentum occupauit; inde exercitu in terram expoſito Luceriam ciuitatem inua-

sit, prædæque cupidus vrbem prædiuitem hostiliter diripuit, diruitque, mox pari sæuitia, permulta Apuleiæ loca grauiter afflixit. Acheruntij autem Lucerinorum excidio accensi, fretique loci natura, vrbem suam valide tutati sunt. Ea propter, suo Græcus Imperator frustratus proposito, Beneuentum castra promouit; maiorique rerum apparatu, ac multo acrius hosti incubuit; tueri se tamen, & suos, Romoaldus Grimoaldi filius, patre absente, ferociterque hostium conatibus occurrere, obireque, non solum Ducis, sed etiam militis munera; crebras irruptiones facere, nec laboribus, nec periculis parcere, destitit. Grimoaldus autem ex tota Gallia Cisalpina militem secum ducens, circa Forum Popilij, improuiso Rauennatis exercitus incursu, pene effusus est, nullaque maiori clade affectus; per Picentas in somnium transijt, Beneuentanis ex proximo opitulaturus. Ad famam appropinquantis hostis, quæ certe multo terribilior incidit, intercepti nuntij fraude, qui terrorem, & numerum, & vires hostium, supra modum auxerat, obsidionem soluit. Iamque multum viæ, Neapolim versus, confecerat, cum Longobardi extremum agmen, apud Calorem fluuium, adorti, conserendi manum Constantianis necessitatem imposuere, factumque est prælium, Græcis multo difficillimum; pars siquidem copiarum non parua, amnem cum Principe transgressa, subsidiarij pugnam capessere coacti fuere. Quare his qui vltra ripam euaserant, vestigia Ducis seruantibus, nec vt suis auxilio essent, vadum repetentibus, quoscumque hostis ferox citra flumen reperit, ad vnum cæcidit. Neapoli vero Romam se conferente Constante Imperatore, Saburrus Neapolitanus, Dux exercitus, castra in Formiano posuit, vt quaqua versum hostes intendissent, præsto suis foret subsidio, siue in vrbem occurrendum esset; siue Neapolim recurrendum. Romoaldus interim exercitum à patre acceptum, dimicandi cupidus in hostem duxit, nec Saburrus detrectauit pugnam, quæ quidem anceps, & cruenta fuisset, nisi Græci Italum Ducem pertæsi, confestim fugam fecissent. Insecutus est fugientes ferox iuuenis, passimque dispalatos cæcidit, multi desiderati, inter quos Saburrus, qui omnium extremus, pugnam remiserat. *Paulus Diaconus*.

Grimoaldus Auares in Italiam, aduersus Lupum rebellantem

tem acciuit, Anno Christi sexcentesimo sexagesimo quarto, Constantis Imperatoris vigesimo tertio; receptisque locis, quæ Cæsar subegerat, citatum agmen in Gallias egit; Auares vero in Italiam ingressi, vbi primo hostem obuiam habuerunt, pugnam intrepidi susceperunt. Quatriduo, collatis signis, dimicatum est. Primum prælium prosperum fuit Lupianis; postera die æquo marte pugnatum; tertia luce maiori vtrinque vi concursum; Auaribusque ad montes compulsis, hostes eorum castris & impedimentis potiti sunt. Postremo Auares nouarum copiarum accessu, aucti, acie vicerunt; fuitque pugna illa funestior Longobardis, quum eorum Dux in confertissima suorum strage occubuerit. Dein Auares Foroiuliensium fines ingressi, cæde, atque incendio omnia defœdarunt; fuissetque illa clades latius euagata, ni Grimoaldus Rex, rebus suis subuenisset, & ab ijs, vt confestim Italia excederent, obtinuisset. Quibus successibus elatus, Popiliensium iniuriam, ab ijs, superiori anno, non parua clade affectus, vlcisci statuit; Simulata itaque in Vmbros expeditione, Appenninum superauit, tum iter remensus, in Flaminiam, ex improuiso descendit, tantaque celeritate, vt priusquam hostis adesse, audiri potuerit, Longobardi in vrbem irruperint. Sæuitum est sine discrimine in omnem sexum, & ætatem. *Paulus Diaconus.*

Anefrites Lupi filius, paternum principatum recuperaturus, Sclauos, qui Dalmatiæ partem tenebant, spe prædæ, secum in Italiam sub idem tempus abduxit. Tum Foroiuliensium fines, cum eis aggressus, in insidias, apud Nemasum, præcipitatus, auxiliariumque manu temere disiecta, ipse in fuga occiditur. Quæ clades ita cæteras Sclauorum gentes circa Histriam & Dalmatiam commorantes irritauit, vt sumptis armis, ad Natisonis Pontem processerint; quibus Victaris Foroiuliensium Dux, occurrens, magnis & affecit incommodis, eos ad suos lares repetendos compulit.

Constantinus Constantis filius, in Mezentium nouum Augustum, in Sicilia acclamatum, arma vertit; totaque Insula ingenti classe occupata, Tyrannum, omnesque paternæ necis conscios oppressit.

Sarraceni denique Siciliam nouis motibus agitatam, Romanisque spolijs refertam inuadentes, Anno Christi sexcentesimo

sexagesimo nono, Constantini Pogonati Imperatoris secundo, Syracusas ceperunt. Tum vrbis ornamenta, à Constante Augusto, illuc congesta, omnemque Syracusarum gazam, Alexandriam deportarunt, *vt refert Anastasius*. Quidam tamen asserunt ea omnia à Constantino Pogonato Byzantium delata fuisse.

OBITVS ILLVSTRES.

Aripertus Longobardorum Rex, Equum, coniuratorum metu, in Ticinum amnem, omni vi, concitans, submersus est, Anno Christi sexcentesimo sexagesimo tertio, Constantis Imperatoris vigesimo secundo.

Lupus Foroiuliensis Dux, ab Auaribus, quos Grimoaldus Longobardorum Rex in eum armarat, cæsus fuit, anno sequenti; *vt vult Paulus Diaconus*.


Anefrites, Lupi filius Foroiuliensium armis, contra quos, Sclauos euocarat, occubuit, sub idem tempus.

Frequhardus Scotiæ Rex, morbo absumptus fuit, eodem Christi anno sexcentesimo sexagesimo quarto, Constantis Imperatoris vigesimo tertio, & Erchenualdus, Palatij præfectus, sub Clotario Francorum Rege.

Saporius Tyrannus, è ciuitate Hadrianopoli, in qua commorabatur, exiens, ab equo, cui insidebat, in pedes ferociter erecto, ad portan allisus, interijt, Anno Christi sexcentesimo sexagesimo septimo; *vt refert Theophanes*.

Proximo vero Mezentius nouus Augustus in Sicilia salutatus, à Constantino Pogonato Imperatore, qui in eum signa tulerat, interfectus fuit. *Auctore citato*.

Osuuius denique Northumbrorum Rex virtutum magnitudine, ac multitudine clarus, fatis concessit, Anno Christi sexcentesimo septuagesimo, Constantini Pogonati Imperatoris tertio; *vt refertur Beda, & Polydorus*.



DECAS OCTAVA.

CONSTANTINI POGONATI *Imperatoris gesta.*



OEdus ad annos triginta cum Sarracenis, qui hactenus rerum gestarum fama, magnique terrore nominis, orbem fere vniuersum complexerant; nunc vero frequentibus Mardaitarum, Marconitarumque incursionibus infestabantur, ea lege inijt, Anno Christi sexcentesimo septuagesimo sexto, principatus nono, vt captiuos quinquaginta totidemque equos nobiles, & tria auri librarum millia, singulis annis persoluerent; illud idem cum alijs Romanorum hostibus præstitit; vnde summa toti orienti, occidentique securitas enata. Hisce vero curis omnibus solutus, ad totius optatam Ecclesiæ tranquillitatem, animum adiecit; Theodoro licet, regiæ vrbis Constantinopolitanæ Patriarcha, & Machario Antiocheno aduersantibus. Ea propter, concilium, indixit anno sequenti, quod, ne Bulgarorum Thraciam euastantium motibus, in aliud tempus reijceretur, pacem cum ijs etiam iniquis conditionibus, annuum scilicet tributum pendere spondens, firmauit, dedecore certe maiore, quam damno, *vt asserunt Græci Historici.*

CHILDERICI FRANCORVM REGIS *Gesta, & Obitus.*

Adeo aspere, seuereque, Vigoberto, & Malberto auctoribus, Imperium regebat, vt popularium animos in se accenderit, Bodillonemque virum nobilem, quem nudum manibus, pedibusque ad palum alligatum, virgis affici iusserat, ferro arma-

rit, quo ipse, vna cum vxore Bitilde vterum ferente, occubuit, Anno Christi sexcentesimo septuagesimo primo, principatus sui tertio, Constantini Pogonati Imperatoris quarto. Quam male, vim suam, potestas, aliorum contumelijs experitur.

THEODORICI FRANCORVM REGIS Gesta.

In Regnum postliminio restitutus, Ebroino, qui abiecto cucullo, ingentes in eum copias duxerat, infœlici vniuersæ Franciæ fato, se commisit, Leudesioque aulæ Præfecto cæso, ipsum in illius locum suffecit. Hinc enim crebræ primorum procerum neces, cædesque funestæ. Hinc graues, plenique periculi tumultus bellici. Hinc denique sæuum, durumque Imperium. *Aimoinus, & Paulus Æmilius.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Volsualdus aulæ Regiæ Præfectus, Childerico Principe mortuo, Anno Christi sexcentesimo septuagesimo primo, in Austriam confugit. Leudesius Erchenualdi filius, & nepos Adalbaldi, vir æquitate insignis in ipsius locum, omnium votis subrogatus fuit.

Ebroinus conuenientibus ad eum ijs, quorum ex sententia res non erant, magistrumque equitum rursum salutantibus, è monasterij latebris, in quas antea coniectus fuerat erupit; moxque vltro, citroque commeantibus legatis, in veterem Theodorici Regis gratiam restitutus, Palatij præfectura auctus fuit, *vt testantur Aimoinus, & Paulus Æmilius.*

Sebbi Orientalium Saxonum Rex, abdicata purpura, anno principatus sui trigesimo, Christi vero sexcentesimo septuagesimo secundo, Constantini Pogonati Imperatoris quinto, voto Religionis se obstrinxit. *Beda teste lib.* 4.

Recceuintho Visigothorum in Hispania Rege, sine prole defuncto, illiusque fratribus ob exhaustam ætatem, tantis rebus imparibus, Vuamba in ea Lusitaniæ parte, quæ Igedita-

nia veteribus fuit, natus; vir bello ſtrenuus, pietate ſummus, alijſque virtutibus inſignis; Rex, ipſo licet, ob præcipitem ætatem, reclamante, ſalutatus eſt, miniſque intentatis, ac ſtricto in eum gladio, procerum, totiuſque populi voluntati cedere coactus fuit. Toleti itaque decimo tertio Kalendas Octobris, Anni Chriſti ſexcenteſimi ſeptuageſimi ſecundi, in D. Petri, & Pauli templo, quod Prætorio vicinum erat, magno cum apparatu, inunctus fuit. Fertur vaporem, columnæ inſtar, ex eius capite erupiſſe idemque in ſublime euolaſſe. Cæterum ipſo principatus initio, Reipublicæ ſtatum multis partibus labefactatum, temperauit; diſciplinamque militarem reuocare ſtuduit; præcepit enim, vt, cum delectus haberentur, omnes confeſtim ad ſigna conuolarent præter ſenes, pueros, & imbecilla valetudine impeditos. Veneno autem, Eruigij Comitis arte, epotato, Anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo, principatus ſui octauo, grauiſſimo derepente implicatus morbo ſub primam noctis horam, cum iam animam agere videretur, coma poſita, cucullum monachi ritu induit is : enim mos, apud Hiſpaniarum Eccleſiam vigebat tunc maxime, vt in extremis verſantes, Religionis cuiuſdam habitum, ſiue inſcij, ſiue conſcij aſſumerent; quem tamen, ſi priſtinam recuperaſſent valetudinem, deponere nequaquam poterant, (vt patet ex canone 2. concilij Toletani) vocibuſque intermorientibus, ac mente, vi veneni, alienata, Eruigium ſucceſſorem ſuum nominauit, idque, temporaria Syngrapha, atque diplomate regio, confirmauit. Sequenti vero luce morbo pauliſper remittente, ad ſe rediens, ex potenti ante Rege, priuatam illam, fœlicemque vitam, ingenti animi magnitudine, amplexus eſt, in qua annos ſex, menſeſque tres ſumma cum quiete, virtutumque omnium ſpecimine exegit. *Ita Lucas Tudenſis, & alij.*

Eurigius Ardabuſti Græci hominis filius, & Receſuinthi Regis propinquus, illius ſiquidem conſobrinam in vxorem duxerat, vir magnæ inter proceres auctoritatis, quam & ingenij ſui dexteritate, & accommodatis ad tempus, officijs in dies augebat, Viſigothorum Regno in Hiſpania potitus eſt, *vt referunt Auctores citati.*

Garibaldus, Grimoaldi nouennis filius, Longobardorum

Rex creatus fuit, Anno Christi sexcentesimo septuagesimo tertio, Constantini Pogonati Imperatoris sexto. Eum tamen Bertarius Ariperti filius, nouem annorum spatio, apud Francos, extorris è solio haud multo post eiecit, mense scilicet, à patris obitu, tertio. Hic maxime pius fuit, iustitiæ tenax, & in pauperes effusus. *Ita Paulus Diaconus.*

Ildericus, siue Hilpericus Galliæ Narbonensis Visigothorum Vadhuc ditioni subiacentis, Comes, locorum longinquitate confisus, magnisque opibus, ac clientelis potens, noua sub idem tempus in Vuambam Regem molitus est. In eum Paulus natione Græcus foris, domique spectatus missus fuit. Hic rursus armis in principem insurgens, acclamatus est, moxque, coronam, quam Reccaredus Hispaniæ Rex S. Felici Gerundensi Martyri dono dederat, capiti imponens, regium sibi nomen assumpsit, sed fato infœlici, *vt scribit Lucas Tudensis.*

Edilredus Mercijs imperabat, Anno Christi sexcentesimo septuagesimo sexto, Constantini Pogonati Imperatoris nono *teste Beda lib.* 4. Biennio vero post Gizid Mahuuia patre Sarracenorum principe mortuo, Reipublicæ regimen suscepit. *Bizarus de rebus Persicis.*

VIRI ERVDITI.

Trumherus, siue Trunherus natione Anglus, & ex illustri Northumbrorum Regum prosapia ortus, floruit hoc tempore, multaque nobis ingenij sui monumenta reliquit, quæ vel Danorum motibus, bellisque crudelissimis, vel domorum ruderibus, vel flammis voracibus absumpta, periere. Adde Ioannem Bergomensem Episcopum, multiplici doctrina præstantem magnoque in pretio apud Longobardorum Regem habitum.

REGNORVM ORTVS.

Prima Vngarorum, seu Bulgarorum Regni fundamenta iacta fuere, Anno Christi sexcentesimo septuagesimo octauo, Constantini Pogonati Imperatoris vndecimo. Hi enim è Scythia in Thraciam erumpentes, attrito penitus, Pannoniam inter, & Mysiam, Augusto, fœdereque cum eo iniquis con-

ditionibus inito, ac Trebellio viro bellicis artibus clarissimo, in primum, omnium procerum suffragijs, Regem electo, suas ad octingentos, & sex annos sedes in Mysia seu Mœsia, à quibus Bulgaria dicta, fixerunt, *vt volunt Theophanes & Sigebertus.*

OPERA PVBLICA.

Vuamba Visigothorum Rex in Hispania Toletum, regiam vrbem, spatijs amplificatam, perpetuo muro, qui per D. Isidori suburbium ad vtrumque pontem pertinet, muniuit, Anno Christi sexcentesimo septuagesimo quarto, principatus sui tertio, Constantini vero Pogonati Imperatoris septimo.

Porro Toletum tribus amplius ex partibus flumine alluitur, quod, circum vrbem, altissimis coërcitum ripis, per saxa, & rupes præceps defertur. Quarta pars, ex planitie; aditum habet difficilem, angustiori prius muro cincta erat, cuius vestigia, ad venale forum, & ad ferream portam extant; nunc Vuambæ principis diligentia, suburbijs intra vrbem inclusis, quo difficilior expugnatio esset, inferior murus est additus. Ad hocce opus perficiendum, lapides vndiquaque conuecti, atque ex Romanæ structuræ artificio, marmora, in quibus rotæ, aut rosæ similitudine, sculptæ imagines videntur pluribus in locis. Vulgus Vuambæ Regis insigne esse persuasum habuit; ipsi tamen lapides, nullo ordine, sed temere, vt conuehebantur positi, huic opinioni resistunt. Gemina item carmina eundem principem, in nonnullis turribus incidi curasse, rei gestæ monumentum, testantur Auctores; quæ tametsi rudia, vt pote eius ætatis, subijci placuit.

Erexit, fautore Deo, Rex inclytus vrbem
Vuamba, suæ celebrem protendens gentis honorem.

In summis insuper turribus sanctorum statuas ex candido marmore locauit, eorum præcipue, quos tutelares, patronosque ciuitas adoptarat.

Vos domini sancti quorum hic præsentia fulget,
Hanc vrbem, & plebem solito seruate fauore.

Ita Lucas Tudensis, & alij, qui de rebus Hispanicis scripsere.

PRODIGIA.

Childerico Clodouæi filio in Gallijs regnante, Anno Christi sexcentesimo septuagesimo primo, Constantini Pogonati Imperatoris quarto, Iris mense Martio in aëre conspecta, Francorum genti maximum incussit terrorem.

Ingens item Cometes, seu stella crinita, apparuit Augusto mense, duobusque proximis ad orientem, sub galli cantum; neque vnquam oculis se subduxit, nisi prius sol, eam, summo suo splendore, ac lumine obruisset; *vt referunt Annales Franciæ.*

Perpetui imbres è cœlo decidere; tonitrua horrenda, qualia nunquam hominum memoria audita, crebrique fulminum casus. Quibus portentis, multi sibi, extrema mundi prænuntiari, persuaserant.

Anno autem sequenti, Christi scilicet sexcentesimo septuagesimo secundo, ignis Martinus dictus, quod in aquis arderet, inuentus est à Callinico Architecto, qui ab Heliopoli Syriæ, ad Romanos confugerat. Illo vsi Romani ingentem Arabum hostium classem penitus exusserunt, victoriaque potiti sunt. *Theophane teste.*

CALAMITATES.

Grauissima lues vniuersam fere Angliam vehementer afflixit, Anno Christi sexcentesimo septuagesimo secundo, Constantini Pogonati Imperatoris quinto. Anno vero sexcentesimo octogesimo, ita in Italiam trium mensium spatio desæuijt, vt Romam, Ticinumque funeribus exhauserit. Visus insuper à multis Dæmon vrbem cum hasta obiens, ad Angeli imperium cuspide domorum ferire ianuas, posteraque die mortuorum numerus, cuspidis ictus æquare comperiebatur, *vt testatur Paulus Diaconus.* Verum diuino monitu, arâ in D. Petri

tri æde ad vincula, Sebaſtiano Martyri conſecratâ, atrox illa lues abſterſa fuit.

Cæterum Ticinum Inſubrum eſt in Italia oppidum, vt Ptolemæo, Tacito, & alijs placet. Papiam recentiores appellant, & Paulus Diaconus qui ſcripſit ante annos octingentos. Flauia item Papia vocatur in nummulo argenteo, quem Angelus Bareuentanus edidit in ſua Regum Longobardorum tabula; ſecundam inſuper Romam nominari ex veteri ſaxo ſcribit *Henricus Ferneſius, in huius vrbis encomio typis edito.*

RES BELLICÆ.

Ebroinus accepto nuntio de Theodorico in Regnum reſtituto, Anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo primo, Conſtantini Pogonati Imperatoris quarto, abiecto cucullo, faces ad Franciæ incendium prætulit, ingentique ſceleratorum manu collecta, cum delectiſſimis equitum, & velociſſimis peditum, Iſarum fluuium, cæſis cuſtodibus, ſub noctem, vado tranſmiſit, Gazaque regia, quod magnum rebus momentum fuit, intercepta, ac oppreſſis incredibili celeritate hoſtibus, Regis, Regnique adminiſtrationem inuaſit. Tum veluti, diſiectis obicibus, effuſus torrens Franciam prope vniuerſam, cædibus compleuit, vique, ac dolo in hoſtes primum, dein in omnes promiſcue graſſatus eſt, *vt refert Aimoinus.*

Sarraceni ſub idem tempus Lyciam, atque Ciliciam occupauerunt. Sequenti vero anno, Chriſti ſcilicet ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, Conſtantini Pogonati Imperatoris quinto, ijdem in Thraciam claſſe delati, regiam ipſam vrbem Conſtantinopolim, terrore magno affecere, illius agrum fœdè vndiquaque euaſtantes. Hyeme autem ingruente Cyzicum ſe ſe receperunt, eam, vere appetente, iterum aggreſſuri, non toto ſeptennio vt volunt Græcorum Annales; conſtat enim quarto abhinc anno, pacem, Romanos inter, & Arabes, confirmatam fuiſſe. Hoc item anno Romani, ſub Floro, Petronio, & Cypriano Ducibus clariſſimis, Sarracenos fœliciter profligarunt; triginta ſiquidem, in ea pugna, hoſtium millia deſiderata referunt nonnulli. Ego vero inclytam illam extitiſſe victoriam autumo, cum Imperij vectigales facti fuerunt

Barbari. Cæterum immensam eorum classem, vi procellæ absorptam testantur aliqui; alij vero à Callinico quodam, marini ignis, quem ingeniose inuenerat, opera, combustam penitùs, asserunt.

Paulus Dux, vir ingenio maximo, reique militaris vsu celeberrimo, à Vuamba Visigothorum in Hispania Rege, contra Hildericum, Neumasi Comitem rebellantem missus, Anno Christi sexcentesimo septuagesimo tertio, defecit, Renosindumque Tarraconensem Ducem, & Hildigitum Gardingum (nomen id magistratus, atque potestatis erat) factioni suæ conciliauit; eorumque ope Bricino, Gerunda, atque Ansa, in ipso Hispaniæ aditu, in potestatem redactæ fuere. Tum ijs viribus aucti, de Gallia cogitarunt, vbi, iunctis cum Hilderico copijs, sperabant sese haud quaquam fore regiæ potentiæ impares. Narbonensis interim vrbs capta fuit, aliæque Gothicæ ciuitates sub iugum missæ; Hispaniæ vero Tarraconensis non exigua pars, Ranosindi auctoritate nixa, Imperium veri Principis detrectauit. Eo rerum successu Paulus purpuram induit. Verum his de rebus certior factus Vamba Rex; post Vascones gentem belli gloria ferocem, intra diem septimum domitos, per Calagurim, & Oscam, in Catalauniæ fines, incredibili festinatione peruenit, Anno Christi sexcentesimo septuagesimo quarto, Constantini Pogonati Imperatoris septimo. Inde copiæ trifariam diuisæ, pars Castrolybiam Ceretanorum caput, tenere iussa est; Pars in Auseranos missa; tertium agmen secundum maris littus obuios agros, & oppida depopulari mandatum; Rex ipse cum valido agmine subsecutus, præcedentium vestigia obseruabat. De nonnullis militibus more militari supplicium sumptum; Rex enim nulla re magis diuinum numen propitiari, habebat persuasum, quam sceleribus vindicandis; neque irritari vehementius, quam innocentium iniurijs dissimulandis; Hæc identidem subdens; frustra pergit ad bellum, cuius assiduus comes iniquitas. Cumque Barcinonem peruentum esset, ipsa vrbs Catalauniæ princeps, in potestatem facile redacta fuit; defectionis vero auctores, ad supplicium, Regis iussu, seruati. Gerunda continuo capta, vrbem tradente Amatore Episcopo. Tum bidui quiete, exercitu recreato, Pyrenæi iuga, atque angustiæ superatæ sunt, nullo prohibente. In eo

itinere Caucoliberis, Vulturia, & Castrum Libiæ, oppida vi expugnata; præda omnis militi cessit. Clausura ciuitas, in ipsis Pyrenæi faucibus, subdita; in ea Ildigisus, Ranosindus, alijque factiosorum Principes capti. Pyrenæo monte transcenso, Rex in planicie castrametatus, biduo constitit, dum copiæ omnes, diuersis itineribus, vt erat imperatum, in eundem locum confluxissent. Dein Duces quatuor, Narbonem vrbem nobilissimam, atque in ipso prouinciæ aditu constitutam, cum copiarum parte, missi sunt, vt eam aut vi, aut voluntate, ad officium reuocarent. Mari præterea instructa classis eius vrbis expugnandæ causa. Terrestres copiæ primo se in conspectum dedere, ciuesque ad deditionem hortatæ sunt. Verum arroganti Vittimari Ducis responso, atque contumelia, irritatæ, impetum in vrbem fecerunt; his ignominiæ dolore animos faciente; illos autem si victi essent, salutis desperatione acuente, tribus integris horis acerrime pugnatum est; Postremo Regij lapidum nimbi, murorum coronam, propugnatoribus nudarunt; vrbis portas succenderunt, admotisque scalis, muro succedere conati sunt; vtrinque in vrbem irrumpitur. Vittrimirus re desperata, in templum confugiens, ac Virginis aras comprehensus, vinculisque constrictus, Regis arbitrio plectendus seruatur. Capta Narbone factio despectui, & odio esse cepit in causa, quam iudicia hominum, & fortuna belli damnabant, rebusque Vuambæ fauebatur, quod mitissimo eius Imperio, atque legitimo repudiato, necessaria arma sumpsisset. Eodem victoriæ cursu, vi capta Magolana, Agatha, & Biterris. In ijs oppidis factiosorum auctores quidam, in potestatem venere. Mox Naumasum vrbem, ea ætate, ciuium frequentia, ædificiorum amplitudine, & munitione, nulli cedentem, in Narbonensi Gallia, cum in ea multa veteris nobilitatis monumenta tunc extarent, & etiam nunc extant, ac præsertim amplum Theatrum, Romanorum opus, quod quoniam muro coniunctum, arcis firmissimæ præbebat vsum; quatuor celeberrimi, à Vuamba Rege, Duces præmissi, moræ impatientes cum in eius vrbis conspectum venissent; sublato totius exercitus, in quo triginta hominum millia, clamore, in munitiones impressionem fecerunt, dimicatumque fortiter; indignantur ij toties victam perfidiam resistere; illos desperatio, nisi vin-

cerent, agebat in rabiem; certantes nox diremit, neutri victoria inclinante; acceptoque nuntio, validas Germanorum, Francorumque copias auxiliares, obsessis aduentare; ad decem hominum millia Duce Vandamiro, Regis iussu, missa sunt. Hi continuato, tota nocte, itinere, tantus erat vincendi ardor; priusquam pugna consequentis diei conserta esset, in suorum castra peruenere. Magnis confestim vtrinque animis, certamen instauratur, pugnaque ad multum diem protracta; obsessis defatigatis, Regij muro succedere; pars ignem portis iniecere; pars muros crebro impetu conuellere, adituque patefacto, ferro in vrbem penetratur. Tetra rerum facies, nihilque præter cadauera, in suo sanguine volutantia conspiciebatur oculis; morientium gemitus; clamores feminei; infantium eiulatus, locis omnibus, exaudiebantur. Paulus tantorum malorum causa, errore cognito, depositoque paludamento, ad theatrum, loci firmitate confisus, cum suorum peculiari manu se recepit, mori certus, aut honesta conditione deditionem facere. Aduerte hic eodem die, euoluto Anno Kalendis scilicet Septembris, Regni insignia Paulum posuisse, quo procerum suffragio Vuambæ fuerant delata. Cæterum vrbis parte in potestatem redacta, ab impugnatione cessatum est. Dein Argenbandus Narbonensis præsul, communi consilio, Regi obuiam, veniæ deprecator, missus fuit, quem genibus nixus, sic inter singultus, & lachrymas, affatus est, Tui ciues, Rex clementissime, si tamen eo nomine digni sunt, qui patriæ caritatem exuerunt, exilioque, ac diminutione capitis, ius ciuium amiserunt; in tua clementia salutis spem deponentes, non veniam scelerum orant, quamuis te Rege hæ preces non inuerecundæ videri possent, sed promeriti supplicij modum aliquem deprecantur. Est omnino difficilius animum in victoria continere, quam hostes in bello superare, sed alijs. Animi magnitudo, nulla re magis perspicitur quàm miserorum ærumnis subleuandis; illa laus communis cum milite est; hæc magnorum Regum præcipua. Procul absentes contemplari oculis nequis; sed finge animo, lachrymis, & squalore fœdatos, pedibusque tuis aduolutos, causam suam tibi commendare; homines vel mentis inscitia, vel communi temporum calamitate, vel insuperabili fatorum vi, in hæc flagitia prolapsos. Quo grauiora

delicta sunt, eo maior tibi, clementissime Rex, gloria erit, miseros conseruasse. Venissent ad te inermes, laqueis colla implicati, vt vel ea specie ad misericordiam flecterent, vel morte obita, quod se promeruisse fatentur; vitæ simul finem, atque ærumnis pariter facerent; sed veriti, ne cui videretur animus tuus immitior eis videri, qui non posset nisi extremis remedijs mitigari: Pauci relicti sumus, tuique omnes; noli tua manu perire, quibus belli crudelitas pepercit hactenus; atque illud caue, ne dum vindictæ indulges deletis ciuibus, nobilissimam Galliæ ciuitatem, Gothorumque Imperij propugnaculum exscindas. Erat Vuamba bellicis artibus, cuiuis veterum Regum æqualis, sed imperatoriam laudem, benignitate, clementia, & mansuetudine superabat. Quare pauca locutus, hanc summam orationis habuit; tuis inquit precibus flexus, vitam sontibus dono, ne tamen absolutio improbitatis, lex impunitatis esse credatur; supplicium, quod ad retinendam Imperij dignitatem, necessarium fore arbitror; penes coniurationis capita stabit. Tum recta vrbem suis stipatus copijs, petijt. Paulus vitæ dulcedine illectus, continuo deditionem fecit, & cum eo Gumildus Episcopus, Vittimirus, alijque proceres coniurationis, in potestatem venere. Vincula statim omnibus fuere iniecta. Duo Duces equis insedentes, medium Paulum peditem, cæsarie vtrinque apprehensa, ad Regem, toto spectante exercitu, deduxere; ad cuius ille conspectum, cingulum posuit, qua ceremonia veteri, omni militari honore spoliabatur; captiuis ad Regis pedes prostratis, quibus ita vitam concessit, vt custodiri sontes, voluerit; supplicij modum, maturiori consilio volens decernere. Mox vrbis, belli iniuria, quassata mœnia instaurata fuere, & cadauera, ne tetro odore vrbem inficerent, sepulturi mandata; ijsque rebus perficiendis triduum datum. Dein Rex in sublimi loco sedens, Pauli sociorumque colla calcauit, tum mortis sententiam in eos pronuntiari iussit, bonaque fisco addici; additumque vt si forte Regis benignitate vita eis esset condonata, luminibus saltem priuarentur. Rex vero clementiæ laude cupiens reliquos populares sibi conciliare, cæsariem ponere, qua olim nobilitatis insigne continebatur, & decaluari satis habuit. *Lucas Tudensis, & alij Hispaniæ Scriptores.*

Visigothi Sarracenos, vniuersa fere Africa eorum armis domita, ad Hispaniæ littora ingenti classe delatos, flammaque, ac ferro omnia miscentes, Anno Christi sexcentesimo septuagesimo quinto, Constantini Pogonati Imperatoris octauo, penitus, sub Vuambæ Regis auspicijs attriuere, ducentis illorum nauibus aut incensis, aut demersis. Sequenti anno Mardoitæ, & Maronitæ Sarracenorum Imperium inuaserunt in Syria, & Palæstina, à monte Tauro, ad Libanum vsque; *Theophane teste.*

Bulgari è Scythia iuxta Meotidem egressi, Thraciamque tumultuosius adorti, omnia terrore compleuere. Cum ijs Constantinus Pogonatus Imperator, in Pannoniæ, & superioris Mysiæ confinio, decertauit, Anno Christi sexcentesimo septuagesimo octauo, principatus sui vndecimo. Fuitque pugna illa Græcis infœlix. Abeunti tamen Imperatori anno proximo, pax præter spem, à Barbaris oblata fuit, quam ipse cupide amplexus est. Egfredus Northumbrorum Rex, & Edilredus Merciorum, acriter collatis signis, depugnarunt sub idem tempus. Fœdus nihilominus inter illos, Theodori opera, initum fuit.

REI INSIGNES.

Paulus, & reliqui rebellionis in Vuambam Visigothorum in Hispania Regem principes perpetuo carceri mancipati fuere, Anno Christi sexcentesimo septuagesimo quarto, Constantini Imperatoris septimo. *Lucas Tudensis.*

TRIVMPHI.

Vuamba Hispaniæ Rex illustrissimus apparatissimum, Toleti, de Paulo, eiusque defectionis conscijs, triumphum egit, Anno Christi sexcentesimo septuagesimo quarto, Constantini Pogonati septimo. Rebelles enim, barba, & capite rasis (quod apud Gothos infame supplicium erat) nudis pedibus, atque pannosi in camelis præibant, Paulo ludibrij causa, corona ex nigro corio capiti imposita erat; Regij milites in splendidis vestibus sequebantur, omnique lætitiæ significatione, agmen, præeunte curia, Rex ipse claudebat; canitie sua, rebusque tam

præclare, ac fœliciter gestis, Regni maiestatem augens. Vniuersa denique ciuitas, que se portis obuiam effuderat, ad eius spectaculi insolentiam attonita, faustis acclamationibus Regem tot victorijs clarum prosequebatur.


OBITVS ILLVSTRES.

Leudesius aulæ regiæ in Francia Præfectus, fide ab Ebroino, in Theodorici Regis gratiam restituto, & antiqua Magistri equitum dignitate ornato, accepta, in colloquium, vt facilius cum eo pacisci posset, descendens, crudeliter interfectus fuit, Anno Christi sexcentesimo, septuagesimo primo, Constantini Pogonati Imperatoris quarto.

Sequenti vero Recceswinthus in Hispania Rex, morbo oppressus, naturæ concessit Anno principatus sui vigesimo tertio. Grimoaldus Longobardorum Rex, cicatrice venarum, ob arcum acrius intensum, nono, à Phlebotomia die, abrupta, sanguinem cum vita effudit. *Coccius*.


Mahuuias Sarracenorum Princeps bellicis sudoribus inclytus, ac rebus gerendis prudentia summa, cuiusque sigillum, hac tessera inscriptum erat, [DEVS IGNOSCE MIHI] Damasci, vbi sedem habebat, extremum diem clausit, Anno Christi sexcentesimo septuagesimo octauo, Constantini Pogonati Imperatoris vndecimo, *Bizarus de rebus Persicis*.





DECAS NONA.

CONSTANTINI POGONATI Imperatoris Gesta, & Obitus.



Epistolam, sacram nuncupatam, scripsit ad Agathonem Pontificem, Anno Christi sexcentesimo octogesimo primo, Constantini Pogonati decimo quarto, qua Romanam Ecclesiam ab omni pecuniæ pensitatione, quam ei olim Gothorum Reges Arriani, creatis recens Pontificibus imposuerant; iisque extinctis, Orientales Imperatores, seuere hactenus exegerant, immunem fecit; immo ab omni censu, & tributo, quod, pro Siciliæ, Calabriæque patrimonijs, pendere consueuerant, exemit. Ius insuper eligendi, ac consecrandi Pontificis, à Theodorico antiquitus, alijsque principibus tyrannice vsurpatum, nulla expectata Imperatoris confirmatione, restituit.

Anno vero sexcentesimo octogesimo quarto, Constantini Pogonati Imperatoris decimo septimo, Iustinianum, & Heraclium filios suos dilectissimos, Benedicto summo Pontifici, transmissis ad illum pro more solemni eorum capillis, veluti sub adoptionem obtulit. Fiebant siquidem eo tempore filiorum adoptiones per comæ præcisionem; patrisque nomine donabatur ille qui eam receperat; filij vero qui obtulerat. Hoc autem nobis clarissime constat, tum ex Paulo Diacono referente, Carolum Francorum Principem, Pipinum filium suum ad Luithprandum deduxisse, dein præcisam illius cæsariem, ei detulisse. Tum etiam, ex Anastasio in Historica præfatione ad octauam Synodum; vbi asserit Bulgarorum Regem, eo vsque pietatis processisse, vt capillos suos, tota spectante aula, manu propria absciderit, sedisque Apostolicæ legatis tradiderit,

hæ

hæc ſubdens. Velim vt proceres omnes, cunctique Bulgarorum populi ſciant, me hodierna die ſeruum, filiumque, poſt Deum, fore B. Petri, & eius vicarij.

Cæterum haud multo poſt ſolemnem illam filiorum ſuorum comæ præciſionem, Conſtantinus, graui correptus morbo, interijt, Anno ſcilicet Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo quinto, principatus ſui decimo ſeptimo; *ita Theophanes, & Cedrenus.*

ICON

CONSTANTINI POGONATI Imperatoris.

Conſtantinus Pogonatus Princeps omnium virtutum gloria ſumme clarus, accepta Conſtantis patris Monothelitæ morte, Imperium meliori orbis fato excepit; moxque in Siciliam profectus, Mezentium Tyrannum, ac paternæ necis conſcios è viuis ſuſtulit; dein fratres ſuos in collegas Imperij adſcitos, nouaſque res molientes in ordinem redegit; Romanam vero Eccleſiam, quam impenſe coluit, ab omni tributorum penſitatione exemit, creandique pontifices, libertatem conceſſit. Multiplici demum litteratura inſigniter excultus, magna nobis ingenij ſui, atque eruditionis monumenta reliquit, Philoſophiæque, ac Rhetoricæ ſtudia pene deperdita, in antiquum ſuum ſplendorem reſtituit. Eius principatus, maximis cladibus inſignis fuit. Sarracenos ſiquidem, & nauali pugna, combuſtis eorum nauibus; & terreſtri certamine, triginta hoſtium millibus in acie cæſis, fæliciter profligauit. Tum cum ijs fœdus ea lege inijt, vt annuum tributum, auri ſcilicet pondo tria millia, ſeruorumque totidem, atque equorum, ipſi penderent; breui poſt tamen pacem cum Bulgaris dedecore maiori, quam damno, firmauit, ſicque parta ſimul, ac ſperata decora, euerſa fuere.

IVSTINIANI SECVNDI IMPERATORIS Geſta.

Conſtantino Pogonato patre extincto rerum pene puer, omnibus ſuffragantibus potitus eſt, Anno Chriſti ſexcenteſimo

octogesimo quinto, mense Septembri, indictione decima quarta, pacemque renouauit cum Sarracenis; ab ijs tamen exoratus, vt Mardaitæ, & Maronitæ è Lybano amouerentur, quod quidem præstitit, sed malo suo.

Imperium permultis prælijs Leontij Ducis clarissimi, aliorumque virorum illustrium opera, prospere confectis; varijsque prouincijs, supremo fauente numine, recuperatis, summa cum laude amplificauit; *vt testantur Theophanes Cedrenus, & alij Græci Auctores.*

Anno tamen proximo, Christi scilicet sexcentesimo octogesimo sexto, in fide fluctuans iratum sibi Deum expertus est, soluto, cum Bulgaris, fœdere. *Ita citati Auctores.*

THEODORICI FRANCORVM REGIS Gesta, & Obitus.

Audito nuntio de S. Amasi Archiepiscopi Senonensis obitu, Anno Christi sexcentesimo octogesimo octauo, Iustiniani Imperatoris quarto, magno terrore, conscientia stimulos admouente, perculsus fuit; Broylumque ocyssime delatus, ac tumulo toto corpore effusus, lachrymis, gemitibus, ac verbis humillimis, admissi in Episcopum grauissimi facinoris, iniustique exilij veniam flagitauit, & vt celerius eam impetraret, multa auri munera cœnobio aggessit, censusque varios, ac plurimos seruos, qui sancti obsequerentur cultui, & honori, donauit; nec multo post obijt, anno Principatus sui decimo nono; *vt volunt Angradus Monachus, & Martianus.*

CLODOVÆI TERTII FRANCORVM Regis gesta.

Theodorico primo, Clodouæi secundi filio, defuncto, Franciæ, seu Neustriæ Imperium suscepit, remque prosperè, sub Pipini viri prudentissimi auspicijs, palatij, Regnique totius curam sustinentis, administrauit. *Aimoinus, Paulus Æmilius, & alij.*

HEROES

Bertaridus Longobardorum Rex, Cunipertum filium suum in consortium Imperij assumpsit, Anno Christi sexcentesimo octogesimo primo, Constantini Pogonati Imperatoris decimo quarto. *Paulus Diaconus lib. 5.*

Mutar Præfectus Persidis à Gizit Sarracenorum Rege constitutus, prouinciam illam amicorum suorum opera occupauit. Maruanus vir celeberrimus, Gizit sublato, nouem tantum mensium spatio rexit. Eum siquidem Abdalamus, principis extincti filius, è Regno, quod vnico tantum anno administrauit, eiecit,

Abimelecus, seu Abdimelecus summæ apud principes famæ, ab Arabibus, Concilio in Cufa interioris Arabiæ vrbe inito, renuntiatus fuit eodem tempore. Hic certior factus de Iustiniani inauguratione, viros ad eum illustrissimos misit, pacem non modo seruaturum, sed pactum quoque tributum persoluturum, spondens. Aliqui addunt Sarracenos in decem item annos proximos, aureos mille, singulis diebus, Equum vnum, & mancipium suæ gentis, pependisse. *Theophanes*, Cedrenus, *& alij.*

Muhamedes Mahadinus, Hocemi principis clarissimi filius, magnum apud Sarracenos nomen sustinebat; illum Arabes etiamnum superstitem esse, equoque insidentem venturum tandem, vt cunctis gentibus legem promulget, omnesque populos in suam fidem traducat, firmiter tenent, creduntque. Ea propter Equum semper expeditum habent, quem accensis facibus, in templum, vbi Alis eius aui corpus iacet, statuto apud eos die, solemni quanta possunt pompa, apparatuque deducunt, Alemque humillimis precibus obtestantur, vt nepotem suum tot votis expetitum, quamprimum mittat. *Ita Byzarus in Historia sua de rebus Persicis lib. 6.*

Eugenius quintus Malduini Scotiæ Regis demortui, ex fratre nepos, Regnum suscepit, Anno Christi sexcentesimo octogesimo quarto, Constantini Pogonati Imperatoris decimo septimo. Ipso principatus initio, cum Egfredo Northumbrorum Rege de fœdere ineundo egit, vt subditi sui bello, ac

crebris depopulationibus oppressi, paululum respirarent. Verum ab eo vix aliquorum mensium inducias elicere potuit, vt comparatis ad vsum belli necessarijs, acrius dein bellum instauraretur. Quo suscepto, anno proximo Egfredus in acie occubuit; rerumque summa ad Elfredum filium suum delata. *Ita Mathæus Vestmonstrariensis, & Leslæus de rebus Scoticis.*

Ebroinus Neustriæ, seu Galliæ aulæ Præfectus, in eos, quos sibi in calamitate, insultasse senserat, varijs suppliciorum generibus, nullius dignitati, aut sanctitati parcens, immaniter desæuijt, Anno Christi sexcentesimo octogesimo quinto. Leodegarius enim Augustodonensis Episcopus, vir omni virtutum laude clarissimus, Tyranni crudelitatem, defossis, illius iussu, oculis, præcisa lingua, totoque corpore dilaniatus, ac capite truncatus exsatiauit. Leuissima autem exilij pœna erat, quo, plerique cruciatus metum necisque præuertebant. Permulti enim vltro exulatum in dies, in Austrasiam se conferebant. *Aimoino teste, & Fredegario.*

Pipinus Angelisi filius, Herstallus à loco, non longe à Leodio, Eburonum vrbe celeberrima, in Gallia Belgica, distante, quem sæpe, libenterque incolebat, cognominatus, Vulfoaldo, qui Austrasiæ præerat, defuncto, successit, dato ei Martino Duce socio, fratre patruele, *vt vult Paulus Æmilius.* Sequenti vero Anno, Christi scilicet sexcentesimo octogesimo sexto, Iustiniani Imperatoris sexto, Brabantiæ princeps, Begga ipsius matre, sanctissima fœmina, mundo nuntium renuntiante, supremoque numini se mancipante, salutatus fuit; cæsoque, Ebroini artibus, Martino Duce, solus Austriam ministrauit. Theodorico denique Francorum Rege deuicto, Anno Christi sexcentesimo octogesimo septimo, vtriusque Regni Magisterium tenuit; & Francia, in varia veluti membra dissecta, deinceps in vnum coit. Veteres enim Reges, alij alia ita sortiri fuerant Regna, Parisiense nimirum, Suessionense, Mediomatricum, Burgundionum, & Aquitaniæ, vt omnes, Reges Franciæ vocitarentur, primis tamen maiestatis partibus, Parisiensi datis. Verum bellis Magistrorum Equitum exortis, parem maiestatem sibi omnes irrogabant; Regnumque Parisiense, Neustriæ, (quæ postea Normania, maxima ex parte fuit) ab alijs dicebatur. Ad hæc adde Pipinum

curam aulæ, Gazæque, atque adeo ipsius Regis, Nordeberto amicorum principi commisisse. Drogonem filiorum natu maximum, Ducem Campanis dedisse, ipsum autem Transrhenana suscepisse bella. *Paulus Æmilius Aimoinus, appendix Gregorij Turonensis.*

Leontius Iustiniani iunioris Imperatoris Dux clarissimus, deuictis hostibus, Imperium Romanum varijs Prouincijs, Armenia scilicet, Iberia, Albania, Hircania, atque Media auxit eodem anno. *Theophanes, & Cedrenus.*

Varato vir illustrissimus, cæso, ab Hermenfredo, Ebroino Equitum Magistro, & virtutum omnium hoste, eadem dignitate à Theodorico Rege ornatus fuit, Anno Christi sexcentesimo octogesimo septimo, Iustiniani iunioris Imperatoris tertio. Hic pacem cum Austrasianis, non diuturnam inijt, à filio Gilesmaro omnia iura, & naturæ, ac supremi numinis, permiscente, principatu deiectus, breui tamen in pristinum honorem, sublato Gilesmaro, restitutus fuit. Eo vero mortuo, Bertarius eius gener illi successit, qui Ebroino, quàm socero similior fuit.

Ioannes Platina, Theodoro Calliopa, è viuis erepto, Italiæ Exarchi insignia, à Iustiniano iuniore Imperatore suscepit, *vt vult Anastasius.*

Eruigius Visigothorum Rex in Hispania, Egicam, virum belli, pacisque artibus apprime instructum, ac prudentiæ, & mansuetudinis laude illustrem, arctaque cognatione Vuambæ principis sanguinis annexum, in socerum, Cixilone filia, illi concessa, sibi assumpsit; iuratum tamen in primis, Reginæ socrus filiorumque commoda, atque incolumitatem diligenter curaturum; neque permissurum, patre defuncto, in orphanorum fortunas, quemquam impune grassari. Hisce rebus ex sententia constitutis, Vuambæ leges nonnullas paulo acerbiores, ac præsertim de delectibus militum, quæ seuerior videbatur, summa cum prudentia mitigauit. Dein socerum pridie mortis suæ, Egicam Hispaniarum Regem nominauit; qui more solito, in D. Petri, & Pauli Prætoriensi æde, Idibus Maij eiusdem Christi Anni sexcentesimi octogesimi septimi inunctus, Visigothorum res administrare cœpit; odiumque, in Regem demortuum, animo compressum, cótinuo deprompsit.

Iniuriæ ſiquidem memoria, longe diuturnior eſt, quàm beneficij. Quare ipſo principatus initio, vxorem Cixilonem repudiauit, ſuppliciumque de proceribus, quorum opera, Vuambam in fraudem impulſum, atque de rerum culmine deiectum eſſe conſtabat, peracerbe ſumpſit. *Lucas Tudenſis, & alij.* Verum hac vindictæ dulcedine, regium fœde deturpauit nomen.

Eugenius ſextus, Frequhardi filius, ſingulari pietate, ac reliquis virtutibus inſignis, Eugenio quinto Scotorum Rege funerato, Imperij regimen omnium votis aſſumpſit, Anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo octauo, Iuſtiniani iunioris Imperatoris quarto. Hic cum Northumbriæ Rege, Sancti Cuthberti ſuaſu, fœdus inijt. In Pictos vero qui fidem anteà datam violarant, bella, toto Regni ſui tempore, ſorte tamen varia geſſit. *Leſlaus.*

Nordebertus, magni nominis apud optimates vir, in Bertarij Franciæ aulæ præfecti, ſuorum coniuratione extincti, locum, à Pipino victore, eodem anno, ſuffectus fuit, *vt teſtantur Hiſtorici.*

VIRI ERVDITI.

Iulianus Archiepiſcopus Toletanus, ſingulari eruditione percelebris, ſcripſit librum de ſex ætatibus, & tres de futuro ſæculo, quos habes in tomo nono ſanctorum patrum editionis ſecundæ; alioſque permultos, qui temporum iniuria, periere.

Nota hic tres fuiſſe Iulianos, quorum primus preſbyter tantum fuit, vixitque ante quingenteſimum Chriſti Annum, *vt aſſerit Gennadius, in catalogo virorum illuſtrium*: ſecundus Diaconus, præfationis librorum Hildefonſi præſulis auctor. Tertius Archiepiſcopus Toletanus de quo nunc egimus. Felix Flauianus floruit etiam hoc tempore, vir peritiſſimus, & à Cuniperto Longobardorum Rege, magnis donatus muneribus.

OPERA PVBLICA.

Emeritæ pons, eiuſque mœnia ab Eruigio Hiſpaniæ Rege inſtaurata fuere, opus tantum curante, vrgenteque Sala, vt

peruetusta carmina indicant. *Ita Hispaniæ Chronicon.*

REGNORVM ORTVS.

Britannorum Regnum Coadualla, seu Cedduualda, aut Codoualadro Rege, Romæ, absumpto, penitus corruit, Anno Christi sexcentesimo octogesimo nono, Iustiniani iunioris Imperatoris quinto. Illud siquidem Occidentales Saxones breui occuparunt, *vt testantur Mathæus Vuesmonasteriensis, & summarium Chronicorum Angliæ.*

CALAMITATES.

Vesuuius mons tantam ignium vim derepente euomuit, Anno Christi sexcentesimo octogesimo quarto, Constantini Pogonati decimo septimo, vt circumiecta loca, fœdissimo exhausta fuerint incendio. Lues item atrox, diraque fames Syriam vniuersam longe, lateque euastarunt, eodem anno. *Bizarus de rebus Persicis.*

RES BELLICÆ.

Dedacus signa in Abimelecum Sarracenorum Regem mouit, Anno Christi sexcentesimo octogesimo tertio, sed infeliciter. Adahamus item profligatus fuit à Caïsa, Abimeleci consanguineo. *Auctore Bizaro.*

Egfredus Northumbrorum Rex, Scotiam, quam Beda *lib.* 4. Hiberniam nominat, cædibus atque incendijs compleuit, Anno Christi sexcentesimo octogesimo quarto, Constantini Pogonati Imperatoris decimo septimo. In eum Eugenius quintus Scotiæ Augustus armauit; atrocissimaque pugna commissa, in qua Egfredus cæsus, & cum eo viginti plus minus Saxonum millia; *vt volunt Mathæus Vuesmonasteriensis, & Leslæus.*

Iustinianus Imperator, Sclauis, partim deditione acceptis, partim armis domitis, delectisque ex ea gente iuuenum fortissimorum triginta circiter millibus, legiones conscripsit, fœdere cum Sarracenis inito, Leontium Ducem clarissimum in

Aſiam miſit, vbi iterum Albaniam, Iberiam, Ircaniam, & Mediam, quæ Sarracenis parebant, Imperio ſubegit.

Pipinus Auſtraſiæ præfectus vna cum Martino collega contra Ebroinum Franciæ præfectum in Laudunenſium finibus conflixit, Anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo ſexto, Iuſtiniani Imperatoris ſecundo; Vtrinque egregie pugnatum eſt. Victoria tamen ab Ebroini partibus ſtetit. Biennio vero poſt, feliciori marte Theodorici Regis exercitum ad Textricium, in Veromanduis adortus eſt. Illic Pipinum dominandi ardor, exules autem iniuriarum acceptarum memoria, vehementer in pugnam concitarunt. Theodorico parum præſidij in copijs, & armis erat; ex aduerſo multa formido ex ſcelerum recordatione, & pleriſque hoſtium, quos ſibi infenſiſſimos habebat, quibuſque toleratæ iniuriæ, durus ad arma ſtimulus furorem addebat. Conſerta igitur pugna, Theodorici copiæ confeſtim fuſæ, fugatæque fuere. Anno denique ſexcenteſimo octogeſimo nono, Friſones pari felicitate, Radbodo eorum Rege expulſo, perdomuit.

Mutarus Sarracenus à Muſubo, Abdalæ Zubiri Tyranni fratre oppreſſus interemptus fuit. Verum Abimelecus collectis copijs, Mutarum deleuit. Tum in Perſidem profectus vniuerſam illam prouinciam, in ſuam poteſtatem redegit. Quo ſucceſſu territus Abdala Zubirus Mecam confugit, ad quem inſequendum, Cagianum magno cum exercitu deſtinauit, qui, Meca expugnata, Zubirum enecauit, ſicque Abimelecus, ſeu Abdimelecus Perſide recepta, & æmulis extinctis, ſolus Sarracenorum, rerum potitus eſt. *Bizarus de rebus Perſicis.*

Iuſtinianus Imperator rupto eodem Chriſti Anno cum Sarracenis fœdere, quod, tributum, non excuſa. Imperatoris imagine, pecunia, recepiſſet, in maximum diſcrimen totam Rempublicam coniecit, quod ſuo poſtea, totiuſque orientis damno expertus eſt. *Theophanes, Cedrenus, & alij.*

REI INSIGNES.

Malduini Scotiæ Regis vxor, necis mariti ſui inſimulata, ſequenti die vna cum conſcijs, igne publico pœnas luit, Anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo quarto, Conſtantini Pogonati

nati Imperatoris decimo septimo. *Leslæus de rebus Scoticis.*

OBITVS ILLVSTRES.

Gizit Sarracenorum Rex vita functus est Arrani, Anno Christi sexcentesimo octogesimo primo, ætatis suæ quadragesimo, principatus tertio, Constantini Pogonati Imperatoris decimo quarto.

Paulo post Hocemus, Alis eiusdem gentis principis filius, ab Abdelamo Gizitis filio, in Carbalensibus campis prope Cusam, insidijs petitus, interfectus fuit.

Malduinus Donaldi quarti filius, Scotiæ Rex nocte ab vxore quod lectum genialem Pellici strauisse suspectus fuisset, obtruncatus perijt, Anno Christi sexcentesimo octogesimo quarto, Constantini Pogonati Imperatoris decimo septimo. Anno vero sequenti Egfredus Northumbrorum Rex in acie occubuit. *Leslæus.*


Angesisus Brabantiæ Princeps eodem Christi Anno sexcentesimo octogesimo quinto, Gunduini adolescentis, quem infantem expositum sustulerat, atque educauerat, immo ad supremos militiæ honores promouerat, dextera cecidit.


Martinus Austrasiæ præfectus, & Pipini Collega, ab Ebroino Galliæ præfecto, adiurante se minime illi offuturum, & in caput terrores obtestato, perniciemque, atque exitium, inferorumque pœnas, in colloquium vocatus, è viuis sublatus fuit, Anno Christi sexcentesimo octogesimo sexto, Iustiniani Imperatoris secundo. *Paulus Æmilius, & alij.* Theodorus cognomento Calliopa, Italiæ Exarchus, interijt anno proximo. *Anastasius.*

Ebroinus Equitum præfectus in Gallia, tantum in se odium concitarat, vt ab Ermenfredo iugulatus in lectulo fuerit. *Paulus Æmilius.*

Eruigius Hispaniæ Rex supremum Toleti diem expleuit decimo Kalendas Decembris Anni Christi sexcentesimi octogesimi septimi, Iustiniani Imperatoris tertij. Sequenti autem Gilesmarus Franciæ præfectus decessit. Bertarius item eiusdem præfecturæ insignibus auctus, cæsus fuit in pugna contra Pipinum principem commissa, *vt asserunt aliqui*; alij vero refe-

runt eum suorum insidijs circumuentum, confossum fuisse. *Aimoinus lib.* 4. Eugenius denique Malduini ex fratre nepos, & Scotiæ Rex, obijt eodem Christi Anno sexcentesimo octogesimo octauo. *Leslæus de rebus Scoticis.*





DECAS DECIMA.

IVSTINIANI IMPERATORIS Gesta, & Exilium.

ZAchariam Protospatarium Romam misit, Anno Christi sexcentesimo nonagesimo secundo, principatus sui octauo, vt vinctum Sergium summum Pontificem Constantinopolim perduceret. Verum Romanus populus Sergium tutatus, Zachariam contumelijs affectum, vrbe eiecit.

Biennio post, ira accensus imperauit quibusdam Ducibus, vt, nocte adulta, Constantinopolitanum populum iugularent, totamque vrbem sanguine cruentarent.

His itaque impie simul, atque inconsulto gestis, superum, mortaliumque odium ita incurrit, vt è solio expulsus, Anno Christi sexcentesimo nonagesimo quarto, principatus decimo, exilium subire apud Chersonam coactus fuerit, naso antea ad ludibrium præciso, ex quo illi Rhinotmeti nomen inditum fuit, *vt refert Theophanes, Cedrenus, & alij.*

LEONTII IMPERATORIS Gesta, & expulsio.

Noua in Iustinianum Iuniorem Augustum, fidei desertorem, virumque asperum, ac natura ferocem molitus, Imperator à populo acclamatus fuit, Anno Christi sexcentesimo nonagesimo quarto. Hic Arabes Africam, Carthagine expugnata, occupantes, Ioannis patricij opera penitus attriuit, eamque prouinciam felicibus recuperauit auspicijs. Triennio tamen post, Imperium scelere quæsitum, scelere amisit; ab Absimaro siquidem nouo Cæsare creato captus, præcisis naribus in vincula coniectus fuit, Dalmatiæque monasterio

mancipatus. *Græcorum Annales.*

ABSIMARI IMPERATORIS Gesta.

Mota, ab exercitu, seditione, in Creta, Absimarus, Tiberius dictus Imperium arripuit, Byzantiumque profectus, Leontium in ordinem redegit. *Ita Theophanes, & Cedrenus.*

CLODOVÆI FRANCORVM REGIS Gesta, & Obitus.

Regno quatuor annorum tractu, fœliciter Pipini principis Palatij præfecti cura, administrato, immaturata morte oppressus fuit, Anno Christi sexcentesimo nonagesimo secundo, Iustiniani iunioris Imperatoris octauo. *Aimoinus lib.* 4. *& alij.*

CHILDEBERTI FRANCORVM REGIS Gesta.

Clodouæo tertio Francorum Rege demortuo, Sceptri iura ad Childebertum fratrem venere, qui rem totam sub Pipini Equitum Magistri auspicijs, sapienter rexit. *Aimoinus.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Cunipertus Princeps, iustitia, liberalitate, ac pietate summus, Bartario patre Longobardorum Rege extincto, & cum quo, decem annos regnarat; solus imperare cœpit, Anno Christi sexcentesimo nonagesimo primo, Iustiniani Imperatoris septimo. *Paulus Diaconus.*

Alachis Dux Tridentinus, homo sæuus, ac crudelis, Christianæque fidei hostis infensissimus, arma contra Cunipertum vertit, sed aduerso marte, fauente supremo numine; vouitque barbare, atque impiè se puteum Clericorum testiculis imple-

turum, si de Zenone, qui in eum signa tulerat; victoriam reportaret. *Ita citatus Auctor.*

Sebastius, alijque Iustiniani Duces, Armeniam Sarracenis prodidere, immo aditum ad Romanum Imperium inuadendum aperuere, Anno Christi sexcentesimo nonagesimo secundo. *Theophanes & Cedrenus.*

Ioannes Patricius in Africam, contra Sarracenos, à Leontio Imperatore missus, Anno Christi sexcentesimo nonagesimo sexto, prospera primo, dein aduersa fortuna pugnauit, ad internecionem deletus.

Drogon Pipini filius, & Campanorum Dux celeberrimus, magni erat nominis in aula. Romualdus Dux Beneuentanus in Calabriam profectus, Tarentum occupauit; *vt vult Paulus Diaconus.*

Paulus Lucius, primus Venetorum Dux, à Patriarcha, & populo creatus fuit in Heraclea ciuitate, Anno Christi sexcentesimo nonagesimo septimo, Tiberij Absimari Imperatoris primo: cum antea eorum Respublica, à Tribunis tantum & Centurionibus administrata fuisset. Tradita sunt ornamenta quædam, quibus amplissima illa dignitas illustrior fieret; capitis autem insigne, Phrygiæ mytræ speciem referens, in conum ibat, hodie à fronte depressa est infula, retro vero in refracti cornu formam attollitur. Hic ipso principatus initio, nihil antiquius habuit, quam, vt domi, forisque pacem componeret; fluuiorum ostia, munitionibus, atque præsidijs firmaret, edictoque præciperet, vt Insulani certum haberent nauium numerum, easque in procinctu, quoties signum à principe daretur; naualia constituerent, munirentque validissime contra piratarum incursus; extantque etiamnum talia veterum operum vestigia quædam. Coluit & Regum, principumque amicitiam, vt Veneta res tutiori in loco esset. Cæterum causa huiusce inaugurationis, tùm Tribunorum Insularium discordia fuit, qua in dies gliscente, finitimi animos extulere; ac primo Longobardi, qui ab initio Venetum nomen infense oderant; tum etiam latrocinium, quo res Veneta infestabatur. Nam ab altero mari Prædones inuecti, totius gentis ocia impune perturbabant; & à continenti fluuiorum ostijs delati, sæpius stagna, hostili incursu fœdabant proxi-

mi accolæ. *Ita Venetorum Annales.*

Ambirkeletus, Eugenij quinti filius, omni suauitate cultus, moribus antiquis illustris, ac mirabili indole præstans, Eugenio sexto Scotiæ Rege demortuo, rerum potitus est, Anno Christi sexcentesimo nonagesimo septimo. Breui tamen humanitatem suam in ferociam; continentiam in libidinem, liberalitatem in auaritiam, lectissimosque mores in infanda quæque vitia commutauit, *vt vult Leslæus de rebus Scoticis, & alij.*

Dodo Alpaidis Pipini pellicis frater Lambertum Tungrensem Episcopum interemit anno sequenti, quod Pipinum Palatij præfectum identidem increparet ob Alpaidem subintroductam, spreta Plectrude coniuge. *Paulus Æmilius, & Sigibertus.*

Theobaldus in Drogonis Campanorum Ducis iam sublati locum subrogatus fuit, Anno Christi sexcentesimo nonagesimo nono, Absimari Imperatoris tertio. Grimoaldus, Nordeberto Equitum Magistro defuncto, successit, filiamque Radbodi Frisonum Regis, Theodosindam nomine matrimonio sibi iunxit. *Auctores citati.*

Eugenius septimus Ambikerleto Scotiæ Rege eiusque germano è viuis erepto, regia sumpsit insignia eodem anno; paceque cum Garnardo Pictorum Principe inita, Spontaneam eius filiam in vxorem accepit, permultosque viros doctrina claros, qui tàm Scotorum, quàm cæterarum orbis totius gentium res gestas memoriæ mandarant, vndique conquiri, ac suis sumptibus sustentari curauit.

Abrogato Palatinorum Imperio haud diuturno, rerum summa Craco Principi grato omnibus, ac magnis virtutibus illustri, delata fuit, Anno Christi septingentesimo; *vt refert Vapouius.*

VIRI ERVDITI.

Alfredus, Osuuij Regis ex concubina filius, & Egfredi frater, Northumbrorumque Rex, eruditione multiplici insignis, varia ingenij sui edidit opera, quæ temporum iniuria periere, extat enim tantum etiamnum Epistolarum liber vnus, ad Colomannum.

Aldelmus, siue Aldelinus Anglus, Inæ Occidentalium Saxonum Regis, ex fratre Kenteno nepos, bonarum litterarum studijs impense deditus, Græcaque lingua peritissimus, atque in re oratoria facundissimus; Theodorum siquidem Græcum, Cantuariensem Episcopum, & Adrianum Abbatem Africana elegantia celeberrimum audierat. Scripsit oratione stricta, solutaque, Saxonice, Latinè, Græceque permulta, ac in primis de Natura insensibilium; de Philosophorum doctrina; de Arithmetica, Astrologia, Metaplasmo, & Metrorum generibus. Alia pia opera habes in sacra mea historia.

Ostflorus natione Anglus Theodori Græci discipulus, omnique eruditione summus multa composuit, quæ in truculentis Danorum furoribus, & incendijs interiere. *Pitheus.*

PRODIGIA.

Nauium species, cum omni apparatu bellico visæ in Humbro fluuio. Comeludum, arma item in templo concrepuere. In vltimo Insulæ recessu, sanguis è cœlo largè depluit. Lac, in Pictorum quibusdam agris, in cruorem versum, & caseus in massam sanguinariam. Segetes insuper cruentæ autumni tempore collectæ. Hæc ostenta in Albione conspecta, multis ingentem incussere terrorem. *Hector Boetius.*

RES BELLICÆ.

Alachis Tridentinus Dux Bauaros accolas fœliciter aggressus est, eorumque Grauione Rege interfecto, in Cunipertum Longobardorum principem mouit, Anno Christi sexcentesimo nonagesimo primo, Iustiniani Imperatoris septimo. Cruento marte vtrinque dimicatum est; victoria tamen ad Cunipertum inclinauit; Alachisque coactus Tridentum confugere; in quem haud multo post Zeno Ecclesiæ Ticinensis Diaconus, nouo exemplo, nec satis probato, signa tulit, victusque ab hoste, in acie occubuit. *Paulus Diaconus lib.* 5.

Abdimelecus, seu Abimelecus bellum in Gracos, Muamete Duce, prospere suscepit, Anno Christi sexcentesimo nonagesimo secundo, Iustiniani Imperatoris octauo; in eosque apud

Sebastopolim tantam impressionem fecit, vt Sclauis prius corruptis, quorum viginti circiter millia ad Sarracenos defecerant, fusi, cæsique penitus fuerint; vixque Iustinianus Imperator, turpi fuga, sibi consulere potuerit. Ad Leucatem autem profectus Sclauicæ illius, ac nouæ militiæ reliquias trucidari, cadaueraque in mare præcipitari actutum iussit.

Sabbatius Armeniæ prætor clade accepta, ad Sarracenos se conferens, Armeniam eis tradidit. Muametes vero in Thraciam Prouinciam, cum Sclauis qui ad illum confugerant irrumpens, ferro, flammaque sub idem tempus euastauit. *Bizarus de rebus Persicis.*

Sarraceni, seu Arabes Africam Abimeleci Regis ductu inuaserunt, Anno Christi sexcentesimo nonagesimo sexto, Leontij Imperatoris tertio. Hos Ioannes Patricius, ab Augusto magno cum exercitu missus, breui è prouincia victricibus armis expulit; ab ijs tamen postea, Romanis cum copijs deletus fuit. *Theophanes & Cedrenus.*

Romualdus Beneuentanus Dux, expeditionem in Calabriam, præsidijs vacuam, faciens, Tarentum, Brundusium, circumiectaque loca, occupauit. Picti Scotos adorti Anno sequenti, Christi scilicet sexcentesimo nonagesimo septimo, magna hominum strage affecerunt. *Ita Leslæus, & alij.*

Absimarus Imperator Heraclium fratrem suum in Sarracenos immisit, Syriamque totam, ac finitima loca, cæde, ac sanguine repleuit; ducenta siquidem Barbarorum millia cæcidit; captisque plurimis, atque ingenti præda onustus patriam repetijt. *Græcorum Annales.*

Cæterum aduerte hic quantum gens illa Sarracenorum numerosa fuerit illis temporibus, cum Armeniam, Persidem, Palæstinam, Ægyptum, Libyam, Africamque vniuersam inuasissent, ac quamplurimas Insulas.

REI INSIGNES.

Iudæi, qui in Egicam Hispaniæ Regem, eiusque Imperium coniurarant, æternæ seruituti patrum omnium sententia mancipati fuere, eorumque bona publicata, Anno Christi sexcentesimo nonagesimo quinto, Leontij Imperatoris secundo, *vt referunt scriptores Hispanici.*

Fratres

Fratres duo Athalici Spontanæ Reginæ, Eugenij septimi Scotiæ Regis vxoris, necis insimulati, viui canibus dilaniandi obiecti fuere. *Leslæus de rebus Scoticis.*

OBITVS ILLVSTRES.

Bertaridus Longobardorum Rex supremum vitæ diem expleuit, Anno Christi sexcentesimo nonagesimo primo, Iustiniani Imperatoris septimo. Zeno contra Alachim Tridentinum Ducem acriter dimicans cecidit in acie eodem anno. *Paulus Diaconus.*

Eugenius sextus Scotiæ Rex, & Frequhardi filius interijt, Anno Christi sexcentesimo nonagesimo septimo, principatus sui decimo, Tiberij Absimari Imperatoris primo, *Leslæus.*


Ambikerletus Scotiæ Rex, sagitta è castris egressus confossus fuit, biennio post *vt refert citatus Auctor.*

Dodo, Lamberti Episcopi percussor, tineis toto corpore scaturientibus fœdoque odore, ac cruciatu vexatus, in Mosam, furore, ac rabie actus, se præcipitem dedit, Anno Christi sexcentesimo nonagesimo octauo, Tiberij Absimari Imperatoris secundo. *Paulus Æmilius.*

Drogon Pipini filius, & Dux Campanensis fato consumptus fuit Anno sequenti, *vt refert Sigibertus.* Marcellinus tamen asserit Pipino patri superuixisse. Nordebertus Childeberti Francorum Regis aulæ præfectus desijt eodem anno, Christi scilicet sexcentesimo nonagesimo nono. Ado illius mortem ad Annum Christi septingentesimum refert.



Eo



SÆCVLI OCTAVI
DECAS PRIMA.

TIBERII ABSIMARI IMPERATORIS Gesta, & Obitus.



Hilippicum Nicephori patricij filium, cuius caput Aquila obdormienti inumbrarat, in Cephaleniam Ionij maris Insulam, Melænam olim, auctore Plinio, nuncupatam, ne noua moliretur, relegauit. Iustiniano vero, Regno iam exuto, Caiani Auarum Regis opera insidias struxit, Anno Christi septingentesimo secundo, principatus sui sexto. *Theophanes, Cedrenus, & alij Græci Historici.*

ICON

TIBERII ABSIMARI IMPERATORIS.

Tiberius Absimarus ab exercitu in Creta salutatus, Constantinopolim profectus est, Leontioque Augusto in vincula coniecto, Imperij regimen suscepit. Tum fratris sui Heraclij, pedestrium, Equestriumque Ducis opera, Agarenos varijs incursionibus Romanas prouincias infestantes penitus attriuit. Philippicum vero nouarum rerum cupidum in exilium deportari actutum iussit. Denique cum Caiano principe magnis egit largitionibus, vt Iustinianum Augustum antea, iam profugum, generumque suum, ad se quamprimum transmitteret, aut saltem obtruncaret, qua morte ipse haud multo post perijt; captus siquidem ab eodem Iustiniano, perque forum, circumque maximum turpiter raptus, securi, spectante vniuerso populo, percussus fuit. Proh dolor quod Regnum est,

cui non parata sit ruina, & proculcatio, & Dominus, & carnifex, nec magnis ista interuallis diuisa, sed horæ momentum interest, inter solium, & cædes cruentas.

IVSTINIANI RHINOTMETI Imperatoris Gesta.

Theodoram Caiani Auarum Regis, ad quem confugerat, è Chersona fugiens, sororem, matrimonio sibi iunxit, Anno Christi septingentesimo secundo; quo emenso, compertis, vxoris indicio, insidijs, quas illius frater, in caput suum parabat, ad Trebellium Bulgarorum Regem transijt; cuius armis Byzantium ingressus, Absimaroque Augusto cæso, vna cum Leontio, purpuram sumpsit, magnisque eorum asseclas affecit supplicijs; Immo vt volunt aliqui, quoties manus naso abstergendi causa admoueret, toties alicuius cædem, qui Leontio fauisset, imperabat. Tiberium filium suum, haud multo post, Theodoramque coniugem, corona, magno cum apparatu, insigniuit.

Rupto autem, cæco impetu, cum Bulgaris fœdere, quorum ope in Imperium, post decennale exilium, restitutus fuerat, eos non sine ingrati animi nota, armis lacessere non est veritus, Anno Christi septingentesimo sexto, principatus tertio.

Nicæa, vbi commorabatur, profectus, Anno Christi septingentesimo decimo, principatus sui septimo, Constantinum summum pontificem magnifice excepit, summisque coluit honoribus. Mauritiam vero patricij generis, & Heliam Spatarium crudelitatis suæ ministros Chersonam, quò, à Leontio relegatus fuerat, cum ingenti classe, properanter misit, eodem anno, vt ciuitatis primores viros, quod ab ijs structam fuisse fraudem meminisset, strage magna edita, ferro deleret. Porro classis hæc, immani tempestate iactata, submersa fuit, hominumque septuaginta millia, vndis obruta. *Ita Anastasius & Græcorum Annales.*

CHILDEBERTI FRANCORVM REGIS Obitus.

Childebertus Theodorici primi Francorum Regis filius, exacto, sub Pipini principis, & aulæ præfecti cura, Anno Regni sui decimo septimo, Christi vero septingentesimo nono, obijt. *Paulus Æmilius, & alij.*

DAGOBERTI SECVNDI, Francorum Regis, gesta.

Childeberto patre extincto, Imperij administrationem, sub Grimoaldi Pipini filij, & Theodoaldi Maiorum domus regimine omnium ordinum suffragijs fœliciter suscepit.

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Theophylactus Exarchus, hostilia, Tiberij Absimari Imperatoris iussu, in summum Pontificem moliens, in Italiam profectus est, Anno Christi septingentesimo primo; cumque in Siciliam, contra Exarchorum consuetum iter, se contulisset; omnes illius aduentum, tanquam vrbi, totique Italiæ exitialem horruere. Quam ob rem, consternati milites, metuque compulsi, Romam continuo aduolarunt, venientemque Exarchum, sine tumultu quidem, infesto tamen animo expectarunt; fuissetque illi, haud dubie, vis illata, nisi Romanus Pontifex sua auctoritate intercessisset, obtulissetque sese pacis arbitrum. His peractis, Theophylactus populum Romanum, auxiliaresque copias, nec abs re, veritus, Rauennam confestim maturauit; ex eoque tempore, Exarchorum potestas, multum diminuta, infirmataque fuit; *vt vult Anastasius.*

Vuitiza, Egica patre mortuo, Visigothorum res in Hispania solus moderari cepit, eodem Christi anno. Ipso vero principatus exordio iusti optimique principis specimen non vulgare dedit. Exules siquidem actutum reuocauit, & vt beneficium

illustrius haberetur, honores, quibus apud patrem, functi fuerant, eis restituit; inque procerum conuentu, Schedas publicas, quibus delicta, atque infamiæ notæ, non paucis in ea temporum perturbatione, inustæ, continebantur, comburi iussit. Paulo post tamen, vt est difficile in lubrica, ac iuuenili ætate, summam potestatem, rerumque omnium licentiam, ratione, virtuteque frænare; primum se assentatoribus, quorum magnus in aulis principum, numerus alitur, corrumpendum traducens, in omnes libidines, quas, male coercitas, qualiscumque patris reuerentia tardauerat, præceps fuit. Concubinas enim, iustarum vxorum loco, cultuque, magno numero habuit, lege lata, vt id cunctis liceret, tum promiscuo populo, & proceribus, tùm etiam viris sacratis, qui eius iussis libenter obsecuti sunt. Vitia siquidem, principum imitari, genus obsequij dicitur. Romani Pontificis, cuius auspicijs Christiana Religio hactenus steterat, & Gothicæ res auctæ, ac bonis omnibus amplificatæ fuerant, imperium abrogauit. Iudæis redeundi, atque in Hispania commorandi, contra leges antiquas, facultatem concessit. Natura vero adeo ferox, ac seuerus fuit, vt Theodefredum Chindesuinthi filium, & Cordubæ Ducem, excæcari curarit. Fauillam autem Cantabriæ Ducem, & Theodefredi fratrem, stipite percussum, interemit, vt eius vxore liberius vteretur. Denique ne vlli res nouas moliendi, locus esset, vrbes quamplurimas tota Hispania, mœnibus, ac munitione nudauit; paucæ Regis imperium euaserunt, in ijs Toletum, Asturica, & Legio, in Tarraconensi tractu sita, Gemma olim dicta; *vt placet Vasæo.*

Pelagius, Princeps illustrissimus, & Theodefredi filius, Prostopatarij personam sustinebat; apud Vuitizam Regem. Hic Hispaniæ res collapsas restituere cœpit. Verum sublato patre, in Cantabriam se recepit, in eiusque locum Iulianus Comes, qui Vuitizæ sororem in vxorem acceperat, suffectus fuit, *vt vult Lucas Tudensis.*

Gisulfus Beneuentanus Dux, summi Pontificis precibus exoratus, modicaque pecunia, manubiarum nomine accepta, captiuos Romanos, prædamque restituit, Anno sequenti, Christi scilicet septingentesimo secundo; dein Beneuentum reuersus, ab omni Romanarum rerum infestatione destitit, Longobar-

dorumque nomen vbique pacatum fuit, præterquam in extremo Italiæ angulo.

Caianus Auarum Rex Iustinianum profugum honorifice excepit sub idem tempus, atque in generum adsciuit. Verum plus valuit apud Barbarum Regem auri vis, quam affinitatis iura; magnis siquidem muneribus corruptus, hospitem, & affinem Tiberio Imperatori tradidisset, nisi Princeps pari fœlicitate fugam aucupasset; & ad Trebellium Bulgarorum Regem cuius ope, victricibusque armis, Imperium recuperauit, confugisset, Anno Christi septingentesimo tertio, *vt Græcorum Annales referunt.*

Luithbertus impubes, Cuniperto parenti Longobardorum Regi, sub Asprandi insignis viri tutela eodem anno successit. Hunc Ragembertus, Asprando debellato, è solio, octauo mense post, detrusit, quo tamen non diu potitus est, cum breui extinctus fuerit.

Aripertus secundus, summa pietate illustris Princeps, prostratis bellica sua virtute Ducibus omnibus, ac præsertim Rhotario, & Luithberto, de re Longobardica acriter contendentibus, Rex acclamatus fuit, Anno Christi septingentesimo quarto, Iustiniani Rhinotmeti Imperatoris primo; Alpesque Cottias, Romanæ olim Ecclesiæ patrimonium, à Longobardis interceptum, Ecclesiæ restituit; eamque donationem, aureis exaratam litteris Ioanni Pontifici tradidit. *Ita Paulus Diaconus, Anastasius, & alij.*

Edelredus, seu Ethelredus, Merciorum in Anglia Rex, solemni se religionis voto obstringens eodem Christi anno, principatus autem trigesimo primo, nepoti suo Cœnredo, seu Chenredo Regnum reliquit. Hic patrui sui virtutes, gnauiter æmulatus, Romam, cum Offa Sigerij filio, & Orientalium Saxonum Rege spectatissimo, profectus est, Anno Christi septingentesimo nono, Imperij vero sui sexto, vitamque cum eo monasticam amplexus est, *vt scribit Polydorus Vergilius.*

Osredus, Alfredo defuncto Northumbriæ Rex creatus fuit, Anno Christi septingentesimo quinto. Ioannes Patricius Exarchus cognomento Rizocopus, Paulum Diaconum, & Vicedominum, Petrum Arcarium, Sergium Abbatem, & Sergium Ordinatorem, cruenta cæde, Romæ sustulit, Anno

Christi septingentesimo nono, Iustiniani sexto. *Anastasio teste.*

Rodericus, seu Rudericus, Vuitiza Hispaniarum Rege sublato, Regnum suscepit, Anno Christi septingentesimo decimo, Iustiniani Imperatoris septimo; Princeps ad grandia quæque, atque augusta natus. Magna siquidem illi, tum corporis, tum animi bona inerant; maximarumque virtutum non adumbrata, sed expressa, illustriaque insignia; corpus enim laborum, inædiæ nimirum, vigiliæ, frigoris æstusque patientia duratum; animus vero audax, magna expetens, liberalitatis laude celebris, ingenijque, ad versandos hominum animos, ac magnarum rerum tractationem, industria singulari. Has tamen eximias virtutes, regiaque ornamenta, ingentibus vitijs, cum primum ad Imperium accessit, adæquauit; iniuriarumque memoria, libidinis intemperantia, atque actionum imprudentia, Vuitizæ propior, quam patri, maioribusque. Pelagium sanguinis propinquitate coniunctum, ab exilio reuocatum, Cohorti prætoriæ præfecit, quo magistratu, supremus aulæ honor continebatur. *Lucas Tudensis, & alij.*

VIRI ERVDITI.

Vilfridus Ripponensis in Septentrionalibus Angliæ partibus natus, Rhetor, Poëta, Arithmeticus, Astronomus, & in Græcis disciplinis cultissimus, Alfridum Regem summa eruditione illustrem discipulum habuit; *Beda teste, lib. 3.* pleraque scripsit, quæ temporum iniquitate periere.

Eguuinus Vuiccius natione Anglus Regumque Merciorum sanguine ortus, Princeps non vulgari doctrina percelebris, *vt refert Bercenaldus Archiepiscopus Cantuariensis, & alij Angliæ scriptores.*

Heddias Stephanus, multiplici litteratura præstans, pauca quidem composuit, sed terso, & eleganti stylo; *vt vult Pitheus.* Artuillus Scotus librum vnum de rebus mathematicis scripsit, alium vero ad Asdelmum Episcopum. *Ita Baleus.*

Eremita Britannus incerti nominis, in Cantabria genitus, Historiarum, & Astronomiæ litteras impense coluit; librumque de Rege Arthuro, eiusque rebus gestis, atque alium de

mensa rotunda contexuit. *Plura de eo habet Vincentius in Historiali speculo.*

Ioannes Beuerlacius, vir Græcis, ac Latinis litteris insigniter excultus, magno apud omnes in pretio fuit; præsertim apud Alfridem Northumbrorum Regem.

Egidius Philosophus Græcus, præter multa alia opuscula quæ edidit, librum de pulsu metrico, & alterum de veris, nobis reliquit. *Auctore Philippo Bergamensi.*

Tobia ex illustri familia in Cantio natus humanioribus litteris perpolitus, Græcam latinamque linguam adeo perfecte à Theodoro Græco, & Adriano Afro didicit, vt vtramque æque ac natiuam, calleret. *Beda lib.* 5. Inas insuper Anglorum occidentalium Rex, multiplici eruditione clarus, floruit hoc tempore.

Vuiniber, seu Vuimbertus patria Deirus, optimarum litterarum studijs, apprime instructus, Vuimfredique viri doctissimi magister, Grammaticam, *Poësim*, aliaque permulta, summa cum laude docuit, *vt placet Othono.*

Felix Cronlandensis in Anglia Mediterranea ortus, vir summæ famæ apud peritos, Rhetor, Poëtaque insignis fuit, vt eius elegantes, atque eruditæ elucubrationes palam testantur, & quas Vualfrido Abbate impellente, & Cissa præsbytero in lucem dedit, Anglorumque Orientalium Regi Alfualdo dedicauit.

OPERA PVBLICA.

Palatium prope Cordubam, suburbanis in locis, aliaque ædificia, regijs sumptibus extructa, muniri, augerique, ac magnis exornari operibus, curauit Rudoricus Hispaniæ Rex, Anno Christi septingentesimo decimo, Iustiniani Rhinotmeti Imperatoris septimo, *vt refert Lucas Tudensis.*

CALAMITATES.

Triennio à creatione Constantini summi pontificis, fames magna per Romanam vrbem longè, lateque grassata est, Anno Christi septingentesimo octauo, nono, ac decimo. *Coccio teste.*

RES BELLICÆ.

Barbari in Flandriam irrumpentes, Anno Christi septingentesimo primo, varijs eam deprædationibus infestarunt, omnesque pene colonos, atque indigenas, ferro peremerunt, *vt asserunt scriptores Flandriæ.*

Gisulphus Beneuentanus Dux, ditionem Romanam magna populatione incursauit, Anno Christi septingentesimo secundo, Tiberij Absimari Imperatoris sexto; Soramque Latij Coloniam, ad caput Liris fluminis, sitam; Arpinum item vrbem Ciceronis patriam, in Samnitibus, & in eodem flumine collocatam occupauit. Graue, sub idem tempus, qui in Foroiuliensibus erant bellum cum Histris gessere. Multæ variæque clades vtrinque illatæ, & acceptæ, prædæque abactæ, *vt vult Diaconus lib. 5.*

Iustinianus Rhinotmetus Bulgarorum armis fretus, Constantinopolim magnis se contulit itineribus Anno proximo, Christi scilicet quingentesimo tertio; postque aliquot obsidionis dies, ciuitatem per aquæductum ingressus, magnas hostium strages edidit, omniaque cæde, ac sanguine impleuit. *Ita Græcorum Annales.*

Aripertus secundus ducto, in Rhotarit Bergomensium Ducem, & Luithpersum Cuniperti filium, ingenti exercitu, collatis signis prospere deleuit, Anno Christi septingentesimo quarto, Iustiniani Rhinotmeti Imperatoris primo; Italiamque iamdiu, atrocissimis Longobardorum bellis, fœdissimè quassatam, pacatam omnino reddidit. *Ado, & Anastasius.*

Iustinianus Rhinotmetus Imperator, rupto cum Bulgaris fœdere, quorum opera Imperio potitus fuerat, armis eos lacessere non est veritus, Anno Christi septingentesimo sexto, principatus sui tertio, Bulgariamque affecisset cladibus, ni Trebellius eorum Rex, bellica arte illustris, obuiam progressus, ipsum è suis eiecisset Regni finibus, aduersoque prælio, Byzantium continuo repetere coegisset; victus tamen, atque inglorius Imperator, crudele bellum in Chersonenses suscepit, Anno Christi septingentesimo decimo, principatus sui septimo; Ducesque suos in illos, cum ingenti classe, immisit.

Theophanes, Cedrenus, & alij.

OBITVS ILLVSTRES.


Egica Hispaniæ Rex, Toleti morbo sublatus fuit, Anno Christi septingentesimo primo, Tiberij Absimeri Imperatoris quinto. *Lucas Tudensis.* Paulus Cantabriæ Dux Theofredi germanus, & Gothorum sanguine progenitus, Vuitizæ Regis iussu, obtruncatus perijt.

Ioannes cognomento Platina, Italiæ Exarchus, fatis concessit sub idem tempus. Cunipertus vero Longobardorum Rex diem supremum obijt, Anno Christi septingentesimo tertio, Tiberij Absimari Imperatoris septimo.

Ragembertus eiusdem gentis Dux clarissimus, Imperio mensibus aliquot, potitus decessit. Aldfredus Northumbrorum Rex desijt, Anno Christi septingentesimo quinto, Iustiniani Rhinotmeti Imperatoris secundo, *teste Beda.* Sequenti autem Trasimundus Spoletanus Dux.

Anno denique Christi septingentesimo nono Theophilactus Italiæ Exarchus è viuis abreptus; Vuitiza insuper monstrum potius quam Rex, vitam exuit. De eius Tyrannico in Hispania Imperio, *Lucam Tudensem consule, & Vasæum, aliosque Hispaniæ Scriptores.*





DECAS SECVNDA.

IVSTINIANI RHINOTMETI Imperatoris Gesta, & Obitus.

ÆGrè ferens, quod in Chersonensium strage (de qua supra egimus) paruulorum ab cæde milites se abstinuissent, nouam, in illos delendos, classem, eò direxit, Anno Christi septingentesimo vndecimo, principatus septimo; Eliamque Spatarium, atque Philippicum cognomento Bardanem, ex Insula Cephalenica, in quam relegati fuerant, reuocatos, toti classi præfecit. Verum cum illos noua apud Chersonem moliri accepisset, Duces alios in eorum locum suffecit, qui dolosè ciuitatem ingressi, confestim à plebe, Philippicum Bardanem acclamante, interfecti fuere. His de rebus certior factus Iustinianus, Eliæ filium, in sinu matris extinxit, eamque Coquo Indo, ignominiæ causa, in vxorem dedit, cuius rei pœnas non multo post luit, crudeliter ab Elia enecatus eodem Christi anno, *Theophanes, & alij Græci Historici.*

ICON

IVSTINIANI RHINOTMETI Imperatoris.

IVstinianus secundus, Heraclianæ stirpis vltimus, Constantino Pogonato patre mortuo, Imperium annos sexdecim natus, magna motum, & fortunæ varietate, administrauit; parilique leuitate, & impotentia publicam rem pessumdedit. Iusto, æque ac fœlici prælio, quandiu pius, Iberos, Albanos, aliasque orientis nationes profligauit. In Hæresim vero prolapsus, Sergiumque Romanum Pontificem suo aduersan-

tem errori, insidijs prosecutus, infenso vsus est supremo numine. Madraitas, vnicum Sarraceni nominis terrorem, roburque Imperij, è Libano, maximo totius Italiæ damno, non solum amouit, sed etiam pacem cum ijsdem Sarracenis initam, pari stoliditate, Sclauorum fretus auxilijs, dissoluit; à quibus destitutus, partam iam victoriam, turpi corrupit fuga. Quo ex tempore, Mahumet Arabum Princeps, Romanos fines impune euastauit. Ad eam autem bellicis in rebus, consilijsque temeritatem, crudelitatem, ac rapacitatem domi adiungens, in populare odium incurrit, ciuitatique inuisus, à Leontio Duce, quem in vinculis habuerat, comprehensus, præcisis naribus, vnde Rhinotmetus cognominatus, in Chersonesum, relegatus fuit. Postea tamen decennali exilio perfunctus, Bulgaricis armis, Imperium, Leontio, atque Tiberio Absimaro Augusto, iugulatis, recepit. Dein rupto cum Bulgaris fœdere, pœnas suorum clade atque ignominia, grauiter luit. Iniurias tamen Constantino summo Pontifici illatas meritis compensare studuit, magnisque, Constantinopolim accitum coluit honoribus. Tandem Philippico à Chersonensibus, in quos immaniter desæuierat, salutato, Elia dextera, fœdo exitu, perijt.

PHILIPPICI BARDANII IMPERATORIS Gesta, & Exilium.

Philippicus Bardanius, seu Bardanes, Iustiniano Rhinotmeto Imperatore obtruncato, eiusque filio Tiberio, adhuc puero, crudeliter iugulato, rerum potitus, Imperium stolide, ac negligenter rexit; collectasque à Iustiniano opes, nimijs impensis, profudit. Pulso Cyro, viro optimo, magnisque virtutibus insigni, Byzantijque Antistite; Ioannem Hæreticum, ac impium hominem, qui ei Imperium prædixerat, ad sedem Constantinopolitanam euexit. Sextam Synodum abrogauit. Monothelitarum Hæresim, quam summè coluit, restaurauit. Sanctorum statuas, atque imagines è sacris ædibus euerti, eradique curauit. Quam ob rem, ab omnibus explosus, dirisque impetitus, nulla exhinc, vel eius, vel Imperij mentio, in re diuina, publicaue, aut priuato actu, Constantini Pontificis iussu, facta fuit; Deumque impietatis suæ vltorem expertus est. Exacto siquidem anno, & mensibus sex, Equestrique dato certamine, à suis in conuiuio oppressus, oculisque, ac Regno priuatus, in exilium pulsus fuit, *vt scribit Paulus Diaconus lib. 6.*

Theophanes tamen, & Zonaras asserunt illum annos duos, & menses aliquot, Imperium tenuisse.

ANASTASII SECVNDI, *Imperatoris Gesta.*

Augustus, Philippico Cæsare expulso, acclamatus, Anno Christi septingentesimo decimo tertio, nihil antiquius habuit, quam se, rectæ fidei cultorem profiteri. Ea propter, Ioanne Hæretico turpiter è sede eiecto, Germanum Episcopum, Iustiniani Patricij filium, sanctitate, atque doctrina illustrem, Cyzico Constantinopolim transtulit; Classemque contra Sarracenos Christiani nominis hostes, qui Rhodum Insulam, ad ligna Cypressina, conficiendis nauibus, incidenda appulerant, magno apparatu instruxit. Verum exorta, in exercitu, Ioanne Duce interfecto, seditione, ac Theodosio Adramiteno tributorum exactore, reluctante licet, atque inuito, à militibus, Imperatore renuntiato, rebus suis diffisus, accepta fide, Imperijque insignibus depositis, Monachum apud Thessalonicam egit, sibique imperare, reliquo vitæ tempore assueuit.

THEODOSII ADRAMITENI *Imperatoris Gesta.*

Athanasio Augusto, monasterium ingresso, ad Imperium militaribus suffragijs euectus fuit, Anno Christi septingentesimo decimo quarto; Byzantiumque sexto mense obsessum, proditione occupauit; vir tantis naturæ dotibus ornatus, vt omnibus, obscuro licet progenitus loco, gratus, acceptusque fuerit; ad rerum tamen administrationem, tractationemque, Regni præsertim, minime idoneus.

Diuorum imagines, à Philippico Imperatore sublatas, templis omnibus restituit, summeque coluit. Certior vero factus de insidijs, quas Leo Isauricus orientis præfectus ei parauerat, belli ciuilis pertæsus, sponte cessit Imperio; sacrisque cum filio suo initiatus, quietiorem multo, quàm in ipso principatu, vitam transegit. *Theophanes, Cedrenus, & alij.*

LEONIS ISAVRICI IMPERATORIS Obitus.

Theodosio Imperio exuto, Reipublicæ habenas moderandas suscepit, Anno Christi septingentesimo decimo sexto, indictione decima quarta, non autem anno sequenti, indictione decima quinta, *vt vult Theophanes*, à cuius opinione recedere nos cogit Epistola Gregorij secundi Pontificis ad Leonem Imperatorem, qua ipse affirmat, se accepisse, ab eodem Augusto, Epistolam, indictione decima quarta. His accedit, quod omnes auctores qui de Theodosio egerunt, asserant illum non biennio rexisse, nec eius Imperium prorogatum fuisse ad annum sequentem, sed vnico anno principatum tenuisse; eaque-propter Leonem imperare cepisse, Anno Christi septingentesimo decimo sexto. Eius vero imagines, quæ Laurata nuncupantur, summis honoribus Romæ acceptæ fuere, eodem tempore. Quadriennio autem post Constantinum filium suum infantulum vix annuum, Augustum appellauit, magnoque cum apparatu inaugurari à Germano Constantinopolitano Patriarcha voluit. *Græcorum Annales.*

DAGOBERTI SECVNDI FRANCORVM Regis, Gesta & Obitus.

Totus in luxu, Commessationibus, ac fœminarum cœtibus fuit; hæc siquidem principatus sui præmia maxima reputabat. Quare è viuis inglorius decessit, Anno Christi septingentesimo decimo quinto, Regnique sui quinto, *vt referunt Historici.*

CHILPERICI FRANCORVM REGIS, Gesta & Obitus.

Dagoberto Principe funerato, Chilpericus, Daniel antea cognominatus, regiæque haud satis compertæ familiæ, ad Sceptrum è cœnobio vocatus fuit, Anno Christi septingentesimo decimo quinto.

Biennio post Caroli, Pipini filij præfecturam pertæsus, Raginfredum, seu Remanfredum ei suffecit; dein cum Radbodo Frisiorum Rege fœdus inijt.

Paulo post vero varijs prælijs à Carolo deuictus, Regno exutus fuit, Clotario in nouum Regem electo; quo mortuo, Anno Christi septingentesimo decimo nono, in Imperium iterum, ab eodem Carolo restitutus fuit, summisque honoribus, ac muneribus donatus, *vt vult Fregarius.* Obijt autem anno principatus sui quinto, Christi vero septingentesimo vigesimo.

THEODORICI SECVNDI FRANCORVM Regis Gesta.

Chilperico defuncto, Theodoricus secundus, Dagoberti filius, cognomento Cola, Caroli, aliorumque principum votis, regio ornatur nomine, Francorumque res administrandas suscepit, Anno Christi septingentesimo vigesimo, *vt referunt Franciæ Scriptores.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Elias, vir clarissimus, naualisque exercitus Dux, à Iustiniano Imperatore; contra Chersonenses creatus, signa in eum tulit; immo ira accensus quod filium suum, in sinu matris confodisset, ipsamque coniugem Coquo natione Indo, in vxorem dedisset, propria dextera Augustum obtruncauit, Anno Christi septingentesimo vndecimo. *Theophanes, & alij.*

Petrus, Romano Ducatu, à Philippico Cæsare Monothelita, auctus, à populo, Christophorum veterem Ducem, salutante, exploditur anno sequenti; *vt vult Anastasius, in Constantino.* Ex quibus disces, Romanam Rempublicam, illis temporibus, per Duces, ab Augusto, ad illam missos, gubernari consueuisse, Ducatumque Romæ dici solitum.

Ariperto Longobardorum Rege sublato, eodem Christi Anno septingentesimo duodecimo, Ansprandus iustitiæ fama

celebris successit. Filius vero illius Luitprandus (quem inscriptiones antiquæ Leutbrandum nominant) Rex, annuente patre, renunciatus fuit, vt patet ex eius edicto de legibus Longobardorum, lato pridie Kalendas Martij, anni proximi, vbi primum Regni sui annum iunxit cum indictione vndecima, quæ incipit mense Septembri huius anni. Hic vt refert Oldradus Episcopus Mediolanensis, in Epistola ad Carolum Magnum, Alpium Cottiarum donationem, ab Ariperto, Romanæ Ecclesiæ factam (in quibus ciuitas etiam Ianuensis, & quidquid ab ea vsque ad Galliarum fines continebatur) fide solemni confirmauit, anno principatus sui primo. *Paulus Diaconus.*

Rodericus, seu Rudericus Visigothorum in Hispania Rex vltimus, odium, quod in Vuitizam Hispanijs olim imperantem; iam à multis annis hauserat, in Furmatum, & Erpulionem, ipsius filios, ex Hispaniæ finibus, magno cum dedecore expellens, profudit, Anno Christi septingentesimo decimo tertio, Anastasij Imperatoris primo. Hi ad Iulianum Tingitanæ in Africa prouinciæ, quæ sub Gothorum erat Imperio, Comitem, Vuitizæ patris familiarem, & Roderico principi, ob vim filiæ illius, virgini, cognomento Cauæ, ab eo illatam, infensissimum hostem confugerunt, facesque ipsi ad proditionem maturandam subdiderunt. Quare Francis actutum, ac Sarracenis accitis, funesta in caput Regis moliti sunt. *Lucas Tudensis, Vasæus, & alij.*

Eudo Aquitaniæ Dux, diuturnum cum Carolo Martello Francorum Principe bellum habuit.

Scholasticus, triennio post Ioannis Patricij Rizocopi Exarchi cædem, quo tempore Italia sine Exarcho fuit, eadem dignitate donatus est, Anno Christi septingentesimo decimo quinto, *vt vult Sigonius.*

Mordacus vir pietate, ac prudentia clarus, Eugenij sexti, ex fratre Ambikerleto nepos, Scotorum regimen cepit anno sequenti. *Leslæus.*

Raginfredus seu Remanfredus, Pipino è sua aulæ præfectura eiecto, & in ordinem redacto, Maior domus constituitur, Anno Christi septingentesimo decimo septimo, Leonis Isaurici Imperatoris secundo. Hic multis prælijs à Carolo Marcello

Martello deuictus, præmente, die, nocteque hoste, eius tandem fidei se commisit, à quo Equitum Magisterio priuatus, venia, Andibus, seu Andegauis, ad quos confugerat, ne priuatam degeret vitam, donatus fuit, *vt placet Paulo Æmilio, Roberto Gaguigno, & alijs.* Quidam tamen referunt captum eum, securi, Caroli iussu, percussum fuisse.

Zulciminus, Abdimeleti filius, Vlitidi Sarracenorum Regi successit, eodem Christi Anno septingentesimo decimo septimo, nouaque in Constantinopolim ciuitatem regiam, Masalmo, & Aumure Ducibus, molitus est, *Bizaro teste.* Zulcimino autem fato absumpto, Aumar acclamatus fuit, Anno Christi septingentesimo decimo octauo; diraque clade in Byzantii obsidione perculsus, vini vsum genti suæ, expiationis gratia, inhibuit; tum Christianos sibi subditos, à fide, vel blanditijs, vel supplicijs auocare impensè studuit. *Theophanes, & alij.*

Pelagius, vera Regum Gothorum Soboles, ex patre Fauilla, Duce Cantabriæ, à Vuitiza Hispaniarum principe, interfecto, Rex Legionensis, omnium Asturum suffragijs, creatus fuit, sub idem tempus; deuictisque B. Virginis ope Sarracenis, grande sibi apud omnes principes, nomen fuit.

Gizidus Abdimeleci filius, Aumaro defuncto, Imperium obtinuit, Anno Christi septingentesimo vigesimo, Leonis Isaurici Imperatoris quinto. *Theophanes, Bizarus, & alij.*

Carolus cognomento Martellus, Pipini Maioris domus Franciæ, iam demortui, ex Alpaide pellice nothus, eiusque hæres constitutus, atque Austrasiæ Dux, è carcere, in quem à Plectrude, legitimo eiusdem Pipini coniuge, Theobaldi Magistri equitum, ex Dragone, nepotis opibus subnixa, & memoria mariti freta, detrusus fuerat, elapsus, iuuentutem confestim ornauit, victorijsque inclytus, Chilpericum profugum, ex Aquitania reuocauit, Regnoque restituit; dein eo vita functo, Theodoricum salutauit; Palatijque præfecturam adeptus, cuncta arbitrio suo peregit, soloque Regis nomine abstinens, Franciam, Austrasiamque fœliciter rexit. *Ita Paulus Æmilius, Ado, & reliqui.*

VIRI ERVDITI.

Vuithredus Anglus bonarum litterarum cultor strenuissimus, summusque Mathematicus, plurima scripsit, quæ ipsa temporum vel absumpsit iniquitas, vel antiquauit antiquitas, vel ipsa posteris inuidit vetustas. *De eo fusè Beda.*

Cimbertus illustribus, in Merciorum Regno natus parentibus, virtutumque, ac scientiarum ornamentis splendidè insignitus, quædam nobis docta, eruditaque opera reliquit, inter quæ habetur compendium suæ gentis, & liber vnus Epistolarum ad Bedam. *Pitheus.*

Tatuuinus patria Mercius, vir eruditione non vulgari instructus, multa tùm sacra, tùm profana; soluta, strictaque oratione composuit, quæ Danorum furore interciderunt. Hæc tamen versibus Heroïcis conscripta accepimus, carminum scilicet librum vnum varij generis, & alium Ænigmatum. *Auctor citatus.*

NATALITIA AVGVSTA.

Constantinus Leonis Isaurici Imperatoris filius, natus est, Anno Christi septingentesimo decimo nono. Hic cum sacra, à Germano Constantinopolitano Patriarcha ablueretur aqua, lauacrum excremento inquinauit ex quo Copronymus dictus fuit. *Zonaras.*

REGNORVM OCCASVS.

Nobilissimum Visigothorum Regnum, quod trecentis amplius annis floruerat, Hispania, à Sarracenis occupata, corruit, Anno Christi septingentesimo decimo octauo, Leonis Isaurici Imperatoris tertio. *Lucas Tudensis.*

REGNORVM ORTVS.

Tempore quo impietas armata, per vniuersam Hispaniam impune vagabatur, furorque, & audacia passim volitabant, ac res communes propemodum desperatæ erant, nouum Re-

gnum ab Asturibus Hispaniæ populis, Sarracenorum, seu Maurorum iugum detrectantibus, Pelagio Rege omnium ordinum consensu electo, in perpetuum fundatum fuit, Anno Christi septingentesimo decimo octauo. *Auctor citatus.*

OPERA PVBLICA.

Cracouia Poloniæ vrbs amplissima, caputque, atque decus totius Regni, extructa fuit hoc tempore à Croco Rege, ac sedes regia, Gnesna relicta, ab eodem constituta, *vt vult Vapouius, aliÿque rerum Polonicarum scriptores.*

PRODIGIA.

Luna, à prima, ad tertiam noctis vigiliam, sanguineo colore suffusa apparuit Romæ, Anno Christi septingentesimo decimo septimo, Leonis Isaurici Imperatoris secundo. Crinita insuper stella, terrifico aspectu, cauda ad arctum obuersa. *Bizarus de rebus Persicis.*

CALAMITATES.

Tiberis fluuius alueum egressus, ita ad omnium stuporem creuit, Anno Christi septingentesimo decimo septimo, vt per Flaminiam portam, vrbi effusus fuerit; auctæque via lata restagnantes aquæ, staturam hominis, ac semis exæquarint; enauigataque tota intercapedo, à Miluio ponte, ad Vaticanam ædem, septenos dies intra, extraque vrbem, iacuerunt, omnia diluuio obruta fuere, cum fœda domorum, hominumque strage, *vt testatur Beda de sex ætatibus, & Anastasius.*

Pestis item ingens totam fere regiam ciuitatem Constantinopolim, eodem anno depasta est. *Periere siquidem in ea, vt scribit Paulus Diaconus*, trecenta hominum millia.

RES BELLICÆ.

Vlit Sarracenorum in Africa Rex, Iuliani Comitis, ac filiorum Vuitizæ ductu, Tarifium Strabonem vnum ex Ducibus

exercitus sui, cum viginti quinque millibus electorum militum; in Hispaniam præmisit. Hic Anno Christi septingentesimo decimo tertio, Anastasij Imperatoris primo, illam ingressus, ferro, atque incendio deformauit. Sanctius autem Roderici Regis Sobrinus certior de ijs factus, continuo in hostes, ad eorum primos conatus infringendos, aduolauit. Verum vt erat ex colluuione plebis, & subitario delectu exercitus conflatus; neque enim vigor corporibus inerat, nec ardor animis, quin immo lentum, ac deforme agmen, solis impatiens, puluerisque, ac tempestatum; nec vlla disciplina militaris; fluxa arma, segnesque Equi; cumque primum castra castris locata fuere, aduerso semper marte pugnatum est; Sanctioque cæso, Gothorum exercitus partim deletus, partim fuga dissipatus fuit. Barbari vero victoria elati, Bœticæ, ac Lusitaniæ agros fœdè depopulati, non pauca oppida, ipsamque vrbem Hispalim, vt erat mœnibus, ac munitione nudata, facile suæ ditionis fecere, *vt refert Rodericus Toletanus, & alij.* His peractis Rodericus Rex ignominiæ delendæ cupiditate inflammatus, rerumque suarum periculo prouocatus; eos omnes quorum ætas idonea erat, ad signa, ex vniuersa ditione, magnis propositis supplicijs, nisi parerent, euocauit. Hac facta denuntiatione; numerosa hominum multitudo, quæ supra centum ad minimum hominum millia fuisse fertur, conuenit. Rex cum tanto exercitu, Bœticam profectus est, hostemque nactus ad Cæsarianum in planicie, quam Lethes amnis interfluit, castra posuit. Ardebat vterque exercitus pugnandi desiderio. Mauri tot victorijs, ac proximo belli successu elati. Gothi autem pro salute, libertate, patria, liberis, ac coniugibus, vitam discrimini offerre non dubitabant. Vtræque acies ad bellum instructæ, belli signum expectabant, cum Gothi eorumque Rex Rodericus, eburneo sublimis curru, Gothorum Regum more, & intertexta auro veste conspicuus, ad tubæ sonitum in hostem feruntur. Mauri tympanis æneis, ad certamen, more gentis, incensi, impetum fortiter sustinuerunt; ingens vbique clamor. Primo fundis, iaculis, & omni telorum genere, pugnatum. Dein gladijs res peracta, vtrinque acriter dimicatum, & ad multam diem, prælium anceps fuit, neutro victoria inclinante. Mauri tamen pene

moti, fugam respectare videbantur, cum Oppes Hispalensis Episcopus incredibili scelere, dissimulataque perfidia, ad hostes cum suorum manu, in ipso pugnæ ardore transfugit, Iulianoque Comiti, qui validum Gothorum agmen ducebat, coniunctus, victoriam hosti peperit. Regij enim improuisa suorum proditione perculsi, & continenti totius diei pugna fessi, fractique animis, recentem impetum non tulerunt; cumque omni parte ingenti cæde sternerentur, terga verterunt; tametsi Rex prima in acie pugnans, non Ducis magis, quam militis partes impleret. Veritus tamen rebus iam ad extremum desperatis, ne viuus in hostium potestatem veniret, è curru desiliens, in equum Orelium nomine, quem ad omnes casus paratum habebat conscendit, seque è pugna subduxit. Eo nudati præsidio Gothi, qui in acie perstabant, pars trucidati, pars fuga salutem quæsierunt; castraque, atque impedimenta momento temporis capta. Cæsorum numerus non proditur præ multitudine. Tunc Gothorum nomen extinctum, virtus bellica, præteriti temporis fama, Imperium denique, quod trecentis amplius annis floruerat, à feroci, atque immani gente compressum, euersumque fuit. Cæterum hoc secundo prælio, octo continuis diebus, ijsdem vestigijs dimicatum; octauo vero, dominico scilicet die, tertio idus Nouembris, D. Martini festo, vt ex Aluenchensi Chronico colligimus, Anno Christi septingentesimo decimo quarto, totis vtrinque viribus, atque copijs pugnatum est.

Cumana arx à Longobardis, Beneuentano Duce, dolo occupata, strenue Neapolitanorum ope, recepta fuit anno sequenti. Desiderati autem fuere ex Longobardis præsidiarijs, trecenti circiter, triginta vero capti, sicque iniuria illa, non minus pie, quam fortiter vindicata; *vt scribit Anastasius, & Paulus Diaconus.*

Theobaldus aulæ Franciæ præfectus, & Raginfredus, seu Ramanfredus, atrox inter se prælium, ad Syluam Cocciam, commisere, eodem Christi anno, cruentoque Marte pugnaest. Theobaldus autem, multis suorum millibus cæsis, aufugit.

Sarraceni, seu Mauri Hispania maiori ex parte potiti, Astigim vrbem, ciuium frequentia, & mœnium munitione vali-

dam, tùm etiam Legionem, Sueuorum olim regiam aulam, annonæ difficultate, atque fame laborantem, Toletumque Iudæorum proditione, ceperunt. Reliquas amplissimas huiusce Regni ciuitates, ne nimius sim, prætermitto, quæ eadem belli flamma corruptæ, periere; *vt vult Lucas Tudensis.* Proximo autem Masalma Duce, in Asiam minorem profecti, Pergamum occuparunt, Byzantiumque terra, marique, magno cum exercitu, ingentique classe, triennio obsessum, Zulcimini ductu, gnauiter oppugnarunt. Dei tamen Genitricis ope, vt Græci auctores tradunt, vrbs Diuæ Virginis studiosissima, ita protecta fuit, vt innumeræ hostium copiæ, quà lue absumptæ; quà fluctibus haustæ, interierint. Anno denique septingentesimo decimo octauo, Leonis Isaurici Imperatoris tertio, domita omnia in Hispania, Sarracenorum armis, desertaque sine præsidio, sine consilio, sine viribus; Diuinum numen, Diui Tutelares, Pelagij viri spectatissimi virtus, atque prudentia tutata sunt. Inermem enim aciem, & ipso fluctuantem timore, hosti, tantis victorijs ferocienti, obijcere, cum temerarium fore iudicaret; militibus cæteris per vicina loca dissipatis; delectos tantum ex omni copia, mille viros retinuit, seque cum ijs in Ausenæ montis speluncam, locis spaciosam condidit; Dein commeatum multos in dies comparauit, telaque, atque arma, vt si latebræ patefactæ essent, obsidionem sustinere, & si casus ita ferret, ex eruptione, etiam pugnare cum hoste, posset. De ijs certior factus Malsama militiæ Magister, magnique nominis Dux apud Mauros, continuo ad speluncam se contulit, cuius derepente aditus, omni telorum genere, & lapidum procella quassatus fuit, in quo vis numinis propitij, infensi vero hostis apparuit; Sagittæ siquidem, lapidesque missi, reflecti in iacientes visi sunt, ipsosque Barbaros reuoluta in auctores tela vulnerare, trucidareque. Tanto prodigio hostes attoniti, Christianis non mediocri victoriæ spe nixis, pugnandi ardor incessit; erumpunt è latebris pauci, eluuie corporum fœda acies, prælium magnis animis inuadunt; hostes autem incussa diuinitus formido debilitauit; continuoque in fugam versi, cæsi supra viginti millia fuere; reliqui ex Ausenæ montis fastigio, quod fugæ initio occuparant, in Libanensem agrum delati, ad Deuæ fluminis

ripam, prope prædium, cui ab euentu, vt arbitror, Causegaudiæ nomen fuit, montis vicini parte ſponte conuulſa ab imo, atque collapſa, in ſubiecti fluminis aquas præcipitarunt. Strages armorum, atque oſſium, ijs in locis effoſſæ, retectæque, eo præſertim tempore, quo hibernis pluuijs augentur aquæ, ripaſque excedunt, diu cædis indicio fuiſſe memorantur. Pauci cladi ſuperfuere. Alſama ſeu Alchama in pugna perijt. Oppes, Hiſpalenſis Præſul in poteſtatem venit, de eoque ſupplicium, more militari, ſumptum fuiſſe; etſi Hiſtorici ſileant, ſcelerum magnitudo indicat. Munuſa tantæ victoriæ nuntio perculſus, & Gegionis oppidi, terreſtri licet, marinoque ſitu firmiſſimi, munitionis diffiſus, ob alienatas ciuium voluntates, fuga euadere conatus, ad Olaliem vicum, ferro incolarum occubuit. Eius cæde, non publicæ tantum iniuriæ vindicatæ, ſed etiam priuatus Pelagij dolor, ex accepta ignominia, mitigatus, nihilque de victoriæ lætitia diminutum, ſi cuius crudelitate irritati arma ceperant, incolumis euaſiſſet. *Ita Hiſpanici Scriptores.*

Carolus Martellus, à Rabodo Friſiorum Rege profligatus, Anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo ſeptimo, non ceſſit tamen malo, ſed cladem in experimentum virtutis vertens, ex infœlici rerum initio, ſumpta audacia, reſtaurato celeriter exercitu, incautos hoſtes, & incompoſitos, ita fœliciter aggreſſus eſt, vt diſperſi cupiditate prædæ, & onere ſarcinarum graues, velut vincti cæderentur. Inde cum altero dignitatis æmulo Rumanfredo, pari fœlicitate, in agro Cameracenſi, congreſſus, magna ſtrage edita, hoſtem, cum Chilperico in Auſtraſiam compulit.

Eudo Aquitaniæ Dux, in ſocietatem conſiliorum, armorumque à Chilperico adſcitus, & ab Auſtraſianis ſignis, in Campania, collatis, deuictus; Chilpericum Regem cum Gaza in ſuperiorem Aquitaniam duxit, victorique Regem cum Gazæ parte reddidit, reliquo auro, & pace contentus.

Rebus in Gallia compoſitis, iræ ciuiles, in Saxones aſſiduos, & quaſi anniuerſarios Francorum hoſtes, qui rebellionem captauerant, conuerſæ ſunt, vt patebit in ſequenti decade. Carolus Martellus id in animo reputans, nihil ad victoriam eſſe expeditius, quam hoſtem in ſuo veluti conatu opprimere, dum

illum adhuc obiectæ difficultates, & iactata suorum consilia distinent.

REI INSIGNES.

Iulianus Comes Hispanici Regni proditor, & filij duo Vuitizæ Hispaniarum quondam Regis, eiusdem criminis conscij, Sarracenorum Regis iussu obtruncati fuere, Anno Christi septingentesimo decimo octauo, Leonis Isaurici Imperatoris tertio. *Lucas Tudensis, Vasæus, & alij.*

OBITVS ILLVSTRES.

Ioannes Patricius cognomento Rizocopus Italiæ Exarchus, Tyrannum agens à Rauennatibus interemptus fuit, Anno Christi septingentesimo vndecimo, Iustiniani Imperatoris octauo, *vt vult Onuphrius.*

Aripertus Longobardorum Rex vita functus est anno sequenti, vt patet ex Francorum Chronico, ad leges saluas antiquitus scriptas addito; anno autem principatus sui octauo, non vero duodecimo, *vt asserit Paulus Diaconus.*

Biennio post, Christi scilicet Anno septingentesimo decimo quarto, Rodericus Visigothorum in Hispania Rex, acriter contra Sarracenos depugnans, in acie, vlciscente supremo numine, occubuit, *vt volunt aliqui.* Alij tamen scribunt illius equum, regiaque insignia in volutabro quodam, reperta fuisse, tamen nunquam inuentum. Verum apud Viseum Portugalliæ ciuitatem, extat etiamnum ipsius monumentum, cum hoc Epitaphio.

[HIC IACET RODERICVS GOTHORVM REX VLTIMVS. MALEDICTVS FVROR IVLIANI, QVIA PERTINAX; ET INDIGNATIO, QVIA DVRA; VESANVS FVRIA; ANIMOSVS FVRORE; OBLITVS FIDELITATIS; IMMEMOR RELIGIONIS; CONTEMPTOR DIVINITATIS; CRVDELIS IN SE; HOMICIDA IN DOMINVM; HOSTIS IN DOMESTICOS; VASTATOR IN PATRIAM; REVS IN OMNES; MEMORIA EIVS, IN OMNI ORE AMARESCET; ET NOMEN EIVS IN ÆTERNVM PVTRESCET.] *Ita Ioannes Vasæus.*


Pipinus, Franciæ aulæ præfectura annos viginti septem perfunctus,

perfunctus, summaque rerum gestarum fama illustris, magno omnium procerum dolore, supremum diem obijt, eodem Christi anno, Carolo Martello hærede relicto. *Paulus Æmilius, Gaguinus, & alij.*

Conredus, seu Colredus Merciorum Rex funesto perijt exitu, Anno Christi septingentesimo decimo sexto; Leonis Isaurici Imperatoris primo. Inferorum enim pœnis ob ingentia scelera, quibus obstrictus fuerat, damnatus fuit, rediuiuo homine teste, *vt scribit B. Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus, & Martyr, in Epistola ad Eudebergam Virginem scripta, de admirandis huiusce hominis rediuiui reuelationibus.*

Eugenius septimus Scotorum Rex, & Ambikerleti germanus, desijt sub idem tempus. Proximo autem anno Vlit Sarracenorum Rex: Dein Zulciminus eiusdem gentis Princeps, anno emenso. Aumar vero illius successor, ac Rabodus Frisiorum Rex. Raginfredus insuper, seu Ramanfredus, Maior quondam domus Franciæ, obiere Anno Christi septingentesimo vigesimo.





DECAS TERTIA.

LEONIS ISAVRICI IMPERATORIS Gesta.



Anichæos, tumultus in Armenia, motusque varios concitantes fortiter compressit, Anno Christi septingentesimo vigesimo secundo, principatus sui septimo. Iudæos vero sacra intingi aqua imperauit.

Quadriennio post, edictum contra sacrarum imaginum cultum sanciuit, *vt patet ex actis Stephani iunioris, ex Zonara, & Manasse.* Bibliothecam Constantini, trecentis ac tribus librorum millibus ornatam, virosque summa eruditione præstantes, quibus illius cura demandata fuerat, flammis absumpsit. Gregorij summi Pontificis Legatos, nulla iuris gentium ratione habita, non solum exilio mulctauit, sed etiam mori coegit; immo ipsi Gregorio necem inferre tentauit. Quam ob rem Romanos, totiusque Italiæ populos, tùm Barbaros tùm Aborigenes, ipsius imperium detrectantes, funeste in se armauit. Eius Larrata euersa, deturpata, diffractaque. Rauenna Longobardis dedita, Æmilia, Pentapolis, & Auximana ciuitas.

Fictam de Damasceno, natalitijs, & sanctitate illustri viro, ad Sarracenorum Regem, apud quem ipse Damascenus, multum pollebat gratia, Epistolam scripsit, Anno Christi septingentesimo vigesimo octauo, principatus sui decimo tertio; qua vrbem se proditurum spondebat. His ira accensus Princeps, Damasceni dexteram confestim amputari iussit. Verum detecta fraude, odium in caput suum conuertit.

Fœdus sequenti anno cum Luithprando Longobardorum Rege pepigit, auxiliaresque copias, ad Spoletanum, Beneuen-

tanumque Ducem debellandos spopondit. Germanum denique Patriarcham, blanditijs diu frustra tentatum, è sua sede vi expulit, plagisque, atque contumelijs affectum, patrio solo eiecit, Anno Christi septingentesimo trigesimo. *Theophanes, Cedrenus, Anastasius, & Paulus Diaconus.*

THEODORI SECVNDI FRANCORVM Regis Gesta.

Rem Francicam sub Caroli Martelli regimine prospere administrauit, variasque insignes victorias, domitis, cæsisque Regni sui hostibus, obtinuit, *vt referunt Annales.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Gizid Sarracenorum Rex leuitate summa, ac moribus impurissimis, Iudæi cuiusdam, nomine Serantanpici impulsu, qui ei, modò Imperij sui sacras imagines, vel in parietibus expressas; vel in tabellis depictas; vel in vasis cælatas; vel in ornamentis, filo serico, aureoque intextas; vel ex ære, Ebore, & marmore sculptas; vel ex auro, aut argento conflatas eradi, euerti, diffringi, atque comminui iuberet, longæuam vitam, triginta scilicet, immo vt volunt aliqui, quadraginta annorum spoponderat, impiam, ac sceleratam legem, in eas condidit, Anno Christi septingentesimo vigesimo tertio. Verum haud multo post, tanti criminis pœnas luit, *vt testatur Theophanes.* Ina Occidentalium Saxonum Rex in Britannia, magna cum prudentia, atque æquitate, genti suæ sub idem tempus imperabat, *ita Beda.*

Paulus Exarchus, Scholastico reuocato, in Italiam à Leone Imperatore missus, Gregorio summo Pontifici insidias struxit, Anno Christi septingentesimo vigesimo quarto. Oleus Hippatus, Vrsinus dictus, in locum Marcelli demortui Venetorum Ducis subrogatus fuit anno sequenti. *Coccius, Volaterranus, & alij.*

Carolus, Pipini ex Alpaide pellice nothus, & à viribus

martijs cognomento Martellus, naſcendi infamiam, magnis virtutibus, aboleuit, eodem Chriſti anno. Sarracenos ſiquidem, (Peltrude patris coniuge in ordinem redacta) abundanti multitudine in Aquitaniam effuſos, & ab Eudone eiuſdem prouinciæ Duce, ab Hiſpania, cum eorum Principe Abdemara, euocatos, multis prælijs deuicit; conſulatuſque inſignibus à Gregorio ſummo Pontifice auctus, cum eo fœdus inijt, Anno Chriſti ſeptingenteſimo vigeſimo ſexto, Leonis Iſaurici vndecimo; Mortuoque Eudone, Aquitania, expulſis illius filijs, potitus eſt. *Ita Pithæus, & appendix ad Gregorium.*

Eutichius, Italiæ Exarchus creatus eſt, Paulo interfecto. Cedulphus vero Northumbriæ Rex ſalutatus, Oſrito, ſeu Oſrico defuncto, *vt vult Beda.* Hun demum regia ex ſtirpe progenitus, Codoualla Romam petente, purpuram in Anglia ſumpſit.

Theodo Bauariæ Dux voti reus in vrbem, eodem Chriſti Anno ſeptingenteſimo vigeſimo ſexto profectus eſt; filiamque ſuam Guntrudam nomine, Luithprando Longobardorum Regi, in vxorem dedit. *Paulus Diaconus.*

Tiberius noua moliens in Tuſcia, Imperium occupare tentauit, ſed infœlici exitu, oppreſſus enim fuit, cæſuſque, Anno Chriſti ſeptingenteſimo vigeſimo nono, *vt placet Anaſtaſio, & alijs ſcriptoribus.*

Luithprandus Longobardorum Rex Romam oppugnans ſub idem tempus, Gregorij Pontificis oratione flexus, obſidionem ſoluit, Apoſtolorumque templa ſupplex, militaribus exutis ornamentis, adijt. Dein innoxium exercitum, in ſua reduxit, *Auctor citatus.*

VIRI ERVDITI.

S. Beda cognomento Venerabilis natione Anglus, vir omni eruditionis genere illuſtris; fuit ſiquidem Poëta, Rhetor, Philoſophus, Aſtronomus, Arithmeticus, Muſicus, Coſmographus, Hiſtoricus, & Mathematicus, totumque orbem, orbis licet in angulo natus, doctrina ſua, *vt vult Guillielmus Molmeſberienſis in 10. lib. de geſtis Anglorum*, illuſtrauit, dedit vero in lucem de creatione ſex dierum librum vnum. De ſitu, &

mirabilibus Britanniæ librum vnum. De temporum ratione librum vnum. Epiſtolarum ad diuerſos, librum vnum. De natura rerum librum vnum. De temporibus librum vnum. De ſcriptoribus Eccleſiæ librum vnum. Epitomen Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Anglorum. De cyclo, luna, calendario. De diuiſionibus temporum librum vnum. De argumentis lunæ librum vnum. De computo librum vnum. De mundi cæleſtis, & tereſtris conſtitutione. De circulis Sphæræ, & polo. De planetarum, ſignorumque ratione. De tonitru ad Herenfridum, libellum. Pronoſtica temporum. De menſura Horologij. De Aſtrolabio. De minutione ſanguinis. De ſeptem miraculis. De ratione computi. De elementis Philoſophiæ libros quatuor. Sententias, ex omnibus Ariſtotelis operibus, collectas ordine Alphabetico. Sententias item ex omnibus Ciceronis operibus. De muſica Theorica. De muſica practica. De Arithmeticis numeris librum vnum. Dialogum de computo. De Arithmeticis propoſitionibus. De ratione calculi. De loquela per geſtum digitorum. De ratione vnciarum. De natura iterum rerum, & ratione temporum, libros duos. De quatuor difficilibus librum vnum. De duodecim lapidibus pretioſis librum vnum. Chronicon ſui cœnobij. Breuiarium Chronicorum. Cunabula Grammatices ex Donato. De arte metrica, de Syllabarum quantitate. De Ortographia. Epigrammatum verſu Heroïco, librum vnum. Sequentia inſuper opera quidam illi adſcribunt. De ſitu orbis. De topographia mundi. De ponderibus. De menſuris. De imagine mundi. De naturis beſtiarum. De ſimilitudinibus, & differentijs vocabulorum. Multa etiam alia partim tranſtulit, partim compoſuit, tùm anglice, tùm latine; tùm ſtricta, tùm ſoluta oratione.

Ioannes Damaſcenus, vir ſummæ doctrinæ, floruit hoc tempore. Scripſit autem librum vnum de Logica; alium de Phyſica. Hiſtoriam Barloam, & Ioſaphati. Librum item vnum de centum Hæreſibus, & dialogum aduerſus Manichæos.

REGNORVM ORTVS.

Aragoniæ Regni initia, à Duce Garſſa Ximene, ex veteri

Gothorum prosapia, sumpsisse, Anno Christi septingentesimo vigesimo septimo, Leonis Isaurici Imperatoris vndecimo, *asserit Tarafa.* Pulsis enim inde Sarracenis, principatum sibi, posterisque parauit. Nos tamen ad Annum Christi millesimum decimum quintum, aut millesimum decimum sextum, transferimus.

OPERA PVBLICA.

Anglorum Schola, Inæ Occidentalium Saxonum Regis impensis, splendidè extructa fuit, Anno Christi septingentesimo vigesimo tertio, Leonis Isaurici Imperatoris octauo. *Auctore Mathæo Vuestmonstariensi.*

PRODIGIA.

Densus, igneusque vapor, Thecam inter, & Theresiam Insulas, ex profundo mari, tanquam ex ardenti altera fornace, diebus aliquot abunde erupit, æstiuo tempore, Anno Christi septingentesimo vigesimo sexto, Leonis Isaurici Imperatoris vndecimo; totque grandes pumices; per vniuersam minorem Asiam, Lesbum, Abidum, & maritima Macedoniæ transmisit, vt maris superficies tota pumicea videretur. Adde insuper ex hisce igneis fluctibus, Insulam ex varia terræ congerie enatam, confestim prodijsse, seseque Insulæ sacræ appellatæ coniunxisse. *Ita Theophanes, & Græcorum Annales.*

Duo denique Cometæ diram illam, quam Sarraceni Gallijs intulere cladem prænuntiantes, duorum mensium spatio, apparuere, Anno Christi septingentesimo vigesimo nono, Leonis Isaurici Imperatoris decimo quarto; Horum vnus orientem antecedebat solem; alter vero occidentem subsequebatur. *Ita Auctores huiusce temporis.*

CALAMITATES.

Pestis atrox totam vrbem regiam Constantinopolim crebris funeribus deformauit. Periere enim, Anno Christi septingentesimo decimo sexto, Leonis Isaurici Imperatoris vndecimo, trecenta hominum millia, *vt refert Paulus Diaconus lib. 6.*

RES BELLICÆ.

Saxonas, Bauarosque rebellantes ad pacem compulit Carolus Martellus, Anno Christi septingentesimo vigesimo quarto, Isaurici Imperatoris nono, repressit item fœliciter Germanos.

Eudo Regnum Franciæ sub idem tempus inuasit. Sed compositis rebus, regressus Carolus illum fugauit. Dein Sarraceni domitores Orientis; Africæ Domini, Hispaniarumque victores, ab Eudone Caroli Martelli hoste ex Hispania in Aquitaniam acciti, Galliam omnem in anceps periculum adduxere anno proximo. Pauor enim vndique, & trepidatio; aduersus tamen huncce timorem, non dimisit animum Francia; nihilque Martellus trepide, temereque egit, sed forti animo, summoque consilio, omnia administrans, tota Gallia delectum habuit; Omnisque nobilitas in armis fuit, nullo non dante nomen, tanti incendij restinguendi studio; monitoque Eudone, quantum in se, suosque, atque supremum numen, sceleris consisceret, satiusque multo esse, si simultatum memoriam patriæ charitati, & Religioni condonaret. His exorato, & in gratiam restituto Eudone, fortior Martellus hosti obuiam processit. Iamque Barbari euastata Burdegala, incenso, ad oceanum mare, agro; dirutisque templis; Vasconiam emensi; Engolismensium, Santonum, atque Petrachoriorum oppidis euersis, in Pictonum fines progressi, Regionem vberrimam, opulentamque omni clade infestarunt. Amplissima demum Turonum ciuitas S. Martini opimo fano, lætissima cæli, atque agri facie nobilis, & vbi spirant identidem fauonij, atque austri, tuncque Aquitaniæ contributa, proximo periculo erat. Cum Martellus eò aduolans, transmisso Ligeri, qui ex aduerso vrbis ponte iungitur, castrisque ad vrbem positis, oppidanos ingenti cura liberauit, & vt omnem fugæ viam præcluderet, non nisi victoribus laxari ciuitatis portas, palam edixit. Ad quarum conspectum Sarraceni ora, membraque torridi, atque perusti, promissa barba, capiteque linteis turrito, in omnemque feritatem compositi, in certamen prodeuntes, Francos pene exterruere, verum Martelli vultu, &

oratione confirmatis animis, atrox pugna inita est. Barbari multitudine præualebant; causa, virtute, at pugnandi scientia, superior Francus. Dato itaque pugnæ signo; Eudo, vt erat constitutum, castra hostium, ex improuiso, adortus est; tùm à tergo in pugnantes irruit. Martellus humana specie, eo die, maior, ordines circumuolans, fulminis instar, omnia peruadentis, ac disiicientis, rapitur. Haud alias tam alacrem viderunt Franci, & vultu eius interrito, certam victoriæ spem augurantes, strenuè dimicabat. Nec fefellit omen; quippe ob contumacem vtrinque, quatuor fere horarum, conflictum, cum anceps diu stetisset victoria, tandem inclinata Maurorum acie, immanis Barbarorum strages edita fuit, & multitudine militum, & splendore Ducum. Pleni cadaueribus campi conspiciebantur; trunci artus, perfossa ferro pectora, terga, ac latera vulneribus lacera, visceraque disiecta. Quidam integri, ictu clauarum, vel in mortem sopiti, vel animam agentes cernebantur. Tellus cruore atra, & nudatis corporibus longe, lateque contecta. Fama est ad tria septuaginta quinque Barbarorum millia, eo prælio cecidisse. Lætitiam auxit eorum Rex Abderama, inter coaceruatos cadauerum cumulos, repertus, suo, ac suorum sanguine conspersus; desiderati vero è Francis vix mille centum. Tantulo Christiani sanguinis impendio, tanta de Barbaris victoria constitit, Anno Christi septingentesimo vigesimo sexto, Leonis Isaurici Imperatoris vndecimo, *vt testantur Pithæus, Paulus Diaconus, Paulus Æmilius, Appendix ad Gregorium Turonensem, Anastasius Bibliothecarius, & alij.*

Malsama Sarracenorum Princeps amplissimam Cappadociæ vrbem, Cæsaream à Tiberio Augusto, pulso Archelao, nominatam, cum antea Masacra diceretur, expugnauit, sub idem tempus, *Auctore Eusebio.*

Luithprandus Longobardorum Rex, Rauennam, destructa classe, occupauit, breui tamen à Venetis expulsus fuit, & Exarchus restitutus. *Ita Anastasius.*


Anno vero Christi septingentesimo vigesimo septimo, Leonis Isaurici Imperatoris duodecimo, Cycladum Insulani Ægæi maris, & Helladici, Agaliano, & Stephano Ducibus, arma in Leonem Augustum vertere, regiamque vrbem, arte omni


omni bellica, atque impetu, oppugnare aggredientes, à Byzantijs deleti penitus fuere, incensa eorum classe, *vt scribit Theophanes.*

Sarracenorum Amiræ duo, Amer nimirum, quindecim millium armatorum ductor, & Muhauias octoginta quinque, Nicæam Bithyniæ metropolim varijs irruptionibus inuaserunt, æstiuo solstitio eiusdem anni, sed irrito conatu. Tum infesta signa in Constantinopolitanam vrbem intulere, eamque grauiter afflixere; solutaque obsidione, magna præda, ex exuuijs acta, recessere. *Auctor citatus.* Frisij vero terrestri bello è continenti expulsi sunt à Francis; Rhenique Insulæ expugnatæ.

Visigothorum bellum, quod maiorum memoria extinctum penitus credebatur, enatum est, Anno Christi septingentesimo vigesimo octauo, & sequenti propagatum. Hualdus siquidem, & Vaifarus, Eudonis Aquitaniæ Ducis iam fato functi filij, Narbonensem Prouinciam sollicitantes, ac in primis eos Visigothorum populos, qui antea Gothicani, nunc autem Occitani vocitantur, à Francis sæpe deuictos, perpulere, vt Francicum bellum susciperent, nec defuturos socios, qui Francos armis opprimerent. Adfuere Gallicis Visegothis, Sueuorum, Alenorum, Vandalorumque reliquiæ, quorum maiores, Stelicone impellente, tot ante ætatibus Galliam euastarunt, atque in Hispaniam irruperunt, eamque sibi, ac liberis occuparunt. Sarraceni insuper ad delendam ignominiam, pœnasque expetendas, in Gallias rursus descenderunt. Itaque belli terrorem Rheno transmisso circumferentes, Delphinatum, Sabaudiamque depopulati sunt, & quidquid in fide Francorum erat, diripuerunt, diruerunt, incenderunt. Non viris, non mulieribus, non pueris, non senibus parcitur. In templa auro, ornamentisque nudanda, & solo æquanda, vis, auaritiaque desæuijt. Vienna Allobrogum ciuitas clarissima, & vbi etiamnum extant non pauca antiquæ nobilitatis monumenta, ægrè defensa fuit; parumque abfuit ab vltimo exitio, Lugdunum; cætera circum fœdata, nudumque vel ruinis cumulatum solum. Dein in Burgundiam progressi, Matisconem, Cabillonem, Augustodunum, Belnam, Diuionem, Antisiodorum, aliaque oppida vi expugnarunt, expilaruntque, ac

vigeſimo nono , Leonis Iſaurici Imperatoris decimo tertio. Tiberius Tyrannus in Tuſcia cæſus fuit, *vt vult Anaſtaſius Bibliothecarius.*





DECAS QVARTA.

LEONIS ISAVRICI IMPERATORIS Gesta.



Filiam Chaiani Chazarorum Regis, Constantino Copronymo nato suo, in vxorem dedit, Anno Christi septingentesimo trigesimo secundo, principatus sui decimo septimo. Hæc Christianis initiata mysterijs, Irene nuncupata fuit, summaque animi magnitudine, atque constantia, fidem, sacrarumque imaginum cultum, viro licet, soceroque obnitentibus, tueri nunquam destitit. Romanæ item Ecclesiæ apud Siciliam, & Calabriam patrimonium, fisco addixit idem Princeps; Siculisque, ac Calabris, graue vectigal imposuit. Mares denique, vt quondam Pharao de Hæbræis sanxerat, adscribi iussit; ingentemque classem aduersus Iudæos, Romanosque instruxit, quam tamen fœdissima, mari in Adriatico, tempestate iactatam perijsse fama est. *Ita Cedrenus, Theophanes, & Græcorum Annales.*

THEODORI SECVNDI FRANCORVM Regis, Gesta & Obitus.

Gallia, ab hostilibus Sarracenorum copijs, omnia, longa populatione euastantibus, Maioris domus ope, liberata, supremum obijt diem, Anno Christi septingentesimo trigesimo quinto, principatus sui decimo quinto, Leonis vero Isaurici Imperatoris vigesimo, *vt referunt Historici.* Post hunc autem interegnum fuit annorum circiter septem, quibus vertentibus, vt dicetur infra, postremus Merouei posterorum, Childericus purpuram induit.

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Eutichius Italiæ Exarchus Ducem in Æmiliam, ad Rauennam occupandam, magnis itineribus misit, Anno Christi septingentesimo trigesimo primo, Leonis Isaurici Imperatoris decimo sexto, *vt vult Sigonius.*

Ethfinus, Eugenij septimi filius, Mordaco Scotorum Cæsare defuncto, publica omnium acclamatione inauguratus fuit. *Leslæo teste.*

Carolus Martellus Theodorici secundi Francorum Regis aulæ præfectus, Galliam Narbonensem supremo fauente numine à Sarracenorum incursionibus fœliciter vindicauit, eodem anno Christi. Sequenti vero fœdus cum Longobardis, misso ad id in Italiam filio, inijt. Anno demum Christi septingentesimo octauo, Sarracenos è prouincia expulit, eamque ad Francorum iura redire coegit, *vt testantur Annales.*

Mallamas, Persarum Regis Dux Sarracenus, victus nupere à Turcis, è Caspijs portis, metu perculsus, pedem retulit, Anno Christi septingentesimo trigesimo secundo, Leonis Isaurici Imperatoris decimo septimo. *Miscella.*

Luithprandus Longobardorum Rex Gregorium nepotem suum, Romualdi Beneuentani Ducis iam extincti præfectura donauit. *Paulus Diaconus.* Biennio post Pommonem Ducem, Foroiuliensi Ducatu priuauit, quia aspere nimis Patriarcham Aquiliensem tractasset, ea tamen dignitate Rachisium Pommonis filium ornauit. Anno vero Christi septingentesimo trigesimo nono, soluta, quâ Romam cinxerat obsidione, siue Caroli Martelli auctoritate, siue rei difficultate victus, regressus est. Proximo demum, ingentem rursus, ex superbissimo delectu, durissimaque conquisitione, collectum exercitum, in eandem vrbem, cuius auxilio Trasamundus in Ducatum suum restitutus fuerat, properanter conduxit, *vt scribit Anastasius Bibliothecarius.* Abdemelicus pulsis Sarracenis, Cordubense Regnum in Hispania occupauit, Anno Christi septingentesimo trigesimo quarto, Leonis Isaurici Imperatoris decimo nono.

Fauilla Princeps, morum magis leuitate mobilis, quàm clarus; Pelagio patre Legionensis principatus Rege demortuo, rei administrationem procerum omnium suffragijs assumpsit, Anno Christi septingentesimo trigesimo sexto, Leonis Isaurici Imperatoris vigesimo primo. Hic venationi maxime deditus priuatas voluptates, publicis omnibus rebus, potiores habuit. *Vasæus.*

Tiberius quidam à Sarracenis, sub idem tempus, captus in Asia Iustiniani filium sese dictitans, magnis honoribus ab eorum Rege cultus fuit, Anno Christi septingentesimo trigesimo septimo. *Cedrenus.*

Ceolulphus Northumbrorum Rex monachum induens, Egbertum principem summæ pietatis virum, in Regem elegit, *vt refert Beda in Epitome.*

Dominicus Leo, in locum Vrsini Venetorum Ducis, ob beneficiorum ingratam obliuionem occisi, subrogatus fuit eodem Christi anno, cum annuo tamen, atque ob id, nouo magistratu. *Ita Venetorem Annales.*

Alfonsus, siue Aldefonsus, ex Reccaredi Gothorum Principis familia ortus, bellique, ac pacis artibus, splendide instructus, animique constantia, ac perpetua rerum gestarum fœlicitate admirandus, cultor denique Religionis eximius, vnde illi Catholici nomen accessit, quod Reccaredo olim Regi in Toletano Episcoporum conuentu acclamatum fuerat; Fauilla sine prole funerato, Legionensis Rex in Hispania, totius gentis lætitia, publicoque bono renuntiatus fuit, Anno Christi septingentesimo trigesimo octauo, Leonis Isaurici Imperatoris vigesimo tertio, *vt testatur Lucas Tudensis, & alij.*

Felix dictus Cornicula, militiæ Magister à Venetis creatus fuit. Trasamundus, Spoletanus Dux, defectionem à Luithprando Longobardorum Rege, moliens, ad Gregorium summum Pontificem confugit eodem anno: sequenti vero, Christi scilicet septingentesimo trigesimo nono, Leonis Isaurici Imperatoris vigesimo quarto, Ducatu suo, ex quo erectus fuerat, Romanorum ope, potitus est.

Theodatus, seu Adeodatus, Erecleanus ciuis, Vrsi quondam Ducis filius, ab exilio reuocatus, Felici Corniculæ Venetorum Duci suffectus fuit eodem tempore. Ciuitas enim Ve-

neta, paterni odij oblita, vt leuiter multitudo amat, & odit, ad fastigium tantæ dignitatis extulit.

Inas Occidentalium Saxonum Rex, sanctissimas leges apud Angliam sanciuit, quas improba posteritas antiquauit. Hic rerum humanarum tædio affectus, Regnum Ethellardo consanguineo suo, quem antea hæredem fecerat, tradidit, Anno Christi septingentesimo quadragesimo. *Polydorus Vergilius, & alij.*

VIRI ERVDITI.

Acca, siue Accas Hagustaldensis natione Anglus, vir mirabili eruditionis varietate ornatissimus, reique litterariæ studiosissimus, nobilissimam apud Hagulstadium Bibliothecam, Latinorum, Græcorumque Doctorum scriptis, vndique conquisitis construxit, suarumque lucubrationum accessione adauxit, illustrauitque, *ita Pithæus.*

Lesbuinus magnæ doctrinæ vir, multa vt patet ex varijs Historijs, & Egloga Ecclesiastica eruditè composuit. Luthbertus Geruicius liberalium artium fama percelebris, omnia Bedæ opera vnum in ordinem digessit *vt refert Lelandus.*

Pelguinus Northumbrensis scripsit ad Bedam Epistolarum librum vnum, alterum vero ad eruditos monachos, pluraque alia quæ Danorum rabie periere. Hemonleus Anglus librum vnum de rebus mathematicis contexuit. *Auctore citato.*

Iglacus vir ingenij fœlicis, varijsque rerum cognitionibus apprimè instructus, floruit hoc tempore, multaque in lucem edidit. *De eo plura Etheluolfus Poëta illustris, & Lelandus.*

Iulianus Diaconus natione Græcus, & in vtraque lingua non impar, Hispaniæ antiquitates, Pelagijque gesta prosecutus est. *Vrbanus Toletanus Præsul.* Euantius Archidiaconus, & Fredoarius Episcopus viri præstantes, in ea rerum caligine, velut stellæ inter obscuræ noctis tenebras, sapientiæ laude emicuere. Iis æqualis fuit Ioannes Hispalensis, plures siquidem libros lingua Arabica donauit; Arabicæ enim linguæ vsus multus erat, tùm apud Christianos, tùm apud Mauros, latina vero passim ignorabatur.

OPERA PVBLICA.

Abathaminus Califa, hoc est Maurorum Rex illustrissimus, & Abdemelici nepos, vrbem amplissimam Cayrum dictam, immensis sumptibus, magnifice condidit, ornauitque hoc tempore, *vt placet Guillielmo Tyrio lib.* 19. Regiæ item ciuitatis Constantinopolitanæ muri, terræ-motu prostrati, restaurati fuere, tributo imposito, Anno Christi septingentesimo quadragesimo. *Theophanes, Cedrenus, & alij.*

CALAMITATES.

Totus Oriens vehementer contremuit, Anno Christi septingentesimo quadragesimo, Leonis Isaurici Imperatoris vigesimo quinto. Thracia in primis, atque Bithinia. Vrbes complures solo æquatæ, funditusque excisæ. Nicomediæ, & Nicææ clades ingens accidit; Nicææ quidem præter vnicum templum omnia corruere. Byzantium collapsis mœnibus; Magni Constantini statua, quæ supra Attali porta splendide eminebat, vna cum ipso Attalo, & Arcadij titulo, penitus attrita; Maioris Theodosij simulachro, quo porta aurea mirifice ornabatur, in terram afflicto; ædificiorum demum, hominumque strage maxima, mirum in modum deformatum fuit. Porro hæc ingens terræ succussio, anno fere integro, subinde veluti reuiuiscens, grassata est. Nec omittam mare decumanis suis fluctibus agros omnes eodem anno euastasse, *vt testantur Theophanes, cæterique Græcorum scriptores.*

RES BELLICÆ.

Sarraceni iterum ab Eudonis liberis Huualdo, & Vaifaro, quos in pænam nouæ rebellionis, Ducatu Aquitaniæ exuerat Martellus, inuitati; simulque acceptæ nupere cladis memores (vt tenax est iniuriarum memoria, quod enim offendit nunquam obliteratur) in Galliam non minori, quam superioribus annis, numero, Athimo, siue Anthimo, præcipuo Barbarorum Rege, Visigothorumque insuper, Vandalorum, aliorumque

aliorumque reliquijs aucto, irrupere, Anno Christi septingentesimo trigesimo primo, Leonis Isaurici Imperatoris decimo sexto. Adfuit Francis Luithprandus Longobardorum Rex, cum validis gentis suæ auxilijs; Lonfredus quoque Alemannorum nobilissimus, & Odillo Bauarorum Dux præstantissimus, cum popularium manu festinanter aduenere, egregiamque nauauere operam. Duæ veluti arces delectæ à Barbaris fuere; Auinio nimirum, & Narbo. Fœda rerum facies, & colluuies rerum miserabilis. Verum res Francica Martelli virtute stetit fœliciter. Auinio Cauarum Vrbs, quam Rhodanus fluuius alluit in primis ampla, & nobilis, à Mauritio Massiliæ Comite prodita, per Childebertum Martelli fratrem, vi capta, hostium stragem vidit maximam; cætera incendijs, ruinis, deprædationibusque fœda. Non minor ad Narbonem clades Sarracenos accepit, Amorheo alio Barbarorum Rege, media in acie acriter depugnante, cæso. Tunc enim renouato Francorum clamore, non pugna fuit, sed cædes; ira siquidem, furor, rabies, sitisque cruoris passim grassata est. Quique è cæde euasere, eorum alij, dum in vlteriorem contendebant fluminis ripam, graues ornatu, armisque, rapti gurgitibus periere. Alij in paludes delati voraginibus, profundoque limo, hausti fuere. Alij vero cum suorum classem, in alto stantem prospicerent, salo se commisere. Omnes denique internecione ita deleti, vt nullus in prælio, rerum perditarum nuntius domum redierit. Athinus vero Rex, & qui cum eo, Narbone obsessi fuerant, comperta per exploratores, suorum fortuna, repetita classe, Gallia recessere. His peractis, Carolus Narbonem, Agathem, & Naumasum combussit, Biterrasque Septimanorum coloniam nobilem. *Pithæus, & alij.*

Barbari ex Aquilone in Flandriam deuecti, cuncta cædibus, atque incendijs corripuere; vrbes muris exutæ; agri vbique vastati, infinitaque hominum vis, ferro, flammisque consumpta fuit, Anno Christi septingentesimo trigesimo sexto, Leonis Isaurici Imperatoris vigesimo primo, *vt referunt Annales Flandriæ, & alij Historici.*

Sarraceni eodem anno, atque proximo, Asiam magnis excursionibus afflixere. Anno vero septingentesimo trigesimo octauo, Leonis Isaurici Imperatoris vigesimo tertio, è Pro-

uincia regione, quam occupauerant expulsi fuere; *Paulus Æmilius.*

Maiori tumultu, atque animorum pertinacia, mota Africa, Anno Christi septingentesimo trigesimo nono. Belgius siquidem Abembexius, magni inter Mauros nominis Dux, aduersus Icamum Meramamelinum, hoc est credentium principem, populares concitauit: cupiditas enim dominandi, iusta plerisque inferendi belli causa creditur.

Luithprandus Longobardorum Rex, noua defectionis in Trasamundum Spoletanum, & Vmbriæ Ducem, cum quo paulo ante in gratiam redierat, iniuria prouocatus, irarum plenus (fit enim furor patientia sæpius læsa) ingenti armorum vi, Vmbriam inuasit sub idem tempus. Spoletum vi cepit, & quidquid vrbium Trasamundo fuerat. Ipse autem fuga dilapsus, publica fide accepta, Romam se contulit, quam breui obsidione cinxit, sed conatu irrito. Quare in vrbes, ac mancipia quæ in Pontificis, Romanorumque fide erant, omnem belli impetum vertit. Tum celeri victoria Ameriam, Ortam, Bleram, & Polymartium occupauit; moxque lares suos mense augusto, Anni Christi septingentesimi trigesimi noni, indictione septima repetijt, *vt scribit Anastasius*, à quo tamen multa prætermissa inueniuntur, & inter alia deprædatio Basilicæ S. Petri in Vaticanis collibus, extra mœnia positæ, cui olim Gothos hostes, Arrianos licet, pepercisse accepimus, in illam tamen ipse miles suos omnia impie, infandeque diripientes immisit. Trasamundus autem haud multo post, collectis copijs, Romanoque fauente milite, Spoletanum Ducatum recepit. Qua de re certior factus Luithprandus ingentem iterum reduxit exercitum, totamque populatus est Campaniam.

REI INSIGNES.


Abdemelicus Sarracenus, vir nobilissimus, suæque superstitionis æmulator maximus, rei male gestæ in Hispania reus postulatus, causam suam è vinculis dixit, è quibus solutus, ad Imperium iterum euectus fuit. *Mariana.*

OBITVS ILLVSTRES.

Mordacus Scotorum Rex, pacis, iuſtitiæ, pietatiſque cultor eximius, deſijt Anno Chriſti ſeptingenteſimo trigeſimo primo, Leonis Iſaurici Imperatoris decimo ſexto, principatus vero ſui decimo item ſexto. *Leſlaus.*

Pelagius Legionenſis Rex in Hiſpania annis grauis, & rebus geſtis illuſtris, Canciæ vita functus eſt, Anno Chriſti ſeptingenteſimo trigeſimo ſexto, Leonis Iſaurici Imperatoris vigeſimo primo. Sequenti autem Vrſinus Hippatius tertius Venetorum Dux crudeliter ob ingratitudinis labem interfectus fuit. *Coccius, & alij.*

Anno denique ſeptingenteſimo trigeſimo octauo, Leonis Iſaurici Imperatoris vigeſimo tertio, Fauilla Pelagij filius, & Legionenſis Rex, ab vrſo quem inter venandum auidius perſequebatur, dilaniatus fuit nulla prole relicta, *vt refert Mariana*





DECAS QVINTA.

LEONIS ISAVRICI IMPERATORIS Gesta, & Obitus.



MAgnum tributum, ad restaurandos vrbis Constantinopolitanæ muros terræ-motu collapsos imponens, graui intestinorum dolore correptus fuit, nec multo post obijt, Anno Christi septingentesimo quadragesimo primo, principatus sui vigesimo primo decurrente. *Theophanes, & alij.*

ICON

LEONIS ISAVRICI IMPERATORIS.

LEo in Isauria obscuro genere natus, Cononque antea dictus, primis Imperij sui annis, Sarracenos vastata Asia, & expugnato Pergamo, Byzantium obsidentes, magna eorum strage repulit. Tiberium in Sicilia Tyrannum cæcidit. Occidentem varijs bellorum tumultibus quassatum pacauit, impiusque impium cum Deo, diuisque bellum gerens, Christi, ac Deiparæ effigiem, Iudæis auctoribus, in foro concremauit, minaci edicto proposito, in eos qui sacras imagines colerent. Huius decreti fama Iconomachi cognomen ei indidit, Romanosque, Campanos, Rauennates, & Pentapolitanos, suo ab Imperio abripuit. Quam ob rem furore accensus, ingentem, contra rebelles classem immisit, Romamque per Exarchos, ac Luithprandum Longobardorum Regem, cum quo fœdus inierat, opprimere conatus est. Princeps scelestus, crudelis, ac mortalibus iuxta atque immortalibus infensus, eoque perniciosior, quod Constantinum filium ipso deteriorem, hæredem reliquerit.

CONSTANTINI QVINTI COPRONYMI Imperatoris Gesta.

Leone Isaurico defuncto, solus imperauit, patrisque æmulus edictum contra imaginum cultores affigi iussit. Tum in Arabes, seu Sarracenos mouit, Alexandriam inuasurus. Verum certior factus de Artabasdo cognato suo, nouo Augusto Byzantij salutato, classe in vrbem reducta, Anno Christi septingentesimo quadragesimo secundo, illam vi cepit. Dein Artabasdum in ordinem redactum, excæcari curauit, atque in Hippodromum, seu Equestres ludos, magno cum apparatu editos, produci, aliosque eiusdem rebellionis auctores, varijs affici supplicijs.

Mox rebus compositis, accepto nuntio, Rauennæ Exarchatum, Zachariæ Pontificis opera, à Luithprandi inuasione exemptum; prædia quædam, quæ iuris erant Imperij, ad Pontificem demerendum, atque in fide officioque continendum, Romanæ Ecclesiæ concessit; ciuesque, quos nimia sæuitia exterruerat, delinire, ac deterrere, omni arte, impense studuit. *Theophanes, Cedrenus, & alij.*

CHILDERICI TERTII, SEV CHILPERICI Francorum Regis Gesta.

Childericus, Theodorici secundi Francorum Regis frater, & Merouæi posterorum vltimus, Regnum suscepit Anno Christi septingentesimo quadragesimo secundo, stupidoque, ac remisso animo, Scenici Principis, & in contemptum populorum prolapsi personam sustinens principatum rexit. *Ita Auctores qui res Francicas prosecuti sunt.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Artabasdus Armeniæ præfectus, & Leonis Isaurici Imperatoris gener, Annam siquidem eius filiam, in vxorem duxe-

rat; suspectus tamen à Constantino Copronymo Imperatore, ipso principatus initio detectis illius insidijs, arma in eum vertit, Theodorum Patricium vrbis præfectum in suas attraxit partes, prolataque de cæso Constantino, contra Arabas profecto, fama, ab omnibus acclamatus, Byzantium magno cum applausu ingressus est, captosque Imperatoris filios, cæsos, ac tonsos carceri mancipauit. Verum paulo post ab ipso Constantino profligatus, & in ordinem redactus, effossis oculis, cum filijs suis, exilio damnatus fuit, Anno Christi septingentesimo quadragesimo tertio. *Theophanes.*

Carolo Martello, viro inclyto, & omni gloria percelebri, duo filij successere, Carolomanus scilicet, princeps virtutis summæ, & Pipinus Imperio dignus. Illi Orientalis Franciæ pars, cum Sueuia, siue Alemannia, & Thuringia obuenit, impenseque ad Religionem propagandam incubuit; contra Saxonas mouit, eosque mira fœlicitate attriuit. Integra ætate, rebusque florentissimis Soractem petiturus, Anno Christi septingentesimo quadragesimo septimo, dein Cassinum montem, vt Monachum ageret, hæredem Pipinum fratrem suum constituit, *vt testantur Pithæus, Sigebertus, & Lambertus.* Pipino vero Burgundia, Prouincia, Neustriaque cessit, rebusque præclare gestis, tantam apud Francos expectationem sustinuit, vt nullus fuerit, quin illum, regio dignum fastigio, existimarit. Ipse autem recte factorum conscientia gaudens, & fœlici de se omnium iudicio (vt mortalium animi, in rerum maximarum spem sunt proni,) regium nomen non dissimulanter affectare cœpit. Childericus siquidem Rex, vita ignauus, inconditis moribus, Clodouæi Magni hæres degener, Solioque, ac sceptro indignus videbatur. Et vero, quantæ in Pipino, patri simillimo, virtutes enitebant; tanta Childerici contemptio habebatur. Sicut enim augetur, & crescit quidquid in honore est, ita deficit, & minuitur quidquid in contemptu. *Fredegarius, Paulus Æmilius, & alij.*

Ægidius Caroli Martelli tertius filius sacris initiatus, Rothomagensium Antistes fuit. Griffo denique eius frater adolescentia ferox, cum ei nulla paternæ hæreditatis pars obtigisset, suadente matre Sunathilde, OdonisBauariæ Ducis nepte, nihil non agebat, quo Franciam, Pipini fratris moderatione,

quietam perturbaret, viri ad erumpendum promptissimi animos compescuit aliquandiu, impar aduersus fratrem factio; sed contineri diutius inquies animus & naturâ ad varios excitandos motus, pronus non poterat. Intercepto itaque Laudano, (gallice Laon) in finibus Picardorum, hostem se fratribus, ea arce fretus, professus est; victus autem captusque, carceri mancipatus, è quo quadriennio post elapsus arma iterum sumpsit, in quem Pipinus aduolans eò impulit, vt se maternæ ditionis finibus continuerit; leuiter tamen, neque enim ijs, veluti deterioris fortunæ experimentis edoctus conquieuit Griffo, cui in pace durius seruitium erat. Trassilonem namque Bauariæ Ducem domo expulit, eiusque principatum inuasit, quo frui diutius, nec scelera, nec aduersa homini turbulento sors, tulit. Victus siquidem iterum, restituto Trassillone, ad Pipinum deductus fuit, Neustriæque parte, Andelyaco, vt volunt, Ducatu, inter Sequanam, & Isaram amnes donatus fuit. Sed quam difficilis est ad bona reuersio, vbi semel à virtutis via deflexeris. Vt enim bonorum consuetudo, virtutis exercitatio est; sic malorum exitium. Prauæ consuetudinis viribus, ad res nouas, tumultusque mouendos, trahebatur. Quare ad Vaifurum familiæ suæ hostem, maturatè profectus, Aquitaniam non fœliciori exitu in Pipinum concitauit. Tandem cum ei neque in Francia, neque in Germania quidquam prosperè cederet, Italiam malo suo fato expertus est, *vt scribit Paulus Æmilius.*

Euelid Mahuuiæ filius Sarracenorum Rex in Christianos immaniter desæuijt, Anno Christi septingentesimo quadragesimo primo. Ethbaldus princeps scelestissimus Mercijs imperabat sub idem tempus. Gizid secundus omnium suffragijs Euelide extincto rerum potitus est, anno sequenti. Hic post annos quadraginta, permisit ciuibus Antiochenis Patriarcham vnum sibi eligere. *Theophane teste.*

Luithprandus Longobardorum Rex, non solum quatuor illas ciuitates quas biennio ante occuparat, Zachariæ summo Pontifici restituit, sed etiam in Sabinis pleraque alia, quæ annis fere triginta Longobardi possederant, immo & Narniam oppidum in Vmbria, Nequinum proprie dictum, vt placet Plinio, & Liuio; huius loci municipes, Nartes olim appel-

latos esse docet Hermolaus ex antiquis marmoribus; adde & Anconem, Piceni, Italiæ regionis vrbem, Picenam antea nominatam, & Coloniam in antiquo lapide; Vallem prætcrea Sutrini agri cognomento magnam, dono dedit Ecclesiæ Romanæ, pacemque per annos viginti, nouo fœdere firmauit, captiuos item & Romanis, & Rauennatibus reddidit, Anno Christi septingentesimo quadragesimo secundo, Constantini Copronymi Imperatoris secundo. Proximo autem Rauennam obsidens, Zachariæ Pontificis precibus, ab incœpto destitit. Vnde patet Græcos immerito conqueri de Romanis, quod ipsorum opera, Imperio exuti fuerint. *Ita Anastasius.*

Ices, Gizid demortuo, anno vnico principatus sui emenso, à Sarracenis salutatus fuit, Anno Christi septingentesimo quadragesimo tertio, Constantini Copronymi Imperatoris tertio. *Auctore Bizaro lib. 3. Historiæ rerum Persicarum.*

Hildebrandus Luithprandi Longobardorum Regis defuncti nepos, regimen sumpsit, Anno Christi septingentesimo quadragesimo quarto. Verum genti suæ minime gratus, in ordinem mense septimo redactus fuit; Rachisque, seu Rachisis vir rerum gestarum gloria, multarumque virtutum splendore illustris, in eius locum bono omine subrogatus. Biennio vero post principatus sui secundo, comitijs habitis, leges aliquas, ad commune Reipublicæ bonum, diuino plenus numine, procerumque omnium approbante corona, condidit. Septingentesimo denique quinquagesimo Christi anno, pacis licet studiosissimus, (qua ex causa non satis constat) nulla induciarum quas pepigerat, ratione habita, noua in Pentapolitanam Prouinciam moliens ingentem contra Perusiam expeditionem parauit, *vt refert Anastasius.*

Maruanus, Ice Sarracenorum Rege sublato, *vt vult Bizarus*, Regnum obtinuit. Eo imperante crebræ, inter Sarracenos, seditiones exortæ, varijque Tyranni enati, Tebidus scilicet, Dadacus, & Sulciminius. Cæterum Maruanum genus, post multa infœliciter peracta prælia, extinctum fuit, ea in regione. Eius siquidem familiæ pars, quæ tot annis regnauerat, in Mauritaniam secessit, alia vero in Hispaniam transijt. Ab Asmulino enim Lamonitarum Duce illustrissimo, orta est eodem tempore familia Sophiana dicta; mortuo vero Assmulino,

Asmulino, Abubalanus, cognomento Mahumar Syriam, & Persidem rexit, Salinus autem Ægyptios, vnde Sultanorum Imperium; sicque Ægyptij Caliphæ appellari voluerunt, quæ vox summum Principem, seu Regem Regum significat, *vt docet Auentinus lib. 6.*

Alfonsus Catholicus è regio Gothorum sanguine natus, & in Hispania Rex, ex Maurorum intestina discordia, rerumque omnium perturbatione, rei bene gerendæ occasionem captans, Regni fines, quod angustis regionibus descriptum erat, victricibus armis amplificauit. *Ita Annales Hispaniæ.*

Kenulphus, Sigiberto vita functo, Saxonum Occidentalium administrationem suscepit, Anno Christi septingentesimo, quadragesimo octauo, Constantini Copronymi Imperatoris octauo. Cynenolphum vocat Polydorus sub finem libri quarti.

Richardus Anglorum Rex totam peragrauit Italiam, Anno Christi septingentesimo quinquagesimo. Aistulphus extincto fratre Rachisi Longobardorum Rege, Sceptrum sumpsit eodem anno, *vt refert Leo Ostiensis.*

Non tacebo Vandam Virginem, cui, Croco fratre Poloniæ Rege fatis consumpto, rei summa delata fuit. Hæc Rigeri Principis amores respuens, importunamque eius libidinem exprobrans, ipsum ad funestum compulit exitum, haud multo enim post amoris impatiens, propria manu cecidit. Qua de re Vanda certior facta, Cracouiam ouans ingressa est, mactatisque quamplurimis victimis, Dijsque patrijs deuota, è ponte, in profluentem Vistulæ, ne quis aduersus casus eius fœlicitatem contaminaret, sese præcipitem dedit. *Salomon Neugebauerus à Cadano.*

VIRI ERVDITI.

Daniel apud Orientales Saxonas in Anglia, natalium splendore clarus, cultissimoque ingenio, & ad bonas litteras capessendas aptissimo, scripsit de rebus gestis Australium Saxonum librum vnum. Historiam suæ prouinciæ, & de Insula Vecta, reliqua, temporum iniuria, periere, *vt asserunt rerum Anglicarum Auctores.*

Ethelbaldus Poëta, Rhetor, Philosophus, & Theologus non incelebris, varia composuit versu heroïco. Strabo, vel Strabus Bedæ frater, aut consanguineus, permulta docta, & erudita in lucem dedit. De eo plura Trithemius. Vergilius summus Mathematicus, & Philosophus, multiplici eruditione clarus, magni erat nominis apud Carolomannum, & Pipinum Principes.

NATALITIA AVGVSTA.

Carolus Pipini filius, qui à rerum gestarum magnitudine, Magni nomen assumpsit, prodijt in lucem, Anno Christi septingentesimo quadragesimo secundo; Anno vero septingentesimo quinquagesimo, Leo quartus Constantini Copronymi Imperatoris filius. *Theophanes, & Paulus Diaconus.*

PRODIGIA.

In Palæstina, ac Syria cælum à quarta die Augusti, ad Octobris Kalendas horrendam derepente induit noctem, Anno Christi septingentesimo quadragesimo sexto, Constantini Copronymi Imperatoris sexto, *ita Theophanes, Cedrenus,* illa σκότος ὁμιχλιῶδες appellat.

Byzantij stupendum illud, tempore, quo pestis totam per vrbem regiam, grassaretur, contigit, nimirum, vt ciues ij omnes, quorum in vestibus cæruleæ quædam cruces impressæ visebantur, ad mortem designarentur.

Triennio vero emenso, Mulinum animal, è terræ dehiscentis visceribus erupit, fœdamque gentis ab Eremo incursionem, aduersus Arabas, humanâ voce prædixit. *Auctore citato.* Adde cometas varios apparuisse, pleraque id genus portenta, quæ hisce orbis partibus magnum incussere terrorem.

CALAMITATES.

Occidentale Imperium magna annonæ caritate, summaque rerum inopia afflictatum fuit, immo ad extrema redactum, Anno Christi septingentesimo quadragesimo secundo, terræ-

que motu adeo concuſſum, vt ampliſſima pleraque oppida abſorpta fuerint, ipſique montes identidem inter ſeſe magno cum fragore colliſi.

Palæſtina Syriaque vniuerſa vehementer contremuit, Anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo ſexto, Conſtantini Copronymi Imperatoris ſexto. Dein vulgaris lues Calabriam, Siciliamque adorta, maximas hominum ſtrages edidit; Vrbemque Conſtantinopolim trium annorum ſpatio depaſta, ciuibus pene omnibus exhauſit. Anno autem Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo nono, Syria iterum immani terræ ſucceſſione laborauit; Meſopotamia ad duo milliaria diſrupta, viſcera veluti ſua euomuit; nouamque terram, albam nimis & arenoſam, è ſuo eiecit ſinu; variæ inſuper ciuitates, vna cum ipſis montibus in quibus extructæ fuerant, & ciuibus, in plana dilapſæ. *Theophanes.*

RES BELLICÆ.

Conſtantinus Copronymus Imperator Arabas in Armenia aggreſſus eſt, Anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo primo, Principatus ſui primo, Niceramque iuniorem Artabuſti filium, qui patris iuſſu, ingentes copias in ipſum duxerat, penitus deleuit anno ſequenti; immo ipſum Artabuſtum pari fœlicitate oppreſſit, coëgitque ſuorum clade ſuperſtitem, Byzantium confugere, quod Conſtantinus comparato valido exercitu acri obſidione cingens expugnauit, menſe Septembri Anni Chriſti ſeptingenteſimi quadrageſimi tertij, quarto nonas Nouembris, *vt aſſerit Theophanes, & alij.*

Carolomannus & Pipinus mouere ſub idem tempus in Aquitanos rebelles; profectique in Boiariam ad Lycum vſque, caſtra ad Auguſtæ Rhetorum mœnia, latiſſimo in campo, locauere, vbi Vtilo Boiariæ Rex prælio victus, fuga ſibi conſuluit.

Luithprandus Longobardorum Rex ſigna in Rauennam tulit, eodem Chriſti Anno ſeptingenteſimo quadrageſimo tertio, Conſtantini Copronymi Imperatoris tertio. Proximo autem Lucus, Tuda, & Aſturica vrbes in Galæcia, Alfonſi Hiſpaniæ Regis auſpicijs receptæ fuere. In Luſitania vero

portus Cale, ad Durij ostium, qua se parte fundit in mare. Pax Iulia, Brocaria, Viscum, Flauia, Bleriſſa, & Sentica, aliaque permulta oppida occupata, quorum duo postrema, hodie Ledesma, & Zamora nuncupantur.

Carolomannus Saxonas noua molientes perdomuit, Anno Christi septingentesimo quadragesimo quinto, Constantini Copronymi Imperatoris quinto. Pipinus vero ipsius frater superiorem Boiariam inuadens, Fruxinum regionis illius caput, regiamque principum, in suam potestatem redegit, totaque superiori Boiaria potitus est, *vt testatur Auentinus.*

Mahuuias, Sarracenis bello ciuili implicatis, in Syria, Emesam, Coloniam Romanam ex Vlpiano; Damascum item eiusdem Syriæ ciuitatem amplissimam, & Heliopolim, vrbem celeberrimam, atque Hierosolymam sibi subiecit. *Auctore Theophane.*

Constantinus Copronymus Imperator Dulichium maris Ionij Insulam, & vnam Ethinadum, iuxta Oeniades sitam, & Achelos ostia, ab Araxoque Elearum promontorio stadijs centum distantem, recepit. Agareni in Cyprum, eodem anno irrumpentes, à Romanis penitus attriti fuere, *vt vult Cedrenus.*

Maruanus Sarracenorum Pontifex, Tebidum Tyrannum cæcidit; Dadacum insuper Reipublicæ hostem prælio victum interfecit, armaque in Syriam vertens, illam recuperauit.

Pipinus Princeps Griffonem fratrem debellauit in Boiaria; tum in Aquitania pari belli euentu fudit, fugauitque, Anno Christi septingentesimo quadragesimo octauo, Constantini Copronymi Imperatoris octauo. Anno autem emenso Vuestphalos varijs prælijs penitus diffregit; Verduamque se conferens, hostiles iterum copias, quæ ei insidias parauerant, incruenta pugna, deuicit.

Asmulinus Sarracenus, Lamonitarum Dux illustrissimus, Coismos prostrauit, Anno Christi septingentesimo quinquagesimo, Constantini Copronymi Imperatoris decimo. Mox in Persicam profectus Isblinum qui illi Prouinciæ præerat, magna suorum clade affecit; totque victorijs elatus, cum Maruano, qui triginta hominum millia in aciem produxerat, confligere prope Zabonum amnem, ausus est, tamque atroci

pugna illum aggressus, vt Maruanus, ponte rescisso in Ægyptum cum quatuor tantum millibus confugerit; ad extrema tamen à Salino Asmulani filio, qui eum insecutus fuerat, redactus; sicque omne Maruanum genus expulsum. *Auentino teste.*

Nouis tumultibus eodem anno agitata fuit Italia. Rachis siquidem Longobardorum Rex, pius maximè, & pacis amans, rupto fœdere, quod pepigerat, Pentapolim Prouinciam inuasit; perrexitque Perusiam vsque, Tusciæ vrbem nobilissimam, & illustri Academia clarissimam, *Stephano teste*, quam obsidione fatigare inceperat; *vt scribit Anastasius.*

Sarraceni sub idem tempus clades acceptas vlturi in Franciam tertiùm rediere, in quos Pipinus aulæ Præfectus, collectis copijs aduolauit, non tamen temerè, communem salutem fortunæ prælijs commissurus, hostium audaciam, excursionesque coërcens ad rerum inopiam redactos, trans saltus Pyrenæos submouit, iterque adeo perclusit, vt turbandæ imposterum Galliæ, spem omnem abiecerint; Pyrenæumque limitem inter se, Galliamque, sanctum statuerint, illumque transgredi nefas duxerint. *Paulus Æmilius, & alij.*

OBITVS ILLVSTRES.

Carolus Martellus ex Pipino, & Alpaide prognatus, Brabantiæ Princeps celeberrimus; Præfectus regiæ aulæ illustrissimus, virtute fortissimus; armis inuictissimus; rerumque gestarum gloria clarissimus, fatis Carsiaci prope Isarum, concessit, Anno Christi septingentesimo quadragesimo primo, Constantini Copronymi Imperatoris primo. Cum rem Francicam sub ignauis Regibus, Childerico secundo, Clotario tertio, & Theodorico secundo fœliciter rexisset; pari diligentia, pacis, bellique temporibus, domi, forisque; ita vt merito Francorum Rex appellatus fuerit; per omnia mehercule fœlix, humanique fastigij culmen plane excessisset, si à sacris tùm rebus, tùm viris temperasset. *Ita Annales Francici.*

Euelid Sarracenorum Princeps desijt viuere, Anno Christi septingentesimo quadragesimo secundo, *vt vult Theophanes.* Sequenti autem Gizid eiusdem gentis Rex, & Ices illius sectæ Pontifex. *Bizaro teste lib. 8. de rebus Persicis.*


Luithprandus Longobardorum Rex, conſilio ſagax, pacis amator, bello potens, alijſque virtutibus ſumme clarus, vitæ curſum eodem anno expleuit, principatus verò ſui trigeſimo primo, & menſibus ſeptem, *vt vult Paulus Diaconus; acta Synodi ſub Zacharia Pontifice, & publica monumenta.*

Sigebertus Saxonum Occidentalium Rex naturæ conceſſit, Anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo octauo, Conſtantini Copronymi Imperatoris octauo. *Polydorus.*

Rachaſis Longobardorum Princeps interijt, Anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo; Maruanus autem Sarracenorum Pontifex à Maurophoris, ſeu Chryſatonitis interfectus fuit, ſub idem tempus. *Cedreno Auctore.*

Adde Griffonem Caroli Martelli filium, qui cum in Francia, neque in Germania, quicquam proſpere egiſſet, Italiam experiri volens, Theodini Tranſiuranorum nobiliſſimi viri dextera occubuit. *Ita Paulus Æmilius, & alij.*





DECAS SEXTA.

CONSTANTINI COPRONYMI Imperatoris Gesta.

LEonem quartum filium suum magno cum apparatu, scenaque regia, coronari voluit, Anno Christi septingentesimo quinquagesimo primo, principatus sui vndecimo, Cæsaremque, tota spectante vrbe Constantinopolitana, renuntiauit, *vt referunt Græcorum Annales.*

PIPINI FRANCORVM REGIS GESTA, & Childerici expulsio.

Burchardum Visiburgentium Episcopum ad Zachariam summum Pontificem misit, Anno Christi septingentesimo quinquagesimo primo, Constantini Copronymi Imperatoris vndecimo; decimo vero ab inito equitum magisterio, & Caroli patris morte; vt ab illo, Franci, à iurisiurandi religione, qua se Childerico obstrinxerant, soluerentur; Aui siquidem Pipini in Rempublicam, Carolique Martelli patris in Religionem beneficia, ac res hactenus à se fœliciter gestas, non parum ponderis apud eum habitura existimauit; præsertim si vtriusque diuersa admodum moribus vita mature perpenderetur. Hinc scilicet Pipini magnitudo animi incredibilis; ingenij vis sublimis; viuax rebus in omnibus gerendis sensus; naturæ opes amplissimæ, donaque illustria, ac digna Imperio virtus; inde Childerici segnities; stupor mentis; stolidus animi langor; rusticitas summa, & omnibus ingrata; vitium denique, sordidaque, ac vix hominis propria vitæ ratio. Quare re bene discussa, vltroque consentientibus Franciæ proceribus,

subditos omnes, sacramento, cuius vinculis tenebantur, liberauit summus Pontifex, nouaque in Pipini verba adegit; totam huiusce negotij curam Bonifacio Moguntiæ Episcopo committens.

Hisce igitur, non temere, sed ratione omni adhibita, constitutis, Childerico Merouingorum Rege vltimo, ob inertiam, sequenti anno, exauctorato, & in Monasterium detruso, Pipinus Augustæ Suessionis, quò omnis Gallia turmatim confluxerat, in Regem, nullo aliò exorto tumultu, quales, cum terrore, ac formidine, magnorum Imperiorum mutatio afferre solet; quin immo magnis cum acclamationibus, salutatus fuit; tantæque molis res, prospere peracta; ac Regnum nouæ Austrasiorum familiæ delatum fuit, *vt testatur Pithæus*, & litteræ Zachariæ Pontificis, datæ pridie nonas Nouembris, indictionis quintæ, quæ cœpta est mense Septembri huiusce Anni Christi, nimirum septingentesimiquinquagesimi secundi, Constantini Copronymi Imperatoris duodecimi, ad Bonifacium Moguntinum Episcopum.

Certior factus, de Stephani Pontificis aduentu, iussit Carolo filio suo adolescentulo, & cui sua virtus, fœlicitasque, Magni postea cognomen indidit, vt ei obuiam longe procederet, ipse vero ad tertium, à Carasiaco oppido, lapidem occurrit, cum equo desiliens venerabundus, vna cum coniuge, & liberis eum excepit, frænumque Pontificij equi tenens, pedes in regiam deduxit, nullumque, per aliquot dies, genus honoris, religionis, ac comitatis prætermissum fuit.

HEROES

Vanda Poloniæ Regina extincta, Anno Christi septingentesimo quinquagesimo primo, Palatini decem, rerum administrationem suscepere, *vt vult Salomon à Cadano.* Leo quartus Constantini Copronymi Imperatoris filius, Cæsaris nomine donatus fuit. *Theophane teste.*

Aistulphus Longobardorum Rex pacem ad annos quadraginta cum Stephano summo Pontifice inijt, eodem anno; quarto tamen mense expleto, illam disrupit, grauique indicto Romanis tributo, bellum, ni parerent, asperrimum indixit;

Pipinoque

Pipinoque Francorum Regi, qui cum de rebus Romanæ Ecclesiæ restituendis interpellarat, minas intentauit, Anno Christi septingentesimo quinquagesimo quarto, Constantini Copronymi Imperatoris decimo quarto. Ticini vero obsessus, remissa animi pertinacia, præsenti periculo victa, cum eo conuenit, tabulæque fœderis scriptæ, ac sacramento obsignatæ, ea conditione, vt Exarchatus qui Romandiola nunc est, & Pentapolis, Romano traderentur Pontifici. Verum postea Francorum discessu, metu solutus, ira in Pontificem æstuans, nouam rursus expeditionem in vrbem parauit anno proximo. Sed iterum à Pipino maiori cum exercitu Ticini obsessus, iurata pacta seruare coactus fuit; missique legati qui vrbes Romanæ Ecclesiæ tradendas reciperent, secumque claues, atque obsides Romam abducerent. Quod certe magna Stephani summi Pontificis, atque Pipini Regis gloria, præstitum fuit. Si vis vrbium habere nomina, hæc in Anastasio Bibliothecario recensentur. Rauenna, Arminum, Pisaurum, atque Fanum, Cesenna, Sengallia, Esium, Forum Pompilij, Forum Liuij, cum Castro Sussubio, mons Feretrum, Acerragium, mons Lucari, Serra, Castellum S. Marini, Bobium, Vrbinum, Gallium, Luceolum, Eubugium, Comaclium, nec non ciuitas Narniensis, quæ à Duce Spoletano diu ante fuerat vsurpata. *Leo Ostiensis plura alia addit in sua Historia Cassin. lib. 1. cap. 7.* cum consule. Porro quidquid terræ patebat, à Placentinorum finibus, Ticinensiumque, ad Adriam vsque, & à Venetis ad Ariminum, ad Exarchatum pertinuisse vetus iuris dicundi forma demonstrat.

Carolus Pipini Francorum Regis filius, & qui nomen postea magni adeptus est, in Regem cum Carolomanno fratre à Stephano summo Pontifice, Parisijs inunctus fuit, Anno Christi septingentesimo quinquagesimo quarto, Constantini Copronymi Imperatoris decimo quarto. *Paulus Æmilius.*

Galla Mathematicus Venetorum Principatum, Theodoto Duce expulso, inuasit anno sequenti. Verum eo male parto, breui exutus fuit; altero siquidem administrationis suæ Anno ineunte, Christi nimirum septingentesimo quinquagesimo sexto, Constantini Copronymi Imperatoris decimo sexto, in ordinem redactus fuit.

Mm

Dominicus Monegarius, vir Metauci ortus, barbaraque immanitate, ac ingenio ad omne facinus præcipiti, Galbæ succeßit; duoque Tribuni annui, Principum omnium decreto, constituti fuere, vt rebus in omnibus peragendis illius feritatem comprimerent, *Coccius Sabellicus.*

Desiderius Comes stabuli, Tusciæ Dux clarißimus, Aistulpho è viuis sine prole sublato, ad Longobardorum Imperium, Stephano summo Pontifice fauente, euectus fuit, eodem Christi anno. Hic mox Fauentiam, cum Castro Tiberiano, seu Gabello oppido in Exarchatu Rauennæ vniuersumque Ferrariæ Ducatum, Ecclesiæ Romanæ restituit. *Anastasio teste.*

Ethfinus Eugenij septimi filius, cum, senectutis tædio exhaustus, magno oneri ferendo impar esset, quatuor Imperij sui Scotici Regulos (in quibus præstans quidem, sed fucata virtutis species elucebat) sibi elegit, singulisque prouincijs præfecit. Donaldo Argadiam, Colano Athaliam, Mordaco Gallouidiam, & Conrado Morauiam. Hi vero non tam publicis, quam priuatis rationibus prospicientes, rem omnem Scoticam sua socordia, seu potius scelere longe teterrimo, ad extrema redegere. *Ita Hector Boëtius, & alij.*

Froila Alfonsi Catholici in Hispania Regis filius natu maximus, patre defuncto Reipublicæ curam sumpsit, Anno Christi septingentesimo quinquagesimo septimo, Constantini Copronymi Imperatoris decimo septimo. Princeps ingenio aspero, morum seueritate insigni, famaque inter bonum, & malum alternante. Primis Imperij sui annis Sacerdotum coniugia diremit. Illa enim consuetudo, Vuitizæ impij Regis lege, olim suscepta, & Græciæ dein exemplo firmata, in mores abierat. Vnde irritato supremo numine, tantum ærumnarum accersitum, tantumque pœnarum, ac supplicij toti Imperio Hispanico datum. Eo tamen facto, quantum ad bonos gratiam inierat, tantum magnæ partes populi, ac Sacerdotum animos offendit. Peccandi siquidem libertas multitudini gratißima est. Ex ea seueritate inuidiæ pars maxima illi conflata fuit, qua viuens flagrauit, & mortui nomen, ad posteritatem, ignominiæ nota defœdatum est. Salinus, Hebdalæ, in Syria Calyphæ frater, Ægyptum regebat.

Taßilo Bauarorum Dux, Saxonum armis, auxilijsque de-

ſtitutus, in fidem reuerſus, ſenſit quanto ſibi momento foret originem ex regia ſorore duxiſſe; comiter enim ab auunculo Pipino Francorum Rege, exceptus, habituſque, Ducatum iure belli, ac victoriæ amiſſum, eius beneficio recepit.

Eadbertus in Anglia Rex virtutum omnium ſplendore clariſſimus, Chriſtianæque Philoſophiæ ſtudioſiſſimus, Northumbrorum Regnum, quod multorum annorum ſpatio magna cum gloria tenuerat, Oſuulfo filio ſuo tradidit, Anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo octauo, Conſtantini Copronymi Imperatoris decimo octauo, *vt refert Beda in Epitome.*

Habdalas Heli filius, & Sarracenorum Calipha, orientem magnis tributis oppreſſit, eodem Chriſti anno, eorumque ſectam, qui apud Perſas Dæmonum fraude, cælum ſe volatu aſſecuturos ſperabant, penitus extinxit, *vt vult Theophanes.* Premiſſus denique ſeu Leſcus primus, in Regem Poloniæ ob præclara illius geſta, omnium conſenſu inauguratus fuit, Anno Chriſti ſeptingenteſimo ſexageſimo; *Ita Salomon à Cadano.*

VIRI ERVDITI.

Bonifacius, ſeu Vuenefridus regio in Anglia genere prognatus, doctrinæque fama adeo celebris, vt omnes vndiquaque ad eum, addiſcendi cauſa confluerent; ſcripſit librum vnum de ſuis in Germania laboribus, alium vero ad Ethelbaldum Merciorum Regem, *vt teſtantur Arnaldus Vion lib. 5. de ligno vitæ.*

Cudbertus Mageſetus ſingulari ſua eruditione ſplendorem generis non æquauit modo, ſed multum ſuperauit, plura nobis tum ſtricta, tum ſoluta oratione eleganter, atque erudite compoſita reliquit.

Marcellinus Anglus magni fuit nominis ob multiplicem rerum cognitionem, qua ſummè excelluit: librum vnum de Tyrannide Radbodi Regis Friſiæ, in lucem dedit, aliaque nonnulla. *Auctore Suffrido Petro, de ſcriptoribus Friſiæ.*

Egbertus Archiepiſcopus, vel Eadbertus Northumbrorum Regis frater, liberalibus diſciplinis apprime inſtructus, magnoque in pretio, apud viros doctrina præſtantes, habitus. S.

Rictruda, & S. Gisea Virgines nobiles, non vulgari latinæ linguæ facundia, ab Alcuino viro doctissimo excultæ, florebant hoc tempore. *Arnoldus Vion.*

REGNORVM ORTVS.

Cordubense Maurorum Imperium magno Christianæ rei incommodo inchoatum nunc fuit, dein viribus, ac potentia auctum atque amplificatum in Hispania. *Ita Scriptores rerum Hispanicarum.*

OPERA PVBLICA.

Ouetum vrbem primariam, ac nobilem extruxit in Asturibus Froila Rex Hispaniæ, Anno Christi septingentesimo quinquagesimo septimo, Constantini Copronymi Imperatoris decimo septimo, iusque ei Episcopatus concessit. Nonnulli tamen ciuitatis istius conditæ laudem ad Alfonsum patrem ablegant, sed nullo idoneo satis, neque testimonio, neque argumento. *Vasæus, Lucas Tudensis, & alij.*

PRODIGIA.

Soles tres Cordubæ visi, magno fuere terrori rudi sæculo ignorantium, in nube æquali densitate, tanquam speculi obiecta, multiplicis solis speciem posse repræsentari. Nouæ prætere a præeuntium hominum formæ, cum igneis facibus, pompæ instar apparuere, Anno Christi septingentesimo quinquagesimo tertio, Constantini Copronymi Imperatoris decimo tertio. *Isidorus Pacensis.*

CALAMITATES.

Magna rerum penuria Hispaniam grauiter afflixit, Anno Christi supra citato, *vt asserit Rodericus Toletanus.* Palæstina insuper, totaque Syria, fœdissimo terræ-motu quassata. *Theophanes.*

RES BELLICÆ.

Aiſtulphus Longobardorum Rex occupata Rauenna, cum omni Exarchatu, eiectaque Græcorum Imperatorum, ex omni Italia, dominatione, Stephanum tertium ſummum Pontificem adeo diuexauit, vt fruſtra imploratis ab Imperatore Conſtantino Copronymo opibus, in Franciam, afflictæ Religionis iam tunc vindicem, ſeceſſerit, Anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo quarto; placuitque Pipino Francorum Regi, Franciſque omnibus, opem ferre tanto ſupplici, nec dubia, aut difficilis fuit, tantis auſpicijs, victoria. Omnia quippe proſpere eueniunt colentibus Deum, quidni defendentibus. Præmiſſi tamen fuere legati ad explorandum Longobardorum animum; ne cupiditatis magis, quam Religionis ſtudio, bellum ſuſceptum eſſe videretur: Pipinus interim copias vndiquaque comparauit. Cumque ambiguo verborum ſenſu Longobardus falleret, nec Rauennam reſtitutum iri ſummo Pontifici appareret, verſæ ad belli conſilia cogitationes; Alpes itaque Vere ineunte, cum ingenti exercitu tranſcendit Pipinus, ac nullo negotio, diſiectis, quæ montium clauſtra inſederant, præſidijs, in Papiam vrbem (quæ eadem ac Ticinum eſt) infeſtis agminibus aduolauit, quo ſe incluſerat Aiſtulphus, viribus hoſti impar, armiſque Francorum territus, vt meticuloſa eſt malorum teſtis conſcientia, ad omnia enim pauet, dum nemini confidit, Pipinoque, ac ſummo Pontifici omnia per expeditos oratores ſpopondit. Verum liber Francorum diſceſſu, immemor fidei, qua nihil huic genti proiectius eſt, coacto celeriter exercitu Romam obſedit, fineſque populatus, ſuburbana omnia ædificia publica ſolo æquauit. Nulli certe Barbarorum, ſaluis vrbis mœnibus, plus cladis, calamitatiſque vrbi vnquam intulere, quam tunc, præ impotenti, atrocique ira, Aiſtulphus. Preſſus iterum Pontifex, Pipinum in Italiam ſupplex euocauit, compoſitis ita ad miſerationem litteris, vt lachrymis exaratas, obſignataſque ſingultibus facile iudicares. His acceptis reuolauit Pipinus ad ſummum Pontificem, Religionis, ac fidei Chriſtianæ Patronus, commiſſamque ſibi cauſam, magnis ſuſcepit animis, ac pari celeritate, vt nuper vſus, Alpes ſupe-

rauit, Annō Christi septingentesimo quinquagesimo quinto, Constantini Copronymi Imperatoris decimo quinto, Romamque obsidione soluit, hoste prostrato. Tum redditis Romano Pontifici rebus bello ablatis, præfectura nimirum Rauennatium, finibus longe maximis, vt non Flaminia modo, sed Æmilia quoque contribueretur, omnes item vrbes præter Fauentiam, & Ferrariam redditæ fuere. Mox Pipinus Rex maximis onustus spolijs in Franciam reuersus est. Huius virtutis, ac liberalitatis, testis est tabula Rauennæ exarata; & cuius inscriptio hæc est.

[PIPINVS FRANCORVM REX PIVS, PRIMVS AMPLIFICANDÆ ECCLESIÆ VIAM APERVIT, ET EXARCHATVM RAVENNÆ, CVM AMPLISSIMIS VRBIBVS, TERRITORIIS ET REDITIBVS PRINCIPI APOSTOLORVM, EIVSQVE SVCCESSORIBVS LVBENS, VOLENSQVE CONCESSIT.]

Protrahuntur, Anno Christi septingentesimo quinquagesimo sexto, Constantini Copronymi Imperatoris decimo sexto, ciuilia bella, Sarracenorum inter Principes, cum magna Calipharum mutatione, ac cæde.

Atrox Aistulphi Regis morte bellum inter Longobardos exortum est, cui Rachis ipse, demortui frater, Regno licet antea abdicato, immiscere sese non est veritus, quamquam Pontificis postea monitu, magna cum constantiæ, ac pietatis laude, & bello abstitit, & Desiderio Tusciæ Duci, cui Pontifex fauebat, suffragatus est, *vt refert Anastasius Bibliothecarius.* Anno vero sequenti, Salinus Sarracenus Cappadociam inuasit, sed irrito conatu.

Pace Italiæ confirmata sub idem tempus, Francorum arma trans Rhenum delata fuere, vbi Saxones, Bauarique, conspiratione fœderatæ societatis in Franciam armati coniurarant; quippe quos seruire necessitas cogebat, eos non obtemperare, sua voluntas adigebat. Vbi ergo leuissima libertatis vindicatæ spes affulsit rebellibus, imperia detrectarunt; & nondum assuetæ frænis seruitutis, tumidæ Barbarorum ceruices, facile ab imposito iugo resilierunt. In hos profectum Pipinum comitata est fortuna, nec minori gloria confectum bellum, quàm nupere initio principatus, sopitum à Pipino fuerat. Defuit numen rebellibus, cuius partes Francus strenuè defenderat.

victi primum acie, castrisque exuti Saxones, bellum nouo delectu comparabant; cum optimates gentis in castra victoris se contulerunt; veniamque vniuersis à Rege clementissimo facile impetrarunt, ea tamen lege, vt quotannis trecentos bellatores equos, ad Francum Regem adducerent, modico tributo, magis in titulum Imperij, quam in victoriæ præmium imposito.

Froila in Hispania Rex, Iuzephum Hispaniæ præfectum pro Mauris, Veteranum Ducem, Gallæciæ fines cum numeroso exercitu ingressum, cunctaque belli clade depopulantem, ingenti prælio superauit, Anno Christi septingentesimo quinquagesimo octauo. Cæsa sunt autem quinquaginta quatuor hostium millia. Nulla ea ætate victoria maior extitit, neque magis ex rei Christianæ commodo. Ea clades Iuzephum, qui ex Africa profugus, in Hispaniam, ad spem Regni venerat, quatuor iam annis, Abderamani armis, & Humeiarum factione fatigatum, opportunum subsidium, supremæ calamitati præbuit, *vt vult Lucas Tudensis.*

Pipinus Francorum Rex bellum Vaifaro Aquitaniæ Duci indixit biennio post, Anno scilicet Christi septingentesimo sexagesimo, Constantini Copronymi Imperatoris vigesimo, quod spretis, atque elusis legationibus, ablata ab Ecclesia, bona, restituere noluisset. Verum Francorum celeritate incredibili turbatus Vaifarus, facturum se, quod inter legatos conuenerat, spopondit, & quò grauius offenderet, iuramentum addidit, quasi nihil leuius timeret quàm peierare, spesque illi omnis, in scelere, ac perfidia sita esset; sicque obrutum videbatur incendium, quod anno proximo vehementius exarsit, & quidem ab ipsius Vaifari perfidia. *Pithæus, & Aimoinus.*

OBITVS ILLVSTRES.

Vanda Poloniæ Regina, spretis Rotigeri Principis amoribus, mactatisque Cracouiæ, quamplurimis victimis, Dijs patris deuota, è Ponte in profluentem Vistulæ præcipitem se dedit, Anno Christi septingentesimo quinquagesimo primo. Eius cadauer haud multo post repertum, editiori in loco, supra amnem Dlubnium, à proceribus conditum fuit. *Ita Salomon Neugebauerus à Codano.*


Aiſtulphus Longobardorum Rex Stephano ſummo Pontifici maxime infeſtus, ictu inter venandum percuſſus, perijt, Anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo ſexto, Conſtantini Copronymi Imperatoris vigeſimo ſexto. Id vero an ex fulmine, vel alio quouis vltionis genere, acciderit, non ſatis conſtat, *Anaſtaſio teſte.* Sunt tamen nonnulli qui aſſerunt eum in venatione apoplexia extinctum fuiſſe. Abubalus Sarracenorum Calipha decimus octauus, interijt eodem Chriſti Anno.

Alfonſus Catholicus Hiſpaniæ Rex, rerum geſtarum gloria clariſſimus, Cantiæ obijt Anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo ſeptimo, ætatis ſuæ ſeptuageſimo quarto, principatus vero ſui decimo nono; *vt teſtatur Lucas Tudenſis.* Hic liberos quinque reliquit: ex Ormiſinda quidem Froilam, Bimaranum, Aurelium, atque Vſendam; ex impari autem matre, atque adeo ſerua, ſtupro genitum Mauregatum. Demortuo iuſta peracta non magis exequiarum apparatu, quam veriſſimis totius gentis lachrymis celebrata, immo cæleſtibus hiſce vocibus, quas in funere auditas eſſe memorant ſcriptores, *Ablatus eſt iuſtus à facie iniquitatis, & erit in pace memoria eius.*

Iuzephus in Hiſpania Sarracenorum præfectus, à Froila Rege deuictus, Toleti quò tanquam ad præſidium confugerat, ſuæ gentis ferro occubuit, Anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo nono, Conſtantini Copronymi Imperatoris decimo nono. *Mariana.*



DECAS



DECAS SEPTIMA.

CONSTANTINI COPRONYMI *Imperatoris Gesta.*

IRarum plenus ferale decretum tulit in sacras imagines, Anno Christi septingentesimo sexagesimo primo, principatus vigesimo primo, quo genus omne supplicij minatus est ijs, qui illas cultu aliquo venerarentur. *Theophanes.*

Biennio post apparatissimum de Scythis, seu Bulgaris Reipublicæ hostibus deuictis triumphum egit, captiuosque, quos secum adduxerat actutum interimi iussit. Anno autem septingentesimo sexagesimo sexto, permultos optimates, quos falsò in maiestatis crimen vocarat, miris diuexauit modis.

Splendidam insuper legationem ad Pipinum Francorum Regem misit, eodem Christi anno; quem vt ad suam iam euulgatam hæresim pertraheret, omnibus officijs demereri studuit, amplissimisque donauit muneribus; inter hæc, organa quædam musica, magnæ toti aulæ admirationi fuere, præsertim cum hæc, & Gallis omnibus noua haberentur, & omnem prorsus vocum, neruorumque concentum longè superarent. *Aimoinus lib. 4. cap. 64.*

Eudoxiam cui tertijs iam nuptijs sociatus fuerat, Augustam, Christophorum vero, & Nicephorum filios ex ea susceptos, Cæsares appellauit, Anno Christi septingentesimo sexagesimo octauo. Tertium denique Nicetam nomine, nobilissimum, vt mos orientalis Imperij ferebatur, renuntiauit.

PIPINI FRANCORVM REGIS Gesta, & Obitus.

Extremis suis in annis præclara quæque, tùm pietatis, tùm aliarum virtutum monumenta nobis reliquit, senatumque Parisiensem, (Parlamentum vocant) sed mobilem, primus instituit, Anno Christi septingentesimo sexagesimo septimo, Constantini Copronymi Imperatoris vigesimo septimo; sequenti vero febre correptus, obijt; Elatusque regia pompa, ac communi omnium luctu, patriæ parens; Christianæ Religionis defensor, Regnique restaurator, in æde Dionysiana funeratus fuit, hoc elogio præfixo.

[PIPINVS REX PATER CAROLI MAGNI]

Duos vero filios habuit, quorum primus Carolus, postea Magnus dictus, Galliam occidentalem, Burgundiam, & Aquitaniam obtinuit; secundus autem Carolomannus Suessiones, & Rhenanas prouincias. *Ado, Regino, & alij.*

ICON

PIPINI FRANCORVM REGIS.

Pipinus cognomento breuis, Caroli Martelli filius, consilio magnus, manu strenuus, victorijs inclytus, pietate summus, vita, famaque illustris, atque omnibus gratus, Regno omnium ordinum consensu, ipsaque cum virtute, innitente fortuna, potitus, Alpes actutum transgressus est, Regemque Longobardorum Aistulphum, Romanis, ac Christianæ Religionis infestum hostem, bis victum, bis fugatum, bis castris exutum, immo etiam Regno, si ea mens Franca fuisset, vt sæpe in Magistrum scelera redierunt sua, Exarchatu, Stephano summo Pontifici cedere adegit. Tum Saxones, ac Bauaros non minori fœlicitate oppressit; Vaifaroque Aquitaniæ Duce prostrato, haud ignobilem prouinciæ illius partem occupauit; tantisque rebus bellicis clarus, supremo vitæ suæ die emenso, Regnum suum victricibus suis armis gloriosè amplificatum Carolo Magno filio suo, Imperio dignissimo, tota acclamante aula, legauit.

CAROLI MAGNI FRANCORVM REGIS Gesta.

Pipino patre funerato, Franciæ regimen, principum omnium suffragijs, atque votis, suscepit, Anno Christi septingentesimo sexagesimo octauo. Verum cùm in regnandi primordijs, positum sit rerum discrimen, in Aquitaniam rebellantem confestim magnis itineribus profectus est; captumque Hunaldum huiusce Prouinciæ Ducem in vincula coniecit. Anno autem septingentesimo sexagesimo nono, Desiderij Longobardorum Regis filiam (sororem vocat *Paulus Æmilius*) Berta matre impellente, thoro sibi iunxit.

HEROES

Froila in Hispania Rex Meninam, alij Memoranam scribunt, Eudonis Aquitaniæ Ducis filiam, in vxorem accepit, Anno Christi septingentesimo sexagesimo primo, Constantini Copronymi Imperatoris vigesimo primo. Hic magnos inter Principes numerandus esset, plurimis victorijs, ac rerum præclare gestarum gloria inclytus, ni Bimaranum fratrem, eximiâ corporis dignitate, atque morum candore insignem, studia populi concitantem, proprijs manibus impie æque, ac crudeliter iugulasset. Inuidiam tamen ex tam funesta cæde iustè succensam restinguere quamprimum curauit, Veremundum, occisi fratris filium principatus sui hæredem instituens, sed nullo fructu, cum cœlo æque, ac hominibus inuisus esset. *Ioannes Vasæus.*

Dominicus Monegarius, sextus Venetorum Dux, duro, asperoque ingenio, patrij moris, ac legum immemor, omnia insolenter peragens, magistratu, oculisque priuatus fuit eodem Christi anno; in eiusque locum, Mauricius Heracleanus, vir summis virtutibus moribusque antiquis illustris, subrogatus. *Coccius, & alij.*

Eugenius octauus Mordaci Regis filius, Ethfino, fato, consumpto, Regni Scotici fasces, Sceptrumque obtinuit, Anno Christi septingentesimo sexagesimo secundo, Constantini

Copronymi Imperatoris vigesimo secundo, sumptisque in Argadia, veteri instituto, regijs insignibus, permultos famosorum criminum reos, magnis affecit supplicijs, rebusque omnibus compositis, pacem, atque Religionem summè coluit, perstititque, priorum Regum more, in sancito cum Anglis, Britannis, ac Pictis fœdere. Verum, vt hominum mentes nimia rerum affluentia, & otio, in pessima præcipites sæpe ruunt, sic ipse, supremæ auctoritatis nomine, sibi adblandiens, subito, nescio quo malo genio, impulsus, in fœdissima prolapsus est scelera, luxu certe maiori, quam sit hominis, difluens. Virginum quippe, nobiliumque matronarum pudicitiæ expugnator, ganeis, popinis, nouarumque voluptatum, ac monstrosi concubitus Architectis, (quod hominum genus iucundissimum sibi esse, omniumque horarum amicum, palam profitebatur) nimium addictus fuit; ijsque immersus vitijs, in deteriora in dies vitia abijt; Religionis scilicet contemptum, auaritiam, & Parricidia; quibus opulentorum fortunis, facilius potiretur. *Leslæus, Hector Boëtius, & alij.*

Sabinus Bulgarorum Rex à suis eiectus, ad Imperatorem se recepit, Anno Christi septingentesimo sexagesimo quarto, Constantini Copronymi Imperatoris vigesimo quarto. Purpuram interim, vir, Paganus nomine, omnibus illi applaudentibus, induit, rerumque administrationem suscepit.

Furgesius tertius, Ethfini filius, Eugenio à primoribus aulæ, pugionibus confosso, Scotorum Rex salutatus fuit, anno sequenti. Hic insitam prauitatem, deformitatemque, quam priuatus, ementita quadam specie, adumbrarat, ad Imperium euectus, continuo impudenter profudit. Pellicum siquidem gregem domi habuit, quibus iustam coniugem in contumeliam ancillæ redactam, sordidissimo ministerio seruire coëgit. Verum id Regina ægerrime ferens, ipsum pie admonuit, fore vt si toties geniale thorum, lupanari macularet infamia, suisque in sceleribus perseueraret, debitas pœnas, in regiæ familiæ dedecus exolueret. Quibus irritatus magis, quam emendatus Princeps, in maiora multò prolapsus flagitia, supremi numinis iram expertus est.

Alredus, seu Altredus Northumbriæ Rex, è solio à suis detrusus fuit, Anno Christi septingentesimo sexagesimo sexto;

Ethelfredus illi, seu Ethelbertus, Regis Moli filius, Northumbrorum votis successit, *vt vult Polydorus lib.* 4.

Tuto, Nepesianus Dux, collecta armatorum manu vrbem inuasit] anno sequenti, fratremque Constantinum Laïcum hominem, sacris initiari, & in Pontificem eligi curauit; Desiderio Longobardorum Rege annuente. *Ita Anastasius Bibliothecarius, & alij.*

Aurelius, Froilæ Regis Hispaniæ interfector, Bimarinique vindex, gentis consensu, Regnum adeptus est, Anno Christi septingentesimo sexagesimo octauo; Alfonso Froilæ filio, ob ætatis imbecillitatem, & paternæ memoriæ inuidiam, prætermisso. *Ioannes Vasæus.* Ipso principatus initio decretum tulit, quo concessit nobilibus Virginibus, posse sibi Sarracenos matrimonio iungere. *Lucas Tudensis.*

Saluathius Eugenij octaui filius, & ad magna progenitus, Furgusio Scotorum Rege extincto, eodem Christi anno, ad Reipublicæ curam, multitudine fœlicitatem precante assumptus fuit, tertioque principatus sui anno, podagram, articulorumque morbum, ad supremum vsque diem contraxit. *Boëtius Hector, & Leslæus.*

Leo quartus, Constantini Copronymi Imperatoris filius, Irenem Attici sanguinis fœminam, pietatisque laude, & forma eleganti insignem, connubio sibi iunxit; proximo vero anno, in consortem Imperij à Patre adscitus est.

Hunaldus, fauore nominis (quod Eubonis filius maior Hunaldus vocitatus fuisset) Aquitaniæ Dux creatus, Saxonibus frustra, ac Pictonibus in Francos sollicitatis, ad Lupum Vasconum Regem confugit, à suisque captus, vinctusque in carcerem detrusus fuit sub idem tempus. *Aimoinus.* Desiderius Longobardorum Rex Romanos grauiter afflixit, Anno Christi septingentesimo septuagesimo, præstito licet iuramento, se Ecclesiæ iura seruaturum, *vt refert Anastasius.*

VIRI ERVDITI.

S. Vualburga, vel Vualburgia natione Angla, virgo quantum sexus patitur bonis in litteris diligenter exculta, Vuillebaldi fratris odeporicum librum composuit. *Pithæus de Anglia*

ſcriptoribus. S. Vuillebaldus ex regali ſanguine ortus, doctrinæque gloria illuſtris Epiſtolarum librum ad Anglos Britones, & Gregorium tertium, atque Zachariam ſcripſit, *vt refert citatus Auctor.* S. Lullus, vel Iulius ex nobili apud Anglos familia genitus, & multiplici rerum cognitione percelebris, librum vnum Epiſtolarum contexuit.

Paulus Diaconus patria Aquilenſis, genere vero Longobardus, eruditione, ac eloquentia ſumme clarus, magno, ob ingenij ſui magnitudinem, in pretio fuit & deſiderio Longobardorum Regi, ac toti aulæ; libros ſex de Longobardorum geſtis compoſuit; duoſque, Adelpergæ Deſiderij filiæ, & Arachis eius matris rogatu, Eutropij Hiſtoriæ addidit. Ita permulti ſcriptores, inter quos *Philippus Bergomenſis.*

OPERA PVBLICA.

Carolus Magnus Francorum Rex in expeditione, quam aduerſus Hunaldum Aquitaniæ Ducem ſuſcepit, Anno Chriſti ſeptingenteſimo ſexageſimo nono, Franciacum oppidum, ad infringendam hoſtium audaciam, edito, opportunoque in loco, ad Dordonam fluuium condidit, præſidio impoſito. *Paulus Æmilius, & alij.*

PRODIGIA.

Tanto terrore paſſim è cœlo faces micantibus ſtellarum more flammis decidere, Anno Chriſti ſeptingenteſimo ſexageſimo tertio, vt proximus mundi interitus crederetur. *Sigiberto teſte.*

CALAMITATES.

Sæuum ab aquilone frigus, non in orientem modo, ſed Septentrionem, ab Octobris Kalendis anni ſupra citati adeo incubuit, vt omnia pene decoxerit, rapidiſſimaque, atque verticoſa flumina, immo & Euxinum Pelagus, ad centum milliaria, ita conſtrinxerit, vt non hominibus tantum, verum & ipſis plauſtris etiam onuſtis permeabile fuerit. Eius enim glacies ad triginta cubitorum craſſitiem aucta, niue ſub inde è cœlo

decidente, atque obrigente, ad quinquaginta excreuerat. Appetente autem vere, illaque fatiſcente, concreti veluti montes, in Propontidem atque Hellespontum prolapſi, villas, domos, atque Inſulas grauiter afflixere. Ea inſuper vi frigoris remiſſa, ſolutiſque Ponti, ac fluuiorum gurgitibus; in humanum item genus à cœlo, atque elementis ſæuitum eſt; tantam ſiquidem aquarum penuriam ſiccæ nubes, arenteſque fontium ſcaturigines, intulere, vt cuncta funditus perierint, *vt volunt Theophanes, Zonaras, Nicephorus, & alij.*

RES BELLICÆ.

Sarraceni Hiſpaniam magnis cladibus deformarunt, Anno Chriſti ſeptingenteſimo ſexageſimo primo, Conſtantini Copronymi Imperatoris vigeſimo primo. Valentiam vero Tarraconenſem vrbem, Coloniam Iuliam, vt habet nummus æreus in Golozij Hiſtoria, & Romam antea, à Romano quondam Hiſpaniarum Rege dictam, bellico furore accenſi diripuerunt. Africa item eodem anno cædibus, atque incendijs euaſtata fuit.

Vaifarus Aquitaniæ Dux, rupto fœdere, Franciam, infeſto agmine, ingreſſus eſt ſub idem tempus. Huius inſignem perfidiam vindicaturus Pipinus Rex, in eum derepente aduolauit. Inde natum bellum contumax, exardeſcentibus paulatim partium ſtudijs; Duce pro patriæ, Pipino pro Religionis dignitate pugnantibus. Pictones, Bituriges, oppidaque paſſim alia permulta, à Francis capta, cæſis Auernorum, Pictorumque, qui rebellis hominis partes tuebantur, Comitibus. Caroli laudatiſſimi Herois, nondum tamen Magni, virtus, hoc bello clariſſime enituit, quo, maioribus poſt prælijs, ſub haud pœnitendo magiſtro parente præluderet, & aſſuetus à teneris Commilito prudentiſſimi Ducis parentis, bonum, & capax recta diſcendi ingenium, ſingulari rerum militarium experientia, excoleret; vt de Alexandro quondam Magno fertur, qui anno octodecimo natus, virtutis, ac promptitudinis in rebus agendis, manifeſtiſſima ſub patris militia, tyrocinij rudimenta depoſuit. Anno autem ſeptingenteſimo ſexageſimo ſecundo, Conſtantini Copronymi Imperatoris vigeſimo ſecundo, copiæ iterum, vere ineunte, in Aquitaniam deductæ fuere, mul-

tæque vrbes, quibus se rebelles communierant, expugnatæ. *Aimoinus, Gaguinus, Ado, & alij.*

Turci, seu Turcomanni, è Scythia, Tartariaue orientali, erumpentes, portasque Caspias transgressi, Armeniam, varijs incursionibus deprædati sunt, immo, si aliquibus creditur, ipsam occuparunt. Anno vero Christi proximo, vt à vulgari lue, quæ apud eos fœde grassabatur, vitæque præsent i periculo eximerentur, crucis in modum, Christianorum suasu, tondere se inceperunt. *Ita Sigebertus, & Guillielmus Tyrius lib. 1.*

Bulgaris Reipublicæ hostibus, bellum atrox terra, marique indixit Imperator; eosque acriter ad Anchialum aggressus est. Pugna, ab hora diei quinta, ad vesperam vsque, magna cum pertinacia durauit; multi vtrinque cæsi, victor tamen Constantinus, Bulgarorum Duce fuga elapso, ingentique Barbarorum strage edita, euasit, *vt referunt Zonaras, & alij.*

Froila Hispaniæ Rex Abderhamenum Sarracenorum Principem, victorijs, prosperoque rerum successu, insolescentem compressit; immo ditionis Christianæ fines, non modo aduersus victricia Barbarorum arma, sed etiam aduersus Prouincialium tumultus, mira fœlicitate tutatus est.

Turbant Hispaniam Vascones eodem Christi Anno septingentesimo sexagesimo tertio. Agenazarus autem quidam Aquitanus quem Eudonis filium, nonnulli Vaifari fratrem vocabant, rem ita strenuè ac fœliciter aduersus publicos nominis Christiani hostes gessit, vt insigni Aragoniæ Regno initium dederit.

Pipinus in Hispaniam anno sequenti profectus, Cantabris opem tulit, eorumque animos aduersus Barbaros auxit. Verum dum Cantabricum bellum, Francorum arma in se conuertit, Vaifarus nulla obsidum cura tactus, excursiones vltro in Franciam, Burgundiamque fecit, nec redijt nisi præda ingenti parta, nobilis prædo, sed minime generosus hostis. Qua de re certior factus Pipinus Rex, compositis cum Sarracenis rebus, in rebelles reduxit exercitum, captisque Engolisma, Agenno, Petrochoriorum Augusta, alijsque oppidis; Aquitaniæ partem haud ignobilem occupauit. Vaifarum vero inter Ligerim, & Garumnam, in Santonum tractu profligauit. Hinc secuta Prouinciarum vrbiumque defectio; frustra veniam ab irato, & victore,

victore, postulante Vaifaro, cuius tandem infœlix exitus, bello finem imposuit. *Paulus Æmilius.* Redintegratur bellum contra Bulgaros, Anno Christi septingentesimo sexagesimo sexto, Constantini Copronymi vigesimo sexto. Toto vero, Neposinus Dux, Desiderio Longobardorum Rege fauente vrbem inuasit sub idem tempus.

Hunaldus Vaifari Aquitaniæ Ducis, vt volunt aliqui, filius, superioris belli reliquijs, sociorumque aliquot suplementis, infida inter fratres Carolum, & Carolomannum Regni societate prouocatus, sicque magis discordiæ Franciæ, quam virtutis suæ fiducia incitatus, bellum iterum Aquitanicum mouit, Anno Christi septingentesimo sexagesimo nono, Constantini Copronymi vigesimo nono. Is itaque, Santonibus, ac Pictonibus frustra in Francos sollicitatis, ad Lupum Vasconum Regem, se recepit, vt in communi causa, paribus, ac communibus consilijs, viribusque certarent. Sed fortuna virtuti fauit; metu deiecti hostes, quam belli societate erecti, ac fortes, nutare ceperunt. Carolus igitur Francorum Rex, castris ad Garumnam positis, per legatos dedi sibi Hunaldum, Lupo imperauit, nisi pareret exitium minatus; tanto terrore ea vox accepta fuit, vt è vestigio dedendum Carolo Hunaldum, Vascones opinati fuerint. Adductus ergo summus ille bello Dux, nec nisi suis prodentibus victus, vinctusque in vincula coniectus fuit; sicque accepta omni Aquitania, Galliæ magna quies extitit. *Aimoinus, Paulus Æmilius, & alij.*

Seruili denique bello flagrauit Hispania, Anno Christi septingentesimo septuagesimo. Serui siquidem studio libertatis incensi, & temporum perturbatione confisi, arma magno numero, corripuere. Quam ob rem, Aurelius Rex, fœdus infame, hacce conditione, cum Mauris inijt, vt scilicet ingenuas Christianæ fidei virgines, ad certum numerum quotannis, tributi nomine, eis persoluerent. *Lucas Tudensis.*

REI INSIGNES.

Donaldus magni nominis apud Scotos vir, & Argadiæ quæstor, multorum criminum insimulatus, ac præsertim prouinciarum quibus præerat deprædator habitus, grauibus sup-

plicijs, Eugenij octaui Regis iussu excruciatus perijt, Anno Christi septingentesimo sexagesimo quinto, Constantini Copronymi Imperatoris vigesimo quinto. Mordacus vero eorundem scelerum conuictus, obtruncatus fuit, *vt habet Leslæus, Buchananus, & alij.*

Ramistanus Vaifari Aquitaniæ Ducis patruus, singulari perfidia à suis, falso deficiens, vt occultius, ac fœdius Francos euerteret, Francorum partes, simulata transitione, amplectitur, captusque perfidiæ suæ pœnas, affectus cruce persoluit, eodem Christi anno. *Paulus Æmilius.*

Scotorum Regina mariti sui Fergasij tertij, necis conscia, in publicum prodiens, infandum illud scelus confessa est. Verum ne ad ludibrium superesset, pectus actutum cultro confodit, prolapsaque in vulnus, moribunda cecidit, Anno Christi septingentesimo sexagesimo octauo, Constantini Copronymi Imperatoris vigesimo octauo. *Leslæus, Hector Boëtius, & alij.*

OBITVS ILLVSTRES.


Ethfinus Scotorum Rex, dum de Scotia ad pristinum statum reuocanda cogitat, senio confectus interijt, Anno Christi septingentesimo sexagesimo secundo, Constantini Copronymi Imperatoris vigesimo secundo. *Leslæus.*

Vaifarus Aquitaniæ Dux, à suis clientibus, quod bellum toties victus, in popularium suorum exitium, repararet, iuxta Burdegalam interfectus fuit, cœnoque sepultus, Anno Christi septingentesimo sexagesimo quinto, Constantini Copronymi vigesimo quinto. *Paulus Æmilius.*

Eugenius Scotorum Rex Mordaci filius, omnia Reipublicæ ornamenta, luxu, auaritia, & audacia obterens, à nobilibus coniuratis, pugionibus in curia confossus occubuit. *Hector Boëtius, & alij.*

Furgesius Scotorum Rex, à Regina, quam in contumeliam ancillæ redegerat, pie admonitus ne toties genialem thorum lupanari infamia macularet, in maiora prolapsus interemptus fuit, Anno Christi septingentesimo sexagesimo octauo, Constantini Copronymi Imperatoris vigesimo octauo, principatus vero sui tertio. *Hector Boëtius, Leslæus, & alij.*

Froila Hispaniæ Rex Bimarini fratris sui percussor, hominibus, cœloque inuisus, suorum, vel Aurelij coniuratione Canicæ perijt, eodem Christi anno. *Vasæus.*





DECAS OCTAVA.

CONSTANTINI COPRONYMI Imperatoris Gesta, & Obitus.



Vm quasi indicto bello mortales immortalesque prosequitur, ac nouam aduersus Bulgaros expeditionem parat, morbo derepente correptus, funesto vlciscente diuino numine, viuos inter exitu desijt, decima quinta die Septembris, Anni septingentesimi septuagesimi quinti, principatus sui trigesimi quarti, & mensium propemodum trium. Cæterum illius Cadauer, Irene Augusta ipsius nurus, Theodori Antistitis hortatu, refossum publice cremari iussit, cineremque in mare iactari. *Ita Græcorum Annales.*

ICON

CONSTANTINI COPRONYMI Imperatoris.

Constantinus Imperator, Leonis Isaurici filius, Copronymus dictus, quod infans baptismi lauacro admotus, medijs sacris, aquam, alimoniæ excremento inquinasset. Ex quo non vanum certe S. Germanus Patriarcha, qui eum abluerat, impietatis illius omen accepit. Bimus coronatus Porphyrogeniti nomen meruit. Dein in societatem Imperij à patre adscitus, non Diuorum templis, non sacris reliquijs, non Beatæ Mariæ virginitati pepercit. Horret animus litteris prodere, quod de eius nefaria improbitate, Græci scriptores memoriæ tradidere. Ipsum enim Iudæum modo, modo Nestorianum; Manichæum modo, modo Icono-

machum, & Caballinum vocitabant. Artabaſtum primæ nobilitatis hominem; Annæque ſororis virum, æmulum Imperij, principatus ſui initio habuit, inuiſus ipſe vulgo, ob Hæreſim, & peſſimam indolem, haud obſcuris indiciis compertam. Excluſus Conſtantinopoli, profugit, Artabaſto Imperatore ſalutato, qui Catholicum cultum confeſtim reſtituit; hunc tamen biennio poſt à ſe captum, cum filio excæcauit. Sarracenorum, Sclauorum, & Bulgarorum bellis plurimis, alternante fortuna, appetitus fuit; de ipſis nihilominus aliquando fœde deletis, triumphum modo veteri, apparatiſſimaque pompa, ac vrbe tota effuſa, ſplendide egit. Paulo poſt vero expeditionem in eoſdem nouam ſuſcipiens, ignota medicis ægritudine correptus, & in nauigium impoſitus; miſerandam efflans animam; æterno ſe, ob dehoneſtatam Beatam Virginem, Dei genitricem (quam ſummis exhinc coli honoribus voluit, præcepitque) damnatum incendio teſtatus eſt. Sicque tam perfidus, atque impius Princeps, qui Sacro-ſanctam Virginem Mariam, Dei genitricem, & Chriſtum Deum eſſe conſtanter pernegarat, exquiſitiſſimo cruciatu conſumptus, infœlicem ſortitus eſt vitæ ſuæ exitum.

LEONIS IMPERATORIS Geſta, & Obitus.

Sublato Conſtantino Copronymo patre, Imperium ſuſcepit, Anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo quinto; ſequenti vero filium ſuum Conſtantinum, Auguſtum renuntiauit. Telericum autem Bulgarorum Regem, defuncto parenti maxime infeſtum, in eum enim ſæpe ſæpius arma conuerterat, Byzantium profectum omni comitate excepit, patriciumque creauit, immo vxoris ſuæ conſobrinam, in coniugem dedit, Anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, principatus ſecundo. Triennio demum poſt Hæreticum, Tyrannumque agens, manifeſtas ſupremo numini pœnas dedit, Anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo. *Theophanes, Cedrenus, & alij.*

ICON

LEONIS QVARTI IMPERATORIS.

Leo quartus Constantini Copronymi filius, Porphyrogenitus etiam dictus, infans enim ad Imperij consortium à Patre assumptus fuerat. Hic non principatus solum, sed & paternæ impietatis hæres extitit. Acquisita siquidem, ingenti largitione, populari aura, in sacrarum imaginum cultores, patris exemplo, immaniter desæuijt, Hæresim publice professus; quam infando insuper sacrilegio cumulauit. Gemmarum enim cupidus, coronam varijs radiantem lapillis, quam augustissimo Sophiæ templo Mauricius quondam Augustus dedicarat, detractam inde, capiti suo imponere haud veritus. Quod scelus, pœna diuinitus subsecuta est. Ardentissima enim haud multo post febris, ex carbunculis, è capite hinc inde erumpentibus exorta, hominem, qui carbunculos perdite expetierat, haud multo post perdidit.

CONSTANTINI IMPERATORIS Gesta.

Constantinus Leonis quarti filius extincto patre, rerum cum Irene matre fœmina magnis ornata virtutibus, potitus est, Anno Christi septingentesimo octogesimo, Pristinamque cum Sanctarum imaginum, cultu, pietatem, tota Orientis Ecclesia applaudente reuocauit. *Ita Theophanes, Paulus Diaconus, & alij.*

CAROLI MAGNI FRANCORVM Regis Gesta.

Repudiata Desiderij Longobardorum Regis filia (sororem nonnulli vocant) quam inuitus, suadente Berta matre, dum illa gliscentem inter filios discordiam, Salaucijs componeret, matrimonio sibi iunxerat; Heldegerdam de gente Sueuorum, præcipuæ nobilitatis fœminam, in vxorem accepit, Anno Christi septingentesimo septuagesimo primo, Con-

ſtantini Copronymi Imperatoris trigeſimo primo; proceresque Regni ipſum vniuerſæ Galliæ, Carolomanno iam demortuo, Regem ſalutantes, perhumaniſſime excepit, ampliſſimiſque collaudatos verbis, ſummis proſecutus eſt muneribus. Quadriennio vero poſt, Anno ſcilicet Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo quarto, Conſtantini Copronymi Imperatoris trigeſimo quarto, commiſſa, Bernardo patruo, Ticini obſidione, Romam, appetente paſchali ſolemnitate, ſe contulit; vbi incredibili omnium voluptate exceptus fuit. Appropinquanti enim, præter ignobile mortalium vulgus, palmarum, oliuarumque ramos præferens, ſuccinenſque vt quondam, in ſaluatoris triumpho, *benedictus qui venit in nomine Domini*, non contemnendorum hominum, qui maieſtatis Romanæ indolem præ ſe ferebant, occurrerunt, aduentum illius gratulantes, numenque precantes, vt fœlix ei, ac nomini Francorum, Italiæ, populoque Romano, atque Pontifici foret. Præſtolabatur Regem Hadrianus, cum ſacro cœtu, præ gradibus ædis D. Petri. Tum Carolus vbi in congreſſum venit, prius Pontificis pedes oſculo contigit, quam ſe illi complectendum daret. Erat autem Hadrianus ſumma nobilitate, nec patria modo, ſed & ingenio pectoreque Romanus, ac veteri vrbe dignus; denique vt vita Pontificatuque ſanctus, ita animo, moribuſque regius. Vterque igitur, & in congreſſu, & longiori conſuetudine, alteri admirationi fuit. Proceres quoque Romani, Francique officijs omnibus, inter ſe, decertarunt, ſimulque ſocietatem, amicitiamque iunxerunt. Rex per quatriduum continens, templa circumiuit, donauitque munificentiſſime, ac diem, reſurgenti Domino feſtum, apud Pontificem egit; octoque dies in vrbe commoratus, nullis Religionis, liberalitatiſque regiæ partibus omiſſis, munera Pipini patris, non confirmauit modo, ſed etiam ampliſſime auxit, noua donatione Mantuæ, & Spoletani Ducatus. Ferunt Corſicam Inſulam, & quidquid Liguriæ, ab vrbis Lunæ, multis ante ætatibus, euerſæ veſtigijs ad Alpes pertinet, Pontificatui attributum. Plura alij recenſent, quæ prætereo. His peractis, Liberator, Seruatorque Italiæ, ac Patricius Romanus à Pontifice ſalutatus, ad caſtra perrexit, ſemeſtrique obſidione emenſa, captoque eorum Rege De-

ſiderio; Regno potitus eſt. Illud tamen, ſed fruſtra, reſtaurare conati ſunt, Adelgiſus, Deſiderij filius, Taſſilo Bauarus, eiuſdem Regis gener, Grimoaldus Beneuentanus, alijque quos armis deuictos, ſupplices, ſingulari humanitate Carolus ſibi deuinxit. Porro ordinatis Italiæ rebus, remiſſoque legendi ſummi Pontificis iure, qua erat ille animi moderatione; adactis ſua in verba, nouo ſacramento, ditionis armis ſubiugatæ proceribus, ſtratoque hiſce modis ad Imperium itinere, Franciam reuertit. *Regino, Blondus, & alij.*

Anno demum Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, Leonis quarti Imperatoris ſecundo, Sarracenorum Principes tres, ab Hiſpania, cum ciuitatibus, quibus præerant ſe dedentes, amplexus eſt. *Pithœus.* Breuique poſt, numeroſum in Hiſpaniam duxit exercitum.

HEROES

Sanguine, Geſtis, & Politia.

Abdalas Sarracenorum Princeps Hieroſolymam profectus decretum tulit, quo Chriſtianos omnes, Iudæoſque ſibi ſubditos, cauſmate manus inſcribi iuſſit, Anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, Conſtantini Copronymi Imperatoris vigeſimo ſecundo, *vt vult Theophanes.*

Deſiderius Longobardorum Rex, iuriſiurandi quod ad Sacro-ſanctum Principis Apoſtolorum limen, præſtiterat, immemor, Exarchatum, atque Vmbriam inuaſit, eodem Chriſti anno. Sequenti vero Viterbum profectus, extrema vrbi minitatus eſt. Verum, intentati anathematis religione perculſus, omnium cum admiratione Ticinum reuerſus eſt. Paulo poſt autem, Ticini à Carolo Francorum Rege, cum vxore, & liberis captus, Regnoque exutus, anno nimirum Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo quarto, Leodium Eburonum ad Moſam, cuſtodiendum miſſus fuit; vbi Regum miſerrimus, alienæ potentiæ olim auidus, proprio Regno priuatus, in exilio conſenuit. Solet enim diuinum numen, faſtuoſos deprimer, & ad humilem fortunam deiicere.

Hunaldus Aquitaniæ quondam Dux, quem Carolus Religionis,

gionis, ac voti ſimulatione, in Italiam miſerat; Longobardi animum ad quem confugerat, in ipſum Carolum concitauit. Habdala Sarracenorum Rege Chriſtiano nomini hoſte infenſiſſimo, vita functo, Madi filius, Regni curam, omnium Principum ſuffragijs ſumpſit, Anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo quinto, *vt refert Theophanes.* Notgardus Foroiulienſis Dux, fidifragus, Regnum Longobardorum, comparato exercitu, ſibi vindicare tentauit ſub idem tempus.

Aldegiſus, ſeu Adelgiſus Conſtantinopolim profectus omnibus beneuolentiæ officijs exceptus fuit, Patriciuſque creatus, cum fruſtra noua molitus fuiſſet, in Italiam reuerſus, abſque vlla ſpe rerum potiundi, conſenuit; *vt placet Auctori citato.*

Aurelio Hiſpaniæ Rege defuncto, Silo ſororis ipſius filius, Regni Legionis & Aſturiarum regimen accepit, eodem Chriſti Anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo quinto. *Ita Lucas Tudenſis.* Quidam tamen aſſerunt id peractum fuiſſe anno ſuperiori, auctoritate diplomatis donationis factæ, monaſterio, Regni illius primo. Pacem cum Sarracenis firmauit, vt eos qui nouis rebus ſtudentes, Imperium ſuum detrectarent, opprimeret. Gallæciam item rebellantem proſpere compreſſit. *Rodericus Toletanus.*

Telericus Bulgarorum Rex, Chriſtianæ Religionis ſtudio Conſtantinopolim ſe contulit, Sacroque baptiſmate inauguratus, Patricijque inſignibus, atque Irenæ Auguſtæ conſobrina, fauente Imperatore, donatus fuit, Anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, *vt ſcribit Theophanes.* Anſar Princeps, Arragonenſes à Sarracenorum iugo grauiſſimo fœliciter eripuit. *Lucas Tudenſis, & alij.*

Heldebrandus Spoletanus Dux ſpopondit Carolo Francorum Regi, Anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo nono, Leonis Imperatoris quarto, ſe ad eius nutum confeſtim præſto futurum. *Annales Franciæ.* Mauritio Venetorum Duce, morte abſumpto, Ioannes eius filius, antea in collegam aſſumptus, & in Eraclea omnium ſuffragijs confirmatus, ſolus rerum adminiſtrationem ſuſcepit. *Coccius Sabellicus.*

VIRI ERVDITI.

Lullus, vel Iulius, illustri familia ortus, multiplicisque doctrinæ gloria insignis, Epistolarum librum composuit. Plura habes de eo apud Guillielmum Malmesburgensem *lib.* 10. *de Regibus Anglorum.*

Alcuinus, vel Flaccus Albinus in Prouincia Eborensi natus, ingenij fœlicissimi, pietatis summæ, eruditionis singularis, latinarumque litterarum, tùm Græcarum, tùm Hebraicarum cognitione percelebris; Mathematicas, Philosophicas, & Theologicas scientias apprime calluit, docuitque. Ab Offa Merciorum Rege in Angliam ad Carolum Magnum de pace componenda transmissus, tanto in pretio fuit in aula, vt in Cæsaris Præceptorem assumptus fuerit, Principisque animum Dialecticæ, Rhetoricæ, Astronomiæ, aliarumque scientiarum Mathematicarum præceptis eruditè excoluerit, immo eum ad academiam Parisijs, instituendam induxerit. Quam ob rem Scotum, Clementem, aliosque S. Benedicti monachos doctissimos ex Anglia euocauit, primosque Lutetiæ Magistros constituit: vnde eleganter Poëta.

Quid non Alcuino, fæcunda Lutetia debes;
Instaurare bonas ibi, qui feliciter artes,
Barbariemque procul solus expellere cepit.

Cæterum librum vnum de animæ vtilitate scripsit ad Guidonem Comitem; alterum de ipsius natura, immortalitate, & ratione, ad Eulaliam; de Grammatica item vnum; Dialogorum inter se, & Carolum Magnum librum vnum; dogmata ex dictis, & canonibus ad eundem, librum vnum; Rhetoricam insuper, & Chronicorum suorum librum vnum; de septem artibus liberalibus, librum vnum; Disputationum cum Pipino, librum vnum; speculum paruulorum; Dialogorum ad discipulos, librum vnum; de proprietate rerum, & sermonum, librum vnum; Epistolarum ad diuersos, librum vnum; prognosticon de sæculo futuro; de Astronomia librum vnum; de Ortographia, librum vnum. Didascalicon librum vnum; Carmi-

num ad diuerſos librum vnum. Adde varias inſtitutiones Rhetoricas, Dialecticas, Grammaticas, Politicas, & Imperiales atque Heroïcas. *Ita Baleus, Vincentius Bellouacenſis, & alij qui fuſe de eo ſcripſere.* Reliqua pia opera habes in ſacra mea Hiſtoria.

NATALITIA AVGVSTA.

Auctus eſt Carolus Magnus ex Hildegarda vxore duobus maſculis, Anno Chriſti ſeptingenteſimo ſexageſimo octauo, quorum vnus, haud multo poſt obijt, ſuperſtes alter, Ludouicus, à parentibus appellatus fuit. *Aimoinus.*

REGNORVM OCCASVS.

Deſiderio Longobardorum Rege, à Carolo Magno Francorum Cæſare deuicto, captoque, Anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo quarto, Conſtantini Copronymi trigeſimo quarto, Longobardorum Regnum quod ducentis, ac ſex annis circiter, in Italia victricibus armis, fauenteque fortuna floruerat; totque laboribus bellicis, ac effuſo ſanguine partum fuerat, corruit penitus; *vt ſcribunt, Eginhardus, & Anaſtaſius Bibliothecarius.*

PRODIGIA.

Lapidea arca, in qua viri cuiuſdam magni cadauer viſebatur, reperta fuit in Thraciæ mœnibus, Anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo cum hac inſcriptione.

Κριςὸς γεννάσθαι, ἐκ παρθένυ, κα πιςιένω ἐις αυτὸν, ἐιπ δὲ Κωνςαντίνυ, κὴ ἐιρήνης, πάλιν ὠ Ηλιε ὄψει με.

[CHRISTVS NASCITVR EX VIRGINE: CREDO IN EVM: SVB CONSTANTINO, ET IRENE O SOL ITERVM ME VIDEBIS.]

RES BELLICÆ.

Deſiderius Longobardorum Rex, Hadriani ſummi Pontificis hoſtis, Rauennatium, infeſtis armis, Exarchiam ingreſſus, Fauentiam, Comaclumque occupauit, Anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, Conſtantini Copro-

nymi Imperatoris trigesimo secundo. Rauenna quidem ægre vim sustinuit. Verum propius vrbem mouens, Vrbinum, Senogalliam, & Euburgum cepit.

Carolus sub idem tempus Saxones rebellantes fortiter compressit, auditoque anno sequenti nuntio, omnia in Italia hostilia, coacto exercitu, Cottias Alpes, magna celeritate, transcendit; Ticinumque, vbi se Desiderius validissimis mœnibus cinxerat, obsedit. Dein cum delecto equitatu, Veronam, alteram Longobardorum regiam, quò Aldegisus Desiderij filius, cum Carolomanni liberis, eorumque matre confugerat, profectus est, captosque nepotes, vna cum matre, Aldegiso fuga elapso, in Franciam, regio comitatu, transmisit. Tum Romam, Anno Christi septingentesimo septuagesimo quarto, Constantini Copronymi Imperatoris trigesimo quarto, se contulit; inde ad castra reuersus, Ticino potitus est. Tandem ordinatis Italiæ rebus, Saxonicum bellum, antea susceptum, sed leuius intermissum, renouauit anno proximo. Eresburgum nobile oppidum, atque arce potens, expugnatum nuper à Francis, præsidijsque firmatum, atque egregie diu defensum, sed sinistra eruptione debilitatum, captum fuit ab hostibus. Equitatus Francorum, rerum Italicarum recenti gloria, ingens, quatuor in partes diuisus, effusiori bello, hostium fines euastauit; Saxones vero ignari, cui potissimum parti obuiam procederent, ancipiti terrore, circumfusi fuere. Eresburgum statim receptum, fusis, fugatisque maximo prælio Saxonibus; promotæque vltra Visurgim amnem copiæ. Poterat ea clade frangi hostium impetus; sed altè insitus libertatis amor, genus hominum armis ferox, & seruitij plane insolitum, bello iterum implicuit; non meliori, quam nuper fortunæ successu. Carolum enim vt rerum nouarum cura, sic victoria sequebatur, & quot partes orbis terrarum sunt, totidem faciebat monumenta triumphorum. Pene tamen fraude interceptus, ex supina nostrorum negligentia, magnum vitæ periculum adijt. Nocte siquidem iam appetente, Saxones Francis, vt Commilitones permixti, castraque ingressi, ac sublato ex compacto clamore, inermes cædunt, sternunt, omniaque multo effuso cruore complent. Increpante mox Rege, ac virtutem Francorum semel quidem fraude eludi potuisse; iterum

vero neque falli, neque vinci posse, inclamitante; fortissimi iuuenes acceptam ignominiam hostium sanguine detersere; nihil enim illis ad arma, & soluendam iniuriam promptius fuit. Incitabat virtutem tùm regia vox, tùm ignominiæ delendæ cupido. Omnia itaque diripuerunt, incenderuntque, ac trucis iræ exemplum editum; clamor, ploratusque omnis generis mortalium, sexusque, atque ætatis exauditus; crudelitas passim grassata; nec cædendi finis vllus fuit, donec demississimis precibus, lachrymisque Carolum placauissent. *Ita Francorum Annales.*

Aldegisus, Desiderij Longobardorum Regis filius, orientis Augustum, in Carolum accendens, ac Longobardorum proceres, paternosque amicos, Byzantio, classe à Græcis accepta, soluit, Anno Christi septingentesimo septuagesimo sexto, Leonis quarti Imperatoris primo. Rhogandus insuper Foroiuliensis Dux, belli partem suscepit. Quibus de rebus certior factus Carolus, equites cum leui armatura, magna celeritate præmisit, commissaque pugna, Rhogandus prima acie cecidit, fuga cæterorum maiore, quàm cæde. *Sigonius, & alij.* Leo quartus Imperator biennio post vario marte cum Arabum Regibus pugnauit. *Theophanes.*

Gallica arma quietis ignara in Hispaniam versa sunt eodem Christi Anno septingentesimo septuagesimo octauo. Carolus enim ab Asturibus, & Gallæcijs Hispaniæ populis, quos Barbari crebris affecerant cladibus, euocatus, Sarracenorum bellum ab æuo susceptum, & à patre aliqua ex parte gestum, conficiendum sumpsit; auxitque belli desiderium, Barbarorum discordia, & Cæsar Augustorum Regulus Ibnabala, qui se à suis pulsum Regno, mentitus, Regem barbara fide, pene decepit; nullumque genus auxiliorum repudiatum est; non modo, qui in ditione, fideue Caroli erant; sed & quidam Danicæ iuuentutis proceres, inter Duces recepti; quos studio armorum, virtutisque ostentandæ cupido, perduxerat; nec traijciendis Alpibus assuetum militem terrebat Pyrenæi saltus asperitas, rupesque nubibus infessæ, cœlo immistorum montium iuga niuibus cana, confragosæque, atque arctæ, vt pleræque præcipites viæ, depressissimæque conuallium altitudines, strepitusque amnium, cum sonitu decidentium, viduaque gignentibus, & cultu hominum vacua, desertaque loca. Pyrenæo igitur saltu, pari generositate,

ac facilitate, quam inuictis nuper Alpium iugis ſuperatis, ad Pompeiopolim (Pompelunam vocant) caſtra poſuit. Ea vrbs dum Barbarorum vires coirent, & iuſto exercitu Francis occurrerent, ſtrenue deffenſa oppugnationem diſtulit. Carolus quo promptius oppidum expugnaret, diu, noctuque continuari oppugnationem imperauit; admotiſque omnis generis machinis, tanta vi, ac pertinacia, vt breui, conſternatis hoſtibus, & non intermiſſo impetu fractis, poſt tertium oppugnationis menſem, Franci oppido potiti ſint. Præda ingens hominum facta; muri in planum ſummiſſi, Vrbs vero quæ à Pompeio Magno condita primum fuerat, à Carolo Magno poſt nongenteſimum circiter fundationis annum, penitus diruta. Hocce terrore, perculſæ ciuitates finitimæ, imperium victoris accepere; reſtitutus etiam in Regnum Ibnabala, cum antea tributum annuum pactus fuiſſet. Fœlix illa expeditio & proſpera fuiſſet; ſi primis vltima reſpondiſſent. Solet enim eſſe fœlicitatis pediſſequa calamitas; nihilque tam lætum eſt, vt nihil acerbi habeat mixtum. Ibnabalæ ſiquidem perfidia, vt fama eſt, impedimenta, vaſæque omnia Francorum expilata fuere, dum per Pyrenæos reduceretur exercitus; regiæ opes direptæ à Barbaris, notitia latebrarum, ac viarum compendijs, ſe tegentibus; cæſo etiam Rolando Britannici littrois præfecto. Prædones tamen non perſecutus eſt Rex, cum Saxonicus tumultus, belli molem ad ſe traduxiſſet.

Saxones Vindocindo Duce, peregrinantibus quaſi in Hiſpania Francorum armis, fruſtra ad belli ſocietatem ineundam, ſollicitatis Danorum Proceribus, manu haud ſpernenda propriæ iuuentutis, Rhenum tranſgreſſi, Galliæ fines, igne, ferroque euaſtarunt. Verum audito Caroli aduentu, de fuga, & latebris cogitare Saxones cepere, Vindocindo in tutum ſe recipiente; cæteri à ſuo Duce deſerti palantes, cæſi à regijs copijs, ad vnum fuere. Dein Carolus, vt paulatim Saxonum genus extingueretur, grauiſſimis legibus impoſitis, tributis inſuper onerauit; Præfecturis, ac magiſtratibus priuauit, Veſthaliamque victricibus armis diripuit; *vt teſtatur Pithæus, & alij.* Septingenteſimo denique, & octogeſimo Chriſti anno, Arabes in Imperium Romanum effuſi, domiti fuere. *Theophane Auctore.*

REI INSIGNES.

Nicephorus Cæsar, Leonis Imperatoris frater, maiestatis insimulatus, cæsus publice, ac tonsus; Chersonam vna cum alijs coniurationis conscijs deportatus fuit, Anno Christi septingentesimo septuagesimo sexto, Leonis Augusti primo. *Ita Annales Græci.*

Gregoria Logotheta, & Bardus dudum Armeniorum Prætor, Constantinus Vicarij Spatharius, ac domesticus excubitorum, Theophilactus, Ramgabi, Dungarius duodecimæ Insulæ, multique alij noua molientes, Anno Christi septingentesimo octogesimo, Leonis quarti Imperatoris vltimo, exilio mulctati fuere, *vt vult Theophanes.*


OBITVS ILLVSTRES.

Carolomannus, Caroli Magni Francorum Regis frater fato abreptus est, Anno Christi septingentesimo septuagesimo primo, Constantini Copronymi Imperatoris trigesimo primo. *Pithæus.*

Biennio post Hunaldus Aquitaniæ olim Dux, aspernandæque pacis, apud Longobardos auctor, ab interfectorum vxoribus, lapidibus obrutus fuit, *vt refert Paulus Æmilius.*

Habdalas Sarracenorum Rex, Christiani nominis hostis infensissimus, interijt, Anno Christi septingentesimo quinto; *Ita Theophanes, & alij.* Aurelius, eodem anno Christi, in Hispania Rex obijt, *Lucas Tudensis.* Proximo vero Rothgandus Foroiuliensis Dux in bello occubuit.

Rolandus Britannici littoris præfectus & Palatinus Comes, nepósque ex sorore Caroli Magni Francorum Regis, vir miræ magnitudinis, & singularis fortitudinis, cecidit, in acie ad montes Pyrenæos, Anno Christi septingentesimo septuagesimo octauo. *Philippus Bergomensis.* Anno demum septingentesimo septuagesimo nono, Mauritius Venetorum Dux è viuis sublatus fuit, *Coccio Sabellico teste.*



DECAS NONA.

CONSTANTINI IMPERATORIS & Irenes matris gesta.

IRenes Augusta, Rotrudim Caroli Magni Francorum Regis, ex Hildegarde filiam, in vxorem Constantino filio suo Imperatori expetijt, Anno Christi septingentesimo octogesimo primo, principatus secundo, obtinuitque, iuramento interposito, relictoque Elisæo Eunucho, & Notario, vt ipsam, & Imperij Romani mores, & linguam Græcam egregie edoceret: Helpidio vero Siciliæ Prætore, rebellante eodem anno, & à Theodoro Duce deuicto, pacem à Sarracenis, inhonesti pactione tributi, redemit.

Expeditionem habuit sequenti anno aduersus Sclauos, Barbarosque, qui prouinciam illam cum Peloponneso occuparant, bellumque Stauracij, viri militari arte peritissimi auspicijs fœliciter confecit. *Theophanes.* Accitis insuper è Thracia militibus, Prætorianos qui motus varios, atque tumultus in vrbe concitarant, exarmauit, exilioque exauctoratos damnauit, Anno Christi septingentesimo octogesimo sexto, principatus septimo.

Biennio post Constantini Augusti mater, Sponsalia cum Caroli Magni Francorum Regis filia, dissoluit; Mariamque Armeniam, inuito filio suo, & ab ijs nuptijs abhorrente, collocauit; & id tum ob occupatum à Carolo Beneuentum Ducatum, eaque omnia quæ interiacebant, vsque ad Adriaticum mare, tùm ob suspectam Francorum potentiam; vnde prouerbium illud apud Græcos enatum. Τὸν Φράγκον φίλον ἔχῃς, γείτονα οὐκ ἔχῃς. Id est Francum amicum habeas, vicinum non habeas.

Detecta

Detecta item Constantini filij sui coniuratione, Anno Christi septingentesimo octogesimo nono, principatus decimo, Imperium, militum fauore, sibi vindicauit, tantique criminis conscios cæcidit, totondit, atque in exilium egit.

Constantinus, anno proximo, Armeniæ Legionibus suffragantibus, eorumque exemplo reliquis militibus adnitentibus, Imperio matri abrogato, acclamatus fuit, solusque imperare cepit. Hac potestate iuueniliter immodiceque vsus, in præfectos à matre constitutos grauiter desæuijt. *Ita Theophanes, & Græcorum Annales.*

CAROLI FRANCORVM REGIS Gesta.

Romam profectus, Anno Christi septingentesimo octogesimo primo, Constantini, & Irenes secundo, ea qua par erat lætitiæ significatione ab Hadriano summo Pontifice exceptus fuit, eiusque filius Pipinus, aquis lustralibus ab eodem initiatus, Longobardiæ Rex salutatus; Ludouicus vero ipsius frater, Aquitaniæ. Tum Mediolanum se contulit, vbi Gisla eius filia à Thoma vrbis Episcopo, baptismate inaugurata fuit, eodem anno, *vt vult Eginhardus, & alij.*

Coloniensi in vrbe, sequenti anno, commorans diuersarum gentium legatos, magnis coluit muneribus. Nec multo post, Vindocindum bellorum fomitem, totque incendiorum struem, supplicem habuit; mitisque aduersus victum fuit. Decorum sibi arbitrans, si quanta nuper in hostem peruicacia, tanta munificentia, in supplicem vteretur.

Beneuentum, aduersus Archisium, seu Heregisium Ducem, & Desiderij Regis generum, perrexit, Anno Christi septingentesimo octogesimo septimo, Constantini & Irenes octauo. Hic Salernum, Picentini agri oppidum, Romanorumque olim Coloniam confugiens, Romualdum filium suum natu maiorem, ac subinde Grimoaldum, ad Regem magna cum auri, argentique vi actutum misit, cui Rex animi magnitudine, & clementia clarus, venia concessa, Galliam repetijt.

Anno denique Christi septingentesimo octogesimo octauo Tassiloni Bauariæ Duci maiestatis reo (quod Hunnicum con-

flasset) damnatoque gladio, ab insita tamen humanitate, exempto, cum Theodone filio, monachum agere permisit.

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Helpidius Siciliæ prætor noua in Constantinum Imperatorem moliens, à Theodoro Duce clarissimo debellatus, Anno Christi septingentesimo octogesimo primo, Constantini, & Irenes secundo, in Africam confugere coactus fuit; vbi à Sarracenis, ob magnum vitæ splendorem, tanquam Romanus alter Cæsar, summis cultus fuit honoribus; *vt asserit Theophanes.*

Modi, Sarracenorum in oriente Calipha, Aaronem filium natu minorem aduersus Imperatorem transmisit, cumque, cæso Græcorum exercitu, ad annuum vectigal adegit, eodem anno. Stauritius militiæ Orientalis Dux, magnique pretij apud Irenem Augustam, Sclauis è Græcia, atque Peloponneso profligatis, Imperioque tributarijs factis, Constantinopolim ouans, cum exercitu varijs spolijs onusto, totaque effusa vrbe, ingressus est, Anno Christi septingentesimo octogesimo tertio. *Auctor citatus.*

Alfonsus cognomento Castus, quod caste cum Berta coniuge, Caroli Magni sorore vixisset, Froilæque quondam Regis filius; Solone in Hispania Principe demortuo, rerum, procerum omnium votis, potitus est sub idem tempus. Paterni siquidem odij memoria iam resederat, virtutumque specimen singulare, quod applaudentibus omnibus ediderat, cunctorum omnium voluntates sibi conciliarat. Mauregatus tamen illius patruus, Regni cupidus, in eum, accitis auxiliaribus Maurorum copijs, cum quibus fœdus ea lege inierat, vt quinquaginta virgines natalibus nobiles, & parem ex plebe numerum, tributi nomine, quotannis illis penderet, arma vertit; ille vero viribus impar, æmulo, fortunæque cedens, in Cantabriam vbi propinqui multi, & necessarij Eudonis, ad quem Alfonsi genus referebatur, confugit. *Ita Annales Hispanici.*

Ethelbredus, seu Ethelbertus, è carcere eductus, Northumbrorum sceptrum iterum resumpsit, eodem Christi Anno septingentesimo octogesimo tertio, Constantini, & Irenes quarto, *vt refert Alcuinus.*

Aaron, Moyse fratre Sarracenorum Rege vita functo, acclamatus fuit anno sequenti. Huic ob belli studia, quæ illi maxime cordi erant, Caroli Magni Regis amicitia adeo grata fuit, vt Sacro-sanctum Christi Domini sepulchrum, eius potestati subiecerit; pro quo postea, à Barbaris vindicando, ipsius posteri, ingenti cum gloria desudarunt. Legatos item ad eum misit regijs cum muneribus, ac præsertim Elephante, & horologio mirabili arte elaborato; *vt scribit Eginhardus in sua Historia.*

Tassilo Bauariæ Dux, pacem cum Carolo Francorum Rege firmauit, Anno Christi septingentesimo octogesimo octauo. Rupto dein infœliciter fœdere, reusque maiestatis factus, religiosum vitæ genus cum Theodone filio suo suscipere coactus fuit, *ita Auctor citatus.*

Achaius Ethfini filius, vir inclyta inter Saxones iustitia, & probitate, Saluatio Scotorum Rege fatis sublato, atque in Ionam ad sacra Regum monumenta, funebri pompa elato, ad Reipublicæ curam assumptus fuit, eodem Christi anno; nihilque ipso principatus initio antiquius habuit, quam priuata odia, & domesticas inter nobiles seditiones, non sopire modo, sed penitus extinguere. His peractis, in fœdere perstare, maiorum more, cum vicinis Regibus laborauit. *Leslaus, Buchananus, Hector Boëtius.*

Veremundus cognomento Diaconus, quod in eum ordinem electus fuisset, rituque Christiano in minori ætate sacratus; vir non animo, non armis, non vigore, non viribus corporis, aut belli arte instructus, ad Regnum tamen, Mauregato in Hispania Rege defuncto, accessit, Anno Christi septingentesimo octogesimo nono, Constantini Imperatoris & Irenes decimo. *Lucas Tudensis, & alij.*

Abderhamnus Maurorum in Hispania Rex, Sulennam filium suum natu maximum, & quem Toleto vrbi præfecerat, hæredem in extremis versans designauit; Issemus tamen ipsius frater, gentis illius fauore, Regnum à morte patris virtute, atque ar-

mis tutatus est. Primo aduersus Sulemam, qui acie victus, & in Contestanos Hispaniæ populos, vbi Murcia est, fuga pulsus, pretio sexaginta millium aureorum, Regni ius, fratri relinquens, in Africam secessit. Dein Abdalam fratrem alterum, nouarum rerum studio tumultuantem, fœdere cum eo facto in Africam item expulit. *Annales Hispanici.*

VIRI ERVDITI.

Eginhardus Germanus, eruditione summa, Epistolarum librum vnum scripsit, Historiam insuper temporum, & præclara quæque, atque illustria Caroli Magni gesta.

S. Burchardus natione Anglus singulari doctrina, atque eloquentia illustris, permulta, quæ temporum iniuria periere, erudite composuit. *Ita Caprauius, & Lelandus.*

REGNORVM OCCASVS.

Boiorum Regnum, Tassilone eorum Rege, vna cum Theodone filio in monasterium detruso, penitus extinctum fuit, Anno Christi septingentesimo octauo, Constantini, & Irenes nono. *Theophanes, & alij.*

OPERA PVBLICA.

Carolus Magnus Francorum Rex Parthenopolim (nunc Magdeburgum) ciuitatem, contra Saxonum incursus, auxit, muniuitque, Anno Christi septingentesimo octogesimo secundo, Constantini, & Irenes tertio, vt habetur in Chronico Saxonico.

Triennio post Irenes Augusta, Beroen vrbem in Thracia, quo profecta fuerat, restaurauit, illustrauitque, ac Ironopolim appellauit. Andiacum insuper magnis sumptibus, splendide condidit, *vt vult Zonaras, & alij Græci Historici.*

PRODIGIA.

Cruces variæ in hominum vestibus vbique passim impressæ,

Anno Christi septingentesimo octogesimo primo, Constantini, & Irenes secundo; multaque alia horrenda in aëre signa visa. Sequenti vero anno, sanguis è cœlo, funestos illos Francorum, Auarum, Boiorumque conflictus prænuntians, large effluxit. In ijs tamen Carolus Rex; supremi numinis auspicijs, victor euasit. *Sigebertus.*

CALAMITATES.

Byzantium, tot fœdissimis terræ motibus concussum fuit, Anno Christi septingentesimo octogesimo nono, vt omnis ciuitas in agros effusa, sub dio egerit. Anno autem proximo, ingenti conflagrauit incendio, plurimoque ciuium effuso sanguine vbique natauit. *Theophanes.*

RES BELLICÆ.

Theodorus Patricius Constantini, atque Irenes iussu, arma in Helpidium Siciliæ Prætorem rebellantem, sumpsit, compressitque, Anno Christi septingentesimo octogesimo primo. Quo tempore Madi Sarracenorum Rex, Aaronem filium suum natu minorem, ad Orientale Imperium, longa depopulatione peruastandum immisit, adegitque ad annuum vectigal persoluendum.

Irenes Augusta expeditionem habuit aduersus Sclauos Barbaros, qui eam prouinciam, ferro, atque incendio funestabant, eosque victricibus armis perdomuit, Anno Christi septingentesimo octogesimo secundo, principatus sui tertio.

Carolus Magnus Francorum Rex infestos Saxones, cum quibus triginta tribus annis vt referunt aliqui, depugnauit, prospere attriuit eodem Christi anno. Eius vero filius Carolus natu maximus, eadem fœlicitate Vuestphalos profligauit, anno sequenti, *vt testatur Pithæus, & alij.*

Cæterum quamuis, tot secundis prælijs Carolus Magnus, bellum vltra mouendi licentiam, atque voluntatem, Saxonibus sustulisse videretur, incolarum insuper deportatione; nondum tamen ad pacis stabilitatem profecerat Carolus, cum scopulus, & mora publicæ securitatis superesset, Vindocindus scilicet, in

Danos profugus. Hic enim vt prima fulsit occasio, non dubitauit erumpere; sed vix sumptis ad rebellandum animis, armisque, Caroli celeritate oppressi fuere Saxones. Eo tamen in Galliam reuerso, Carolum filium aggressi sunt; verum Rex iterum aduolans, hostes ad Lupiam cæcidit. Domitis Saxonibus, recisaque apud inquietam gentem consuetæ rebellionis hydra; ne fortissimo Regi esset à bello quies, in diuersis, ac distantibus prouincijs, turbæ exortæ sunt. Adeo nullum extitit bellum in quò non eum fortuna exercuerit. In Austrasia, Hertradus quidam Comes; in Aquitania vero Adelericus turbauit; vtrumque tamen in ipso tumultus ortu, pari fœlicitate deuicit. Nec difficilior fuit, Anno Christi septingentesimo octogesimo sexto, Constantini, & Irenes septimo, de Britonibus victoria, quos in obsequium, Ardulphus Caroli Magni legatus, reduxit; quamquam mox rebellauerint, vt quæ gens suos olim Reges habuerat, suis sine Regulis stare, ac quiescere vix posset, æquissimo licet, ac leuissimo Imperio regeretur. Liberis siquidem populis ingratum est quodcumque seruitutis pretium.

Aragisus Beneuentanus Dux, maximis nuper beneficijs à Carolo Magno Francorum Rege affectus, de expellendis tota Italia Francis, cum Aldegiso Desiderij filio, & Thassilone, haud obscure agitabat, Anno Christi septingentesimo octogesimo septimo, Constantini, & Irenes octauo. Quibus acceptis, Carolus, ne altius rebellium animis, malum adhuc nascens, figeretur; superatis incredibili celeritate Alpibus, Romam occupauit, improuisoque aduentu fœda consilia oppressit. Ea re perculsi fœderati, ac in primis Aragisus, dato Grimoaldo filio obside, pacem deprecatus est. His peractis Thassiloni toties reo, sua pœna infligenda fuit. In eum enim tres duxit exercitus, quibus certe opus erat, quo celerius teneretur; præclusis vndique ad opem ferendam aditibus. Parata nihilominus fuit supplici, principis liberalitas, qua ille ausus callide in tempus; sed elapsus periculo, iterum rebellauit. Quis Caroli mansuetudinem non mirabitur? lusus toties, & elusus; cum tamen cum supplicio afficere potuisset, beneficio deuinxit; perijssetque haud dubie, si in alium victorem incidisset) Sicque Bauaria Regno Franciæ annexa fuit, *vt scribit Eginhardus,*

Hunni bipertito exercitu, altero Bauariam, Italiam altero, vbi à Longobardis turbatum esse fama euulgauerat, hostes aggressi sunt. Verum, Audacrij, Garamondique illustrium bello Ducum virtute, vtrobique prostrati, Caroli Magni fortunam malo suo experti sunt. Irritauit autem audaciam rebellium ea clades, sed decem armatorum millibus concisis, detumuit. Non tamen Hunnos fefellerat turbandæ rei à Longobardis spes. Aldegisus enim tempori insidiatus, classeque ab Irene Imperatrice instructus, atque in Italiam cum Theodoro Siciliæ præfecto delatus, omnem facile regionem inuasisset, ni à Grimoaldo repulsi Græci, ab incepto destitissent. In Calabria certatum tanta vtrinque pertinacia, quanta quis, aras, focosque defenderet; victoria penes Francos fuit, capto Aldegiso, qui mox victoris iussu, capitali sententia plexus est.

Sclaui sub idem tempus, Anno scilicet Christi septingentesimo octogesimo nono, Constantini, & Irenes decimo, Francicas ditiones latrocinijs infestantes, pari fortuna, domiti fuere, receptoque in fidem Vuiltzano gentis illius Principe, Vangiones, sequenti hyeme, Carolus Magnus adortus est.

OBITVS ILLVSTRES.

Hildegardes Regina, Caroli Magni coniux, ipsiusque etiam mater, fœminæ pietate singulari insignes, naturæ legibus concessere, Illa pridie Kalendas Maij; Hæc vero, quinto Idus Iulij, Anni Christi septingentesimi octogesimi tertij, Constantini, & Irenes quarti. *Annales Francici.* Modi Sarracenorum Princeps in Oriente, morte consumptus fuit sub idem tempus.

Silo Gallæciæ Rex in Hispania desijt eodem anno, principatus sui octauo. Eius monumentum extat Oueti in ingressu Basilicæ S. Saluatoris, cuius hæc sunt verba. [SILO PRINCEPS FECIT.] Ex quibus collige ipsum Silonem, templum hocce Saluatoris construxisse. *Consule Vasæum.* Alij tamen asserunt illud ab Alfonso conditum fuisse.

Moyses Sarracenorum Caipha supremum expleuit diem, Anno Christi septingentesimo octogesimo quarto, Constantini, & Irenes quinto. *Theophanes.* Triennio post Arichisius


Beneuentanus Dux, vita functus est, *vt scribit Auctor citatus.*

Abdheramanus Maurorum Rex in Hispania perijt, Anno sequenti, Imperij vero sui trigesimo primo. *Mariana.* Saluatius insuper Eugenij Octaui filius, Scotorum Rex interijt eodem Anno, Christi scilicet septingentesimo octogesimo octauo, Constantini, & Irenes nono.

Biennio post Mauregati Legionis, & Asturiarum Regis in Hispania, nulla re alia nobilis, præterquam actionum turpitudine, atque scelere nefario; maloque Regni principio, pares exitus fuere. Prauiæ sepultus fuit. *Vasæus.*



DECAS



DECAS DECIMA.

CONSTANTINI IMPERATORIS Gesta, & Obitus.



Vmillimis quorundam optimatum precibus exoratus, Irenem iterum matrem ad rei administrationem adsciuit, Anno Christi septingentesimo nonagesimo primo, *vt testatur Theophanes*, reclamantibus licet Armenis Legionibus.

Abdicata, mense Ianuario, & monasterio inclusa Maria, legitima coniuge, maiestatis falso accusata, Theodoram cubiculariam thoro sibi, mense Augusto, coniunxit, Augustamque appellauit, Anno Christi septingentesimo nonagesimo quinto. Qua ex re turbæ multæ Byzantij exortæ; alijs, turpi adulatione, nefandum Principis facinus approbantibus; alijs vero reclamantibus, ac detestantibus. Lege hac de re Theodorum Studitam in rebus gestis S. Platonis, qui illa præ cæteris acuratè prosecutus est.

Anno autem septingentesimo nonagesimo septimo, à Stauratio Duce conniuentibus, immo impellentibus Constantinopolitanis, in Palatio Porphyra, vbi natus fuerat, comprehensus, atque excæcatus, eo etiam die (vt Dei vltio nulli obscura esset) quo ipse, quinquennio ante, oculos Nicephoro patruo effoderat; tantæ ignominiæ impatiens, breui in carcere obijt & cum eo sceleratum illud, atque impium Copronymi genus.

ICON

CONSTANTINI SEXTI Imperatoris.

Constantinus sextus, Leonis quarti Copronymi filius, Græcorum rem sub Irenes matris tutela, fælici, prosperaque fortuna administrauit. Nulli enim tunc bellorum motus, nullæ populorum querelæ, nullæque domesticæ turbæ, quin immo omnia pace, atque ocio, domi, forisque abunde florebant. Verum primos pubertatis annos ingressus, amotaque è regimine matre; Imperium crudeliter, libidinose, atque impie rexit. In patruos siquidem suos, magnosque aulæ proceres, immaniter desæuijt. Maria vxore expulsa, Theodoram cubiculariam connubio sibi iunxit; omnisque impietatis, ac scelerum fautor, Idolorum templa reclusit. Bellum insuper contra Bulgaros suscepit; sed illi funestum; fugatus enim, magnaque suorum etiam Principum clade affectus, Constantinopolim properanter confugere coactus fuit. Cum Arabibus item pugnauit, sed pari marte, fatoque. Tandem in palatio captus, in ordinemque redactus, haud multo post, luctu, mæroreque confectus, interijt in carcere.

IRENES AVGVSTÆ GESTA.

Constantino filio extincto, sola Imperio potita est, legatosque de pace ad Carolum Magnum Francorum Regem misit, Anno Christi septingentesimo nonagesimo octauo; Sisiniumque Tarasij Patriarchæ fratrem, in bello captum, ab eo recepit. *Ita Francorum Annales.*

CAROLI MAGNI FRANCORVM REGIS Gesta.

Parisiorum Scholam, studiorum altricem, ac cuiuscunque eruditionis parentem, Alcuini Præceptoris opera, consilioque vsus, constituisse fertur, Anno Christi septingentesimo nonagesimo primo. Erat enim tam elegans liberalium studiorum, omnisque doctrinæ & auctor, & admirator, vt quod de Sci-

pione Africano dicitur, præcellentes ingenio viros domi, militiæque secum haberet. Eo facto prouidit Carolus in posterum, vt qui cæteris orbis gentibus, bello superiores euaserant, ingenio non vincerentur.

Hadriano summo Pontifici, quem vt parentem coluerat, & vt amicum dilexerat, demortuo, extrema effusissimis lachrymis, magnisque largitionibus, atque officijs omnibus persoluit; immo illius sepulchrum, in Vaticana Basilica, collocatum, & quod etiamnum hodie pro foribus eiusdem Basilicæ extat, regio Epitaphio decorauit, Anno Christi septingentesimo nonagesimo quinto. Sequenti vero, clauibus aureis, ex S. Petri sepulchro, & vrbis vexillo donatus fuit, à Leone tertio Pontifice, *vt testantur Historici.*

Alfonsi Asturum Regis victoris oratores audiuit Aquisgrani, Anno Christi septingentesimo nonagesimo octauo; quorum Princeps sic eum affatus est. Tui, inquit, milites, Rex inuicte; tui Duces, hæc ceperunt spolia; hæ sunt hostium tuorum, quia Christi hostes sunt, exuuiæ, vrbes expugnatæ, Insulæ receptæ, fœlicitate siquidem, atque auspicijs tuis vicimus, tua namque absentis lilia, eadem sequitur fortuna, quæ præsentis. Sarracenos habemus hostes, vno tantum capite cæso, maiore numero sobolescentes, sed tua virtus ostendit eos esse mortales; tuorum iam prospere pugnantium militum auxiliares copias, nouis quibusdam refoue, cætera bellum præstabit. Dein regia munera, Regis nomine, victoriæ suæ insignia, equos scilicet, loricas, Mauros captiuos, aliaque vrbis Olysipponensis opima spolia obtulit; tentorium insuper Mauricum operis admirandi, atque amplitudinis. *Eginhardus.*

Leonem Pontificem sanctitatis gloria illustrem, contumeliose habitum, vrbeque expulsum, & cui, vt fama erat, lingua, visusque miraculo restitutus fuerat, pari, qua erat reuerentia, & religione, Paderbunæ in Saxonia, vbi commorabatur suscepit, Anno Christi septingentesimo nonagesimo nono, pristinæque dignitati restituit, ac Christianæ Reipublicæ pacem, quam violentus, ab Campulo, & Paschali Hadriani Pontificis, qui nuper è viuis excesserat, consanguineis, ac necessarijs, turbo excusserat, reddidit. Ipsi enim inuidia in Leonem Pontificem tabescentes, nefario stipati satellitio, illum,

nec opinantem, ſacriſque operantem corripuerant, exciſaque lingua, atque effoſſis oculis ſeminiuum in custodia reliquerant; ſed ſuorum ope elapsus, ad Carolum Magnum Francorum Regem confugerat. *Multa de ijs Anastaſius.*

In Italiam ſequenti anno proficiſcens, Venetiam petijt, vbi Henrici Foroiulienſis Ducis necem, quem ex Hunnia, rebus proſpere geſtis, anno, ab inito bello, octauo, regreſſum, Tauriſani occiderant, vindicauit; auctoribus autem tanti ſceleris ſecuri percuſſis, Rauennam inuiſit, præmiſſo, aduerſus Beneuentanos Eccleſiæ hoſtes, exercitu: ipſe vero Romam ſe contulit, qua in vrbe, nunquam tantum exterorum mortalium fuit. Ex reliqua ſiquidem Italia, & continentibus regionibus; ex propinquis, & vlterioribus, ex longinquis, atque vltimis prope oris, ad famam venturi Romam Caroli, confluxerant; Edixitque Leo, vt quiſquis cum ſuæ gentis hominibus, conglobatim, turbatimque occurreret; ipſe vero Carolum ad Barionæ ædem honorificentiſſimè excepit; qui ſeptimo ab acceſſu ſuo die, in concilio Epiſcoporum, de criminibus, Leoni Pontifici obiectis, cogniturus ſedit. Verum Epiſcopos ſucclamaſſe ferunt, Romanum Pontificem à nullo mortalium iudicari. Quo factum eſt, vt res ab incepto deſtiterint. Mox Pontifex non innocentia minus, quam ſuprema poteſtate tutus, conſcenſo ſuggeſto, Sacro-ſancta Euangelia manu tenens, ſacramento interpoſito, Deum ac ſuperos teſtatus omnes, affinem ſe eſſe culpæ negauit.

Breui poſt Carolus infulis, ac cæteris Imperij inſignibus donatus fuit ab eodem Leone pontifice, ipſo Chriſti Natali die eiuſdem Anni octingenteſimi; populo Romano, cum omnibus variarum gentium, Perſarum ſcilicet, Sarracenorum, atque Hiſpanarum Legatis, Caroli amicitiam ambientibus, acclamante, CAROLO AVGVSTO, AC PIISSIMO IMPERATORI, VITA, ET VICTORIA. Creditum præterea Carolo, Eccleſiæ vna cum Imperio Patrocinium, quod ſuſcepturum ſe iureiurando, ſolemni ritu ſpopondit, hiſce verbis.

IN NOMINE CHRISTI SPONDEO, ATQVE POLLICEOR EGO CAROLVS IMPERATOR CORAM DEO, ET B. PETRO APOSTOLO, ME PROTECTOREM AC DEFENSOREM FORE S. R. E. IN OMNIBVS VTILITATIBVS, QVATENVS DIVINO

FVLTVS FVERO AVXILIO, PROVT SCIERO, POTEROQVE.

Donarijs dein magni pretij, Romanæ vrbis Basilicas cumulauit, quæ singillatim ab Anastasio recensentur, & de quibus in sacra nostra Historia; sicque Romanum Imperium in occidente, ob Græcorum Cæsarum impietatem, dissidia, atque ignauiam, ad Francos fœliciter peruenit. Cæterum Carolus Imperatoria auctus dignitate, Leonis Pontificis vindex Campulum, & Paschalem impietatis reos, capite damnauit. Verum Leonis Pontificis precibus fatigatus, extremaque pœna illis remissa, ambos in Galliam relegauit. *Ita Annales Francici.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Alfonsus Hispaniæ Rex Mauregati armis è solio in Cantabriam expulsus, in Regnum, Veremundi opera, restitutus fuit, Anno Christi septingentesimo nonagesimo primo, rexitque deinceps, perpetua rerum gestarum fœlicitate, clementiæ, Religionis, ac liberalitatis laude suis carus, externisque formidabilis. Eius virtute inclinatæ Hispaniæ res, prospere stetere. Susceptam vero Regni auctoritatem, atque fauorem gentis, vehementer confirmauit victoria; quam de Maurorum Duce Mugaio retulit amplissimam, tertio anno ex quo in Regnum fuerat reuocatus; etenim iniquo ferens animo quinquaginta ingenuarum virginum pudicitiam, quotannis Mauris in Venerem effusis, prostitui, numerosum in eos exercitum conscripsit, *vt testantur Lucas Tudensis, Isidorus Palensis, & alij.*

Abdalla secundus Ibitninangæ Regis filius, Aquisgranum, magnis cum muneribus venit, Anno Christi septingentesimo nonagesimo septimo, Magnitudini Caroli, fœlicitatique, ac Francorum gloriæ, opibusque virtute partis, gratulaturus, societatem, atque amicitiam petijt. Iuuenis benigne acceptus, comiterque per aliquot dies habitus, ac magnifice donatus, cum Ludouico Caroli filio, in Hispaniam, tum inde ad patrem transmissus fuit. Zatas, & Zaza Ludouico aduenienti se dederunt, totaque Hispania citerior, armis Francorum in præsentem cessit.

Pipinus Mediolani Regiam elegit, quod ea florentissima regionis vrbs, totiusque Italiæ secundum Romam, longe princeps esset; Et vt Rauenna ad res Orientis, Latinis, Græcis, & Ostrogothis opportuna fuerat, ita hæc Francis visa est velut arx, & specula Italiæ, Germaniæque.

Achaius Scotorum Rex illustrissimus, rerumque gestarum gloria celeberrimus, fœdus per fasciales solemnibus ceremonijs, vt mos erat, inijt; cum Carolo Francorum Rege, Anno Christi septingentesimo nonagesimo octauo, Scotorumque Regni insignibus, Imperij Francorum insignia ita inuicem copulata fuere, vt Leo medium inter, dein duæ, ex aureo filo ductæ, lineæ, quibus lilia transuersa, & quasi traiecta, intexta erant, *vt refert Boëtius, & alij.*

Guilielmus Achai Scotorum Regis germanus, vir spectatissimus, reique bellicæ fama clarissimus, crebris enim prælijs, quæ Carolus susceperat, eius virtus inclaruerat. Ea propter varijs oppidis, prædijs, atque magistratibus, ab eodem Rege Carolo donatus fuit, magnoque apud aulæ principes in pretio habitus. *Auctor citatus.*

Offæ Merciorum Regi vita functo successit Egfredus eius filius anno sequenti, cuius Imperium non diuturnum, quarto siquidem principatus sui mense expleto, interijt, in eiusque locum, Kenulphus omnium votis subrogatus, *vt vult Polydorus lib.* 4.

Anno autem octingentesimo Britricho Occidentalium Saxonum Rege veneno, ab vxore, extincto; Egbertus qui antea in Galliam confugerat, vbi apprime rem militarem edidicerat, purpuram induit; vicinaque Regna subiecit, effecitque, vt tota illa Insulæ pars, Anglia deinceps appellata fuerit, *Ita Malmesburgensis.* Vido denique Britannici limitis custos, opima de Britannis retulit spolia, summeque à Carolo Magno laudatus, maximisque cultus honoribus.

VIRI ERVDITI.

Turpinus Archiepiscopus Rhemensis floruit hoc tempore, scripsitque Caroli Magni gesta, ac librum vnum Epistolarum. *Gesner.* Haymo, Clemens, Ioannes Scotus, & Raba-

nus Anglus, viri eruditione præstantes, magnique nominis, & in Academia Parisiensi professores. Adde Eambaldum iuniorem Anglum, senioris in Episcopatu Eboracensi successorem, omnisque litterariæ suppellectilis meritissimum successorem, ac doctrina percelebrem. *Pithæus de Anglicis scriptoribus.*

OPERA PVBLICA.

Muros, turresque vrbis vi dirutos restituit Hadrianus summus Pontifex, Anno Christi septingentesimo nonagesimo secundo. Carolus autem Francorum Rex Rhenum subliuio ponte, cuius longitudo quingentorum passuum porrigebatur, Moguntiæ coniunxit anno sequenti. Danubium insuper haud multo post Rheno committere cogitauit, misitque qui opus metirentur, certiorque factus, illud quidem, sed magno milimine, regioque animo suscipi posse, magnis animis aggressus est. Iamque opus ad trium millium passuum longitudinem processerat, trecentorum vero latitudinem, cum, quo longius protendebatur, eò magis, velut palustri limo in se residente, quidquid interdiu exhauriebatur, noctu explebatur, quo quasi miraculo pauefacti omnes, qui tanto incumbebant operi, idque religiosum rati, interruptum, infectumque reliquerunt; sicque facies rerum naturæ, quam Franci immutare tentarant, permansit, irritis huiuscemodi mortalium conatibus. *Regino, Aimoinus, Arentinus, & alij.*

Turrim idem princeps ad Bononiam ciuitatem maritimam, vnde nocturnus ignis, ad nauium cursus dirigendos emicaret, magnis restituit sumptibus, Anno Christi septingentesimo nonagesimo nono, *vt scribit Aimoinus.*

PRODIGIA.

Horrenda dierum septemdecim spatio & ad omnium terrorem stupenda caligine sol obductus fuit, Anno Christi septingentesimo nonagesimo septimo. *Theophane teste.*

CALAMITATES.

Tiberis præter morem exundans, murosque vrbis transgressus, ad Capitolij radices peruenit; Flaminiam portam, quæ nunc Populi dicitur, aquarum vi euertit, magnaque hominum, atque rerum strage Romam grauiter afflixit; ipsius enim pars maxima, cimbis fluuialibus enauigata, quibus, Hadriani Pontificis iussu, victus, pauperibus, cum in apertum exire nequaquam possent, subministratus fuit; tecta item, ac mœnia in præceps acta, Anno Christi septingentesimo nonagesimo primo. *De ijs multa Anastasius Bibliothecarius.*

RES BELLICÆ.

Infœliciter aduersus Bulgaros pugnatum est, Anno Christi septingentesimo nonagesimo primo, ab ijs enim, cæsus pene fuit Romanus exercitus, & Imperator vix fuga elapsus. Pancratio in primis Astronomo, qui certam Augusto victoriam spoponderat, interempto, *vt referunt Græcorum Annales.*

Carolus cum parte copiarum, Theodoricum, Alafredumque Duces peritissimos præmisit in Hunnos eodem Christi anno. Hi cum aliquot secunda fecissent prælia; munitionesque opportunis locis, ac præcipue coitiones fluuiorum obiectas, expugnassent; hostemque ex ea, quæ nunc Austrasia est, & vnde Carolus, Maioresque orti, submouissent; adfuit cum reliquo exercitu Rex, Ducemque Theodoricum vlteriorem Danubij ripam occupare iussit, vastitatemque longe, lateque edere. Vbi vero hosti se appropinquare exploratum habuit, gnarus aduersus quam efferam gentem, Religionisque hostem, signa tulerat, singulari pietatis documento, sacris operatus est, votisque publice conceptis, vt qui sciret, initium rerum agendarum à precationibus capiendum, aggressus est, tantamque victoriæ spem, Francorum animis impressit, terrorem vero hostibus, vt pars ad Scythas confugerit; alij secundo Danubio trepida celeritate vecti, Francum magna mole exercitus segne iter facientem antecedebant, quos vlteriora semper progredientes, cum sequi longum esset, nec sui copiam facerent, Rex

Rex constitit, omnique regione, vtroque exercitu vagante, perusta; Henricum Ducem Foroiuliensem, & Geraldum Bauariæ Præfectum, in Pannonia statiua habere voluit, atque eas frænare gentes, cum parte maxima peditatus; morbi enim quoddam genus, in equos ingruerat, qua lue, ad octo millia perierant. *Ita Historici Francici.*

Alfonsus Castus in Hispania Rex, diuino plenus numine, impar licet viribus, bellum contra Mauros prospere suscepit, Anno Christi septingentesimo nonagesimo tertio. Factus siquidem hosti obuiam, ad Ledos oppidum, ita acriter depugnauit, vt prostrato, cæsoque Mugaio eorum Duce clarissimo, ac septuaginta hominum millibus, magnam victoriam retulerit; hostiumque audaciam fortiter compresserit. *Lucas Tudensis.*

Sarraceni Piraticam sub idem tempus exercentes, Narbonensem prouinciam, improuiso agmine inuaserunt, graueque damnum Septimaniæ, & Gothicæ intulerunt. Qua accepta clade Carolus Rex Mediterraneum littus, & ostia, dispositis præsidijs muniuit, & ab huiuscemodi incursionibus tuta reddidit. Arelatensem quoque vrbem ab ijs occupatam, idem princeps vi cepit. *Eginhardus, & alij.*

Hunni superiori clade non satis attriti, copias repararunt, Anno Christi septingentesimo nonagesimo quinto, sed pari belli exitu, ingenti enim prælio deuicti fuerunt. Et vero, Duces quidem nouos, creare identidem poterant, fortunam autem sibi fabricare non poterant.

Saxones gens pertinax, toties rupto fœdere, cladibusque suis animosior, ingenti libertatis asserendæ spe concepta; castra in aperto ponere ausi sunt, eodem Christi anno. In illos tanta celeritate Carolus Rex profectus est, vt quem venire non senserant, videre se vix crediderint. Præmisso itaque trans Rhenum Carolo filio, metu proximæ cladis perterriti, missis legatis deditionem fecere. Verum conuerso exercitu, consuetudinis haud obliti fuere. Rebellionem enim ferocius quam antea suscitarunt. His vt par erat commotus vehementer Carolus, cum copijs omnibus, perfidiam singularem seuere vindicaturus, eò aduolauit; sed ij ad genua peruoluti, supplices veniam, pacemque deprecati sunt; quibus auditis, & grauiter verbis castigatis, bellum Rex humanissimus remisit. Sed quiescere gens inquieta

non poterat; namque Gideſcholcum Caroli ad Danos legatum, (quod genus hominum ſanctum eſt, etiam apud Barbaros) crudeliter interfecere. Nec inultum facinus; miſſo enim cum exercitu Carolo filio; quidquid terrarum Viſurgim inter, Albimque iacet, ferro, flammaque vaſtatum, nec cruori modus factus, dum eſſet qui cæderetur.

Fuit & Ludouici Aquitaniæ Regis in Hiſpania expeditio; atque ita diuerſæ orbis terrarum partes, Caroli Magni auſpicijs luſtratæ, atque peregrinatæ, victorijs, ac triumphis illuſtrabantur, tanta, maiori parentis inuictiſſimi gloria, atque gaudio, quod & ſuis, & liberorum manibus ea palmæ legerentur. *Aimoinus, & alij.*

Arabes Sarraceni, Barbari Orientales, Romanos Duce Abdimelecho, ingreſſi fines, Byzantium vſque, populabundi delati fuere; Prædamque ex agro ipſo ſuburbano, non modicam agentes, lares ſuos repetierunt, Anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo octauo, *vt ſcribit Theophanes.* Quamquam haud pari fortuna Alfonſi arma apud Hiſpaniam prouocarunt, à quo victi, Vlyſipponem vſque Luſitaniæ vrbem compulſi fuere. Non prætermittam Beneuentanos Eccleſiæ hoſtes, à Pipino Caroli Magni filio ſequenti anno profligatos, atque deletos fuiſſe. *Eginhardus.*


REI INSIGNES.

Aliquot Auſtraſianæ iuuentutis proceres in Caroli Magni vitam, vna cum Pipino eiuſdem Regis filio notho, auctore, Duceque Arderico, coniurarant; verum detectis eorum inſidijs, delati, tantique ſceleris conuicti, mortem digniſſimam obiere. Pipinus tamen comam tantum poſuit, ſacris addictus, Anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo primo. *Paulus Æmilius.*

OBITVS ILLVSTRES.

Mugaius Maurorum Dux illuſtriſſimus, paciſque multo, quam belli ſtudioſior in acie occubuit, Anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo tertio. Offa Merciorum Rex fatis

conceſſit in Anglia, Anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo nono. Proximo vero Brittrichus Saxonum Occidentalium Rex decimus ſextus à Cerditio, veneno ab vxore propinato perijt, *vt vult Polydorus, & alij.*





SÆCVLI NONI
DECAS PRIMA.

IRENES AVGVSTÆ GESTA, ET OBITVS.

IN Imperium restituta, tributum annuum, quo regia vrbs Constantinopolitana grauiter oppressa erat, actutum remisit, Anno Christi, octingentesimo primo. Quanta autem, quamue Augusta fuerit magnificentia illa, iucundum est nosse ex Theodori Studitæ Epistola ad eandem scripta.

Caroli Magni Imperatoris legatos de pace, & connubio cum illa ineundo, perhumanissime excepit anno sequenti, iisque omnibus comiter abnuit. Verum accepto à Græcorum proceribus hocce nuntio, sceptro, fortunisque omnibus, ne Orientis Imperium, nuptijs suis, Francis submitteret, confestim exuta, in Lesbum Insulam deportata fuit; vbi anno nondum etiam emenso, dolore confecta interijt. *Ita Theophanes, Zonaras, Ado, & alij Græcorum Historici.*

ICON
IRENES IMPERATRICIS ORIENTIS.

IRenes Leonis Imperatoris vxor, Attici sanguinis, singularisque prudentiæ, ac spectatæ integritatis mulier, Græcorum rem, cum Constantino filio suo decenni administrandam suscepit; nullosque labores, ad Imperij antiquum splendorem, atque maiestatem, mariti sui impietate, turpissimis moribus, immanique crudelitate fœde deturpatam, non solum re-

ſtaurandam, ſubterfugit; quinimmo ad illam augendam, omni conatu incubuit; eius enim opera, veteri Religioni nitor, priſtinaque pietas, magno cum Orientis totius applauſu, reſtituta fuit; proſcriptaque Iconoclaſtarum infamis Hæreſis. Verum ipſa è regimine amota, omnia in peſſum ruere. Chriſtianum nomen, miris diuexatum modis; Magnorum aulæ Principum ſanguis large effuſus; in omnes acriter ſæuitum; Idolorumque cultus, proh dolor, reuocatus. Quare Stauricio Patricio, viro magni apud proceres nominis, fautore, fauitoreque, Imperio iterum potita eſt, tota ei acclamante, ac ſummam fœlicitatem deprecante vrbe, cui innumera auri, argentique talenta, regio animo, haud multo poſt donauit. A Nicephoro tamen, è ſolio expulſa, quod cum Carolo Auguſto, de nuptijs cum eo contrahendis, egiſſet, in exilium mortemque adacta fuit. Sic fortuna purpuræ ludit, Sceptraque, vel infringit, vel fœdat.

NICEPHORI IMPERATORIS GESTA.

Irene expulſa, Imperium arripuit; Legatoſque ad Carolum Magnum Imperatorem Occidentis, de pace miſit, Anno Chriſti octingenteſimo ſecundo, quæ hiſce conditionibus firmata fuit anno proximo. Nimirum vt vterque Auguſtus eſſet; dein vt Orientalis, Sicilia, cum ea parte Italiæ, quæ eſt à Sipontinis in Apuleia, Græciam verſus, potiretur; reliquis vero omnibus Occidentalis Auguſtus. *Theophanes, & Ado.* Cæterum, medius, inter duo Imperia, velut limes, Venetiarum Reſpublica, libera, immunis, & ab vtroque ſecura, conſtituta fuit.

Bardane Patricio Orientis Prætore, qui à militibus, ipſo licet reluctante ſalutatus fuerat; amoto; Stauracium filium ſuum à corporis, animique dotibus, penitus deſtitutum, in Principem Auguſtæ maieſtatis adſciuit. Mox in Arabes eodem Chriſti Anno octingenteſimo tertio, expeditionem, ſed probroſam, immo penitus funeſtam, parauit. Sequenti vero bellum, ab Aarone Sarracenorum Rege motum, ingenti pecuniâ, à ſe longè depulit. Anno autem octingenteſimo ſeptimo in nobilium Byzantij ciuium capita, pluſquam tyrannice graſſatus eſt.

Nouas biennio poſt, hiante auaritia, coaceruandæ pecuniæ artes, putide excogitauit. Quicumque enim è tenui re, ad magnas opes peruenerant, hos theſauros inueniſſe criminans,

fortunis omnibus exuebat. Mendicos vero, militiam subire, stipendiaque à ditioribus repetere iubebat. Accitum autem ad se hominem, qui ex melle, & cera quæstum fecerat, iurare illum, per Augusti ipsius caput, admota dextera, coëgit, quantum auri habuisset: cum autem centum libras fassus fuisset; quid, inquit, curam huiusmodi alis? tolle tibi decem, reliquas ad me defer. Eò Tyrannum maiestatis oblitum, auaritia adegerat.

Dalmatiam, nauali bello, occupare sæpe tentarat, sed incassum. Ad Manichæorum vero Hæresim impie traductus, impense illis, atque Iconoclastis fauit. Fœdus denique cum Pipino Italiæ Rege inijt, Anno Christi octingentesimo decimo, principatus sui nono; Venetiasque à Carolo Magno recepit.

CAROLI MAGNI IMPERATORIS Gesta.

Roma abscedens, Anno Christi octingentesimo primo, Spoletum, septimo Kalendas Maias peruenit, vbi à Venigisio officiosissime cultus fuit. Leges perutiles condidit sub idem tempus, quæ Mutinæ seruari etiamnum dicuntur; veteres quoque restituit; Ecclesiasticas vero in vnum colligi iussit, *vt refert Puhæus.*

Vercellis commoranti, Legati duo, alter Aaronis Persarum Regis; alter Præfecti Ægypti, regia obtulere munera, in ijs Elephantum, rem oculis Francorum nouam, & spectaculo dignam. Excepit item, Anno Christi octingentesimo secundo, Abrahami Barbariæ Africanæ Regis oratores; sed cum speculandi potius, quam gratulationis, amicitiæue gratia venisse viderentur, continuo magnis cum muneribus, benignoque responso, dimissi fuere.

Cum Nicephoro Orientis Augusto, fœdus pepigit anno proximo, Imperiaque suis claudi limitibus curauit. Papiensem insuper Academiam instituit; Bononiensem autem renouauit. *Mucio teste lib. 9.* Salicæ legi, legum viginti duo capita adiecit, & pro Salicis haberi voluit; *vt testatur Pithæus.* Creauit item, ad Florentiam ciuitatem administrandam, duos annuos consules, & Senatores perpetuos; & hæc Reipublicæ forma,

annis quadringentis, & octodecim permansit.

Redeunti in Franciam, titulo summi nominis, apud genus humanum, parto, vrbes Franciæ, confestim ei gratulantes, quod Franciam, rerum columen effecisset, occurrerunt; exteræque gentes, armis deuictæ, minus indigne ferebant illi parere. Finisque tandem bellorum fuisset, nisi Saxones, immortali in Francos odio, omnia illi læta, sibi vero tristia rati, ad societatem, Vuastfalos perduxissent; Francos siquidem Imperio auctos, æternam cæteris seruitutem importaturos, autumabant, nisi iugum recens impositum, priusquam res, suam vetustatem acciperet, magnis excuterent animis.

Deuictis Saxonibus, eos, qui trans Albim amnem commorantes, nullum rebellandi finem faciebant, varias in colonias traduxit, Anno Christi octingentesimo quarto, Nicephori Imperatoris tertio. Ab ijs enim, Francia hactenus nemorosa, atque inculta, incoli cepit, *vt refert Ado, Regino, & alij.* Pars item Romam translata, vbi illis locus datus est, qui postea vicus Saxonum nominatus, corruptoque vocabulo Saxia, in qua visitur hodie Xenodochium Spiritus-sancti.

Carolum autem filium suum ad Sclauos comprimendos, Pannonijsque imperandum misit anno sequenti; Anno autem octingentesimo sexto amplissimam hæreditatem, tripartitam diuisit. Pipino quidem Imperij nomen, atque circumiectas interni maris Insulas. Carolo Pannonias, & quidquid Mediterranearum Regionum à Græco reciperetur. Ludouico denique Galliam, Germaniamque destinauit. Quæ omnia peracta fuere à religioso Augusto, non sine Episcoporum calculo, quos apud Theodonis villam coactos voluit. *Eginhardus, & alij.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Ælius Eunuchus, vir magnæ famæ in aula, Leonem consanguineum, Thraciæ, Macedoniæque Præfectum ad Imperium euehere impense studuit, Anno Christi octingentesimo secundo. Verum cum ipse Leo ob innatam quandam superbiam, grauis omnibus, etiam proceribus esset, ab omni spe

deiectus fuit; *vt testantur Græcorum Annales, alijque Historici.* Lidericus nulli Francorum, siue belli, siue pacis artibus secundus, ita, tota Flandria à Carolo Imperatore donatus fuit, vt hereditario iure, atque Imperio, ad posteros suos transmittere posset; *Auctore Iacobo Meyero lib. 2.*

Bardanes Patricius, cognomento Turcus, & Orientis Prætor, Augustus ab exercitu, reclamante licet animo, salutatus, Anno Christi octingentesimo tertio; certiorem ea de re Nicephorum iam inauguratum reddidit, sibique à militibus immunitatem pactus, clam effugit, atque attonsum se se monasterio abdidit; Placatiorem tamen Tyrannum non habuit; à quo per summam immanitatem, atque perfidiam, non solum bonis omnibus, sed ipsis etiam oculis priuatus fuit, *vt referunt Scriptores.* Obelerius Methamaucensis Venetorum Dux renuntiatus fuit sub idem tempus. Verum haud multo post tyrannice agens omnia, continuo è suo principatu turpiter expulsus fuit. Aaron Sarracenorum Princeps ducto secum numeroso exercitu, vectigale sibi fecit Orientis Imperium, trecentorum millium aureorum nummum tributo imposito, Anno Christi octingentesimo quarto. *Ita Theophanes, & Anastasius.*

Præmisso siue Lesco Poloniæ Rege, eius nominis primo, è viuis sublato, eodem Christi anno; nouaque de Imperio exorta contentione, rem totam fortunæ, sortique committere placuit. Indictus itaque est, ad certum diem, equorum cursus, vt qui primus metam attigisset, Poloniæ Rex haberetur. Consident delecti iudices, daturque signum certaminis; ibi Lescus competitorum vnus, stratis, vafro consilio, ferreis acutis stylis, quibus currentium equorum pedes læsi, identidem prolaberentur, moramque facerent, ad metam obliquo, ac minime impedito tramite, peruenit primus, Princepsque ab omnibus salutatus fuit. Verum, detecta fraude, comprehensus, conuictus, damnatusque discerptus fuit, in eiusque locum, iuuenis, tenui, atque obscuro genere, subrogatus. Hic enim primus à Lesco, pedestri cursu, metam attigerat; & ne illi regia maiestas deesset, Lesci nomine donatus fuit; tùm vt ne indignus tanto munere videretur, finitimorum confestim impetus, incursionesque compressit, immo varijs populis bellum fœliciter intulit. Quantum vero dabatur illi otij à bellis, Reipublicæque negotijs,

negotijs, tantum in exercenda virtute, disciplinaque militari, erat. Ludos quippe varios, ac certamina, equitibus pariter, ac peditibus indicebat, ipseque arbiter, atque iudex præsidebat. In victu, cultuque corporis parcissimus fuit; rudibus siquidem, crassisque pannis vtebatur, nisi cogeretur dare in publico, aliquid splendori, aut maiestati. Quin etiam crassos illos pannos, quibus, antea priuatus vsus fuerat, ob oculos subinde proponi iubebat, vt admoneretur fortunæ suæ pristinæ. *Salomon à Cadano de rebus Poloniæ.*

Obelerius ab exilio reuocatus, Anno Christi octingentesimo quinto, Venetorum Dux iterum acclamatus, Beatum fratrem in collegam assumpsit. Breui tamen post exorto tumultu, suspendio perijt, ipsius vero fratri Imperium prorogatum, *vt vult Sabellicus.*

Ludouicus Caroli Magni filius, & Aquitaniæ Rex, Narbonam, pulsis iterum Mauris occupauit. Triennio autem post Mahumar, Aarone patre mortuo, principatum victricibus armis arripuit. *Theophane teste.*

Ardulphus Northumbrorum in Britannia Rex, à suis è Regno eiectus, eodem Christi Anno octingentesimo octauo, Carolum Augustum adijt, ipsius opem imploraturus; verum Carolus non satis sibi in alieno Regno iuris esse ratus, ad Leonem summum Pontificem ablegauit; qui cum illum summa iniuria expulsum comperisset, perduelles populos, eum in Regem suum recipere coëgit, *vt habemus in Francorum annalibus.*

Engleranus, Liderico parente, in Flandria defuncto, Imperium hæreditario iure, omnium votis suscepit, anno sequenti. Illi siquidem, paternæ virtutis æmulatio; æqui, rectique studium; animus imperterritus; consiliorum vis magna; & ad præclara quæque aggrediendi ardor insignis inerant. Ea propter, quantum mœstitiæ Liderici mors attulerat, tantum spei, ac lætitiæ, Anglerani inauguratio, atque primordia, omnium animis peperere. Præcipuus autem labor illi fuit, prædonibus ditionem nudare, eoque terra, marique incubuit, sicque breui parta quiete, animum, ad cultum, ornatumque Flandriæ adiecit. *Iacobus Meierus, & Bulliolanus.*

Alfonsus Castus in Hispania Rex, cui non magis res bellicæ, curæ erant, quàm pacis artes. In priuata re, frugali victu

contentus, tenuique cultu, omnia ad Imperij dignitatem, atque gloriam, Ouetique vrbis ornamenta, quam Regum primus, Regni sedem constituerat, reuocauit, *vt testatur Alfonsus cognomento Magnus, & alij.*

Angelus Parthiciacus, Beato Venetorum Duce, in exilium, adacto, quod Pipinum Caroli filium, contra Venetos accendisset, rerum potitus est, Anno Christi octingentesimo decimo. Illi tamen dati sunt, *Sabellico Auctore*, duo Duces annui, qui cum eo causas iudicarent: fuit autem solerti ingenio & ad Rempublicam administrandam idoneo. Eius opera, Veneta res plurimum creuit; missusque non modica classe, Nicephori Imperatoris rogatu, contra Mauros Siciliam Insulam occupantes; quos tamen haud quaquam prohibere potuit, quin Insulæ partem ferro, incendioque funestarint. *Philippus Bergomensis.*

Lescus, Lesci Poloniæ Regis, in prælio cæsi filius, paternis virtutibus non degener, Reipublicæ administrationem suscepit; multaque cum finitimis secunda bella confecit; eos enim vel perdomuit, vel in ordinem redegit. *Ita Salomon à Cadano.* Ad hos autem principes adde Vencellium Regem Boëmiæ; Henricum Ducem Austriæ; Blonem Ducem Sueuiæ; Leopaldum Ducem Merouensem; Conradum Marchionem, & Hurbaldum Langrauium Thuringiæ.

VIRI ERVDITI.

Carolus Magnus Imperator, nationum omnium, quæ sub illius ditione erant, Leges, varijs complexus est voluminibus. Saxonum item; Alemannorum, & Francorum iura edidit, multaque de veterum gestis carmina contexuit. Mensibus insuper, atque ventis noua imposuit nomina. *Vide Trithemium.* Alia ipsius pia opera habes in sacra mea Historia, vbi de ijs fusè. Nicephorus Episcopus Constantinopolitanus, multiplici doctrina illustris, scripsit Chronicon, latio sermone, ab Anastasio Bibliothecario, donatum.

OPERA PVBLICA.

Florentiam Hetruriæ vrbem, magna ædium clade afflictam, in antiquum suum splendorem restituit Carolus Magnus Imperator, Anno Christi octingentesimo tertio, principatus sui tertio; Pipinoque filio imperauit, vt Italiam excoleret operibus; illiusque amplitudini omni cura inseruiret. *Francorum Annales.*

Alfonsus cognomento Castus, Hispaniæ Rex varias structionum moles proprijs erexit sumptibus, *vt vult Chronicon Hispanicum.* Angelus vero Parthiciacus Venetorum Dux superbum, augustumque palatium splendide construxit in Reuoalto Insula, Anno Christi octingentesimo decimo. *Ita Sabellicus.*

PRODIGIA.

Luna ter defecit, Anno Christi octingentesimo sexto, Caroli Magni Imperatoris sexto, in eaque crucis signum apparuit martio tempore; visæ etiam in cœlo per noctem ingentes armatorum acies. *Aimoinus, Regino, & alij.*

CALAMITATES.

Vehemens terræ-motus Spoletum hora noctis secunda fœdissime quassauit pridie Kalendas Maij Anni octingentesimi primi, Caroli Magni Imperatoris primi, & Irenes Orientis Augustæ vltimi. Nec Italis, Gallis, atque Germanis pepercit; apud eos siquidem, montes aliqui, horrendo fragore, atque hominum strage, subsidere. Oppida non pauca funditus euersa, vastoque hiatu exhausta. Fluminum nobilium rapiditas retracta. Mare autem modo refugit, modo insolito æstu redundauit. Vrbs ruinis varijs deformata. Ædes D. Petri labefactata; fastigium è culmine refixum; ligneaque laquearia dissipata. Præcipua tamen quassationis vis, cis Rhenum incubuit; cumque hybernum tempus aëris mollitie fluxisset; funestum illum terræ tremorem, atrocesque minas, Autumnus pestilens excepit. Vulgaris enim lues, quamplurimos mortales, mi-

ferando exitu, absumpsit. *Aimoinus, Regino, & alij.*

RES BELLICÆ.

Nicephorus Orientis Imperator, rebus omnibus domi compositis, in Syriam magno cum exercitu contra Sarracenos, seu Arabes profectus est, Anno Christi octingentesimo tertio, principatus sui secundo, eosque apud Crasem Phrygiæ aggressus, tanta clade affectus fuit, vt ipse ægre euaserit. *Bizato teste de rebus Persicis.*

Saxones acriter in Francos depugnarunt anno sequenti, non tamen sine magna suorum strage. Quare conuersis signis, viam sibi per medios hostes, multis illatis, acceptisque vulneribus, fecerunt, suaque in castra, quæ loco idoneo munierant, se receperunt. Verum milite, ac nobilitate, Ducibusque, immo omni spe vidui, necessitati paruerunt; confessique se in furorem lapsos, vitam humillimis precibus impetrarunt.

Aaron Arabum, seu Sarracenorum in Oriente Rex, collectis trecentorum militum lectissimorum hominum copijs, cum Tyanam vrbem, vbi ædem Mahometo dicarat, pleraque alia munitissima oppida, inter quæ fuit Heraclium castrum, Amandarusum, Thebasa, Malacopa, & Syderoposis, partim vi, partim ditione accepisset, Anno Christi octingentesimo quinto, Caroli Imperatoris quinto, & Nicephori quarto, sexaginta armatorum militum millia, ad excursiones faciendas immisit; Romanumque Imperium, tot tantisque cladibus afflixit, vt Nicephorus Imperator summo perculsus terrore, annuum trecentorum millium numismatum tributum expendere coactus fuerit. *Ita Nicephorus, & alij.*

Carolus Caroli Magni filius, Hunnis ingenti prælio prostratis, & in Francorum amicitiam receptis, bellum pro ijs contra Sclauos, seu Boëmos, à quibus, assiduis deprædationibus premebantur, suscepit sub idem tempus. Dux hostium, Lacho nomine, popularium suorum maximum numerum collegit, nullo externo milite vsus; (domesticis enim obsequium, & potentia imperij, longe præstantior est, quam exteris) tantoque exercitus fortior est, quod paribus inter se animis pro communi patria, vita, fortunisque decertet. Nec facilis ex

tanto hoste victoria, nec vno, alteroue prælio parta foret, si vt in clade fortem animum ostenderat, se Ducem saluum ex acie is recepisset; namque is non Imperator, modo, sed etiam militis officio functus, magna hostium cæde edita, dum studio certaminis, nullum virtutis finem faciens, vitæ finem inuenit, cæsus occumbens. Huius casu, vis omnis Boëmica cecidit, amissis cum suo Duce iuuentutis suæ proceribus. Breui tamen interiecto tempore, iterum cum Sclauis, acie congressi Franci, Ducem Miledoctium, seu Mileduoctium profligarunt. Missi dein à Boëmis Legati ad Carolum deditione gentis facta, Francicum Imperium inuictum, sanctumque accepere, redacta, in prouinciæ formam, Pannonia, *vt referunt Annales.* Carolus Magnus eodem anno Dalmatiam, aliasque circumiectas regiones sibi subiecit.

Nicephorus Imperator Nicetam Patricium cum parte classis, ad retinendam Dalmatiæ oram, actutum misit. Paulus vero Cephaleniæ Præfectus, cum reliquis nauibus ad inferum mare circumuectus, in Hetruriam, seu Populoniam vrbem olim maritimam, nihil tale spectantem derepente irrupit, captamque diripuit, atque circumiectam oram deussit. Rhodus Insularum olim flos euastata fuit ab Aarone Rege Barbaro, Anno Christi octingentesimo septimo, Caroli septimo, & Nicephori sexto; Myraque Lyciæ vrbs expugnata. *Theophanes*, *Cedrenus*, *& alij.*

Sarracenorum, Hispaniæ incolarum infesta classis, Italiæ oram, Insulasque finitimas depopulata est eodem anno. Verum haud multo post fugata, maiorem mox pugnæ materiam dedit. Barbari enim non tàm accepta clade fracti, quàm Audemaro Comite Genuensi Duce cæso, feroces, in Sardiniam, Corsicamque exscenderunt, crebrisque incursionibus defœdarunt. Inde pulsi à Sardis, cum Burchardo equitum Magistro, nauali prælio fortiter dimicarunt; illi quidem nauium multitudine, celeritate, atque vsu superiores; sed virtus Francorum multitudini haud cessit. Francos Mediterraneum hominum genus, rerumque maritimarum insolens, nouo bellandi more, territum iri hostes sperauerant, stulta ferocia superbi; quasi Neptunus virtutem eorum auxisset, qui toties terra succubuerant. Profuit Francis Ducis sui consilium, vt iniectis

manibus ferreis, machinisque alijs, quamquam ante certamen, multum ab hoste deriderentur, cominus, quasi in solido, dimicare decernerent, aciemque maritimam, similem terrestri instruerent, atque eò quidem atrocior, quàm terra, pugna commissa est, quod erepta fuga aut vincendum, aut moriendum vtrisque superesset. Ingens certaminis gloria Burchardo Duci clarissimo parta est; multæ siquidem Barbarorum naues interceptæ, multæque depressæ fuere, exiguo, ac prope nullo Francorum dispendio; sicque terrarum, marisque firmata possessio, Francis stetit; donec ijdem Barbari direpta iterum Sardinia, Corsicaque, Valeria, siue Aleria celeberrima Insulæ vrbe funditus deleta, in Hispaniam redeuntes, ad Baleares Insulas penitus deleti fuere. *Ita Æmilius.*

Nicephorus Imperator, validam classem, ad expugnandum Comaclum, in Dalmatiam misit, Anno Christi octingentesimo nono, principatus sui octauo. Verum hæc à præsidialibus Francorum militibus, tanta ignominia repulsa fuit, vt satis præclarum duxerit, Macedoniæ oram tutari. Francus autem Brudunum, Palæstinam, & Albiolam cepit; Mathamaucumque desertum, optimatium fuga, nobilem lacum, quod ibi tunc Ducum Venetorum sedes, ac regimen rerum esset, occupauit. Est apud Venetos fama, Pipinum Italiæ Regem, qui hocce bellum susceperat, cum Riuoaltum Insularum Venetiarum celeberrimam classe tentasset, Breuibus, stagnisque impeditum, æstu recedente hæsisse, cladeque Francorum, nobilem locum factum; certiores tamen Auctores nihil ea de re afferunt; quin immo ipsum Pipinum Venetijs potitum affirmant. *Ita Ado, Sigebertus, Regino, Eginhardus, Pithæus, & alij.*

Non multo post Dani Septentrionales populi, in orbis angulum relegati, ad Cimbricam Chersonesum, quibus Caroli Magni ætas iam grauis, & valetudo imbecillior, irrisui erant, suis contineri finibus non poterant. Bellum igitur mouere tanta spe victoriæ, tantaque fiducia suæ virtutis, ac fortunæ, vt Germaniæ totius Imperium sibi superba gens destinaret, promitteretque. Godefridus itaque Barbarorum Rex, cum Carolo congressus, terra primum, dein mari deuictus, posita audacia, supplex pacem exorauit, ductaque Esesfellum, nobilissimum oppidum, colonia, imposito quasi genti ferocissimæ,

fræno in gratiam ab Augusto, receptus fuit.


Abdelcarinus Maurus missus sub idem tempus, obsessa Calagarri vrbe in Hispania, agrisque atque oppidis circumuastatis, tumultuantes compescuit; minor ciuium strages fuit; treceenti tamen ad fluminis ripam laqueis suspensi. Verum à Christianis eorum geminus exercitus, qui bipartito Gallæciæ fines inuaserat, terroremque belli circumtulerat, deletus fuit. *Chronicon Hispaniæ.*

OBITVS ILLVSTRES.

Lydericus Flandriæ Princeps, ætate iam grauis supremum diem clausit, Anno Christi octingentesimo nono, Caroli Magni Imperatoris nono, Nicephori octauo; tantoque acerbiore omnium dolore; quanto plus in eo virtutis, & regiæ laudis elucebat. Eius præclara bello, paceque facinora, Imperatori charum, subditis verendum, & aduersarijs formidabilem fecerant. *Teste Iacobo Meterio.*

Beatus Venetorum Dux decimus, & Obelerij quondam Ducis Germanus, fato sublatus fuit anno sequenti, *vt referunt Scriptores Veneti.* Paulo post Pipinus Italiæ Rex Caroliquo Magni filius, tanta rerum gestarum laude inclytus, ac virtutis magnitudine celebris, vt patriam, auitamque laudem adæquasset, ni matura morte absumptus fuisset. *Pithæus.*





DECAS SECVNDA.

NICEPHORI IMPERATORIS ORIENTIS Gesta, & Obitus.



Expeditionem in Bulgaros parans, Anno Christi octingentesimo vndecimo, principatus sui decimo, mandauit Nicetæ Patricio, vt omnibus, etiam principibus, census imponeret. Quibus de rebus certior factus Theodosius Salibara Patricius, eiusque domesticus, sic eum affatus est. Vereor, Auguste illustrissime, ne in omnium odium, etiam aulæ procerum, maiestas tua incurrat. Quare aliquantulum sustine, remque totam paulo maturius apud te perpende. Cui Nicephorus, si Deus obdurans obdurauit cor meum, vt Pharaonis, quid boni erit ijs, qui sub mea manu sunt? Theodosi nihil aliud à me expecta præter ea quæ tibi cognita sunt. Tum pertinaci animo infesta Bulgaris signa, aduerso marte inferens, eorum armis penitus attritus, captus fuit, immo victis æque, atque victoribus, præcisis ceruicibus, ludibrio habitus, *vt scribit Theophanes huiusce temporis Auctor.*

ICON

NICEPHORI IMPERATORIS ORIENTIS.

Nicephorus, homo singulari improbitate, atque perfidia insignis, hianteque semper auaritia infamis. Regiam enim vrbem Constantinopolim, varijs coaceruandæ pecuniæ artibus, fœde populatus fuerat; dum Sarraceni Asiæ reliquias; Bulgari vero Thraciam magnis excursionibus, cædibusque

cædibusque longè, latéque euastarent. Quare pace à Sarracenis auro redempta, in Bulgaros mouit, eosque primo congressu, mira fœlicitate profligauit. Victorem tamen securitas vicit. Siquidem re bene, ac prospere gesta, pacis omnes conditiones respuens, à Chrunno Bulgarorum Duce clarissimo, desperationis ei audaciam stimulante, improuiso noctis assultu oppressus, decimo Imperij sui anno obtruncatus fuit, eiusque caput stipiti affixum, insigne insolentis victoriæ documentum.

STAVRATII IMPERATORIS ORIENTIS Gesta, & è solio expulsio.

Cæso in acie Nicephoro patre, Constantinopolim, multis penè confectus vulneribus, ægrè delatus fuit, Anno Christi octingentesimo vndecimo, vbi cum nouas, ac funestas moliretur cædes, Imperiumque Theophaniæ coniugi suæ firmare, omni studio incumberet; insidias denique Michaëli Curopalatæ, cognomento Rangabe, qui sororem suam Procopiam in vxorem acceperat, pararet, Principum omnium, totiusque senatus, nec non etiam Patriarchæ consensu, Imperio actutum exutus fuit; Monachumque agere coactus. *Theophanes.*

MICHAELIS CVROPALATÆ IMPERAtoris Orientis Gesta, & Imperij abrogatio.

Stauratio è regimine amoto, Imperator omnium Votis renuntiatus, Anno Christi octingentesimo vndecimo, exilii pœna mulctatos, ac fortunis suis omnibus priuatos, pristino honori continuo restituit, filiumque suum Theophilactum, Augustum appellauit. Princeps certè, Nicephoro, illiusque filio, & pacis artibus melior, & pietate maior, si quàm in toga bonus, tàm in bellicis rebus administrandis, viguisset. Et vero pacis spe omni cum Bulgaris abiecta, bellum in eos suscipiens, re infeliciter gesta, Leone Armenio copiarum præfecto, hosti fauente, ac principatum ambiente, ita animo concidit, vt Byzantium reuersus, exuta confestim purpura, missisque ad eum Imperij insignibus, Regni haud quaquam tenax, monasterio se se abdiderit. *Cedrenus, & alij.*

LEONIS ARMENII IMPERATORIS Orientis Gesta, & Obitus.

A Legionibus acclamatus Imperium suscepit, Anno Christi octingentesimo decimotertio; ipsoque principatus initio Michaëlem Curopalatam, monasticæ vitæ genus profitentem, ad Protam Insulam Bosphori Thracij, quadraginta stadijs, à Chalide distantem, vna cum coniuge, & filijs deportari iussit, reque bene gesta, cum Bulgaris, Principumque animis conciliatis, ac firmato Imperio, Iconoclastarum Hæresim complexus, arma in summos Reipublicæ viros, sacrarumque imaginum cultores atrociter vertit. Verum tanti criminis pœnas, non multo post expertus est, Anno siquidem Christi octingentesimo vigesimo, principatus sui septimo, & mensibus quinque, templum, vt sacræ noctis natalitij Domini peruigilium ageret, ingressus, à coniuratoribus, crebris vulneribus confossus, occubuit. *Ita Græci Historici.*

ICON

LEONIS ARMENII IMPERATORIS Orientis.

LEo Armenius Pardi Patricij filius, magnisque clarus virtutibus, summa cura, primis Imperij annis, publicæ rei incubuit, collatis tantum, spei maximæ viris, dignitatum omnium fascibus, nullo pecuniæ, gratiæue relicto loco. Bellicis vero artibus apprime instructus, de Chrunno Bulgarorum Duce, ob varias, insignesque sibi partas victorias, apparatissimum triumphum egit. Quare gratus omnibus acceptusque, maximam, tum apud magnos aulæ proceres, tum etiam apud reliquos Imperij Principes expectationem sustinuit; quam certe nusquam frustratus fuisset, ni breui, crudelitate in suos, Tyrannum vbique agens, & infanda in Deum impietate Iconomachus factus, superum omnium atque mortalium odia incurrisset.

MICHAELIS BALBI IMPERATORIS *Orientis Gesta.*

E vinculis, quibus iam reus maiestatis factus, constringebatur, solutus, Imperio amicorum suorum opera potitus est, Anno Christi octingentesimo vigesimo, vxoreque Leonis monasterio inclusa, quatuor ipsius filios, exilio damnauit. *Zonaras.*

CAROLI MAGNI IMPERATORIS *Occidentis Gesta, & Obitus.*

Conuentu habito Aquisgrani, Ludouicum filium suum, ex Aquitania acciuit, Imperijque consortem fecit. Dein Bernardum ex Pipino filio nepotem, Italiæ Regem, absentem licet, renuntiauit, Valliumque virum prudentissimum immaturam eius ætatem moderari iussit; Barbaros vero Italiam, magnis cladibus infestantes, coërcere. Cæterum non tantum Regno, sed etiam Ecclesiæ consultum voluit. Ea propter varia per totam Galliam concilia habuit; immo legem edidit, qua Episcoporum Electio, quam Antecessores Reges inuaserant, libertati pristinæ restituta fuit. Obseruandum tamen est, regios legatos, qui visitatores dicebantur, adesse vt plurimum post legem illam sancitam, in Episcopis, per libera suffragia eligendis, consueuisse, ad tollendas rixas, atque dissidia.

His peractis animum ad otium, atque quietem adiecit; mox ætate, ac morbo confectus, cælestem animam, magno cum pietatis sensu, vir cœlestis, cœlo reddidit, Anno Christi octingentesimo decimo quarto, ætatis septuagesimo, & Imperij sui decimo quarto. Eius corpus more solemni, maximoque totius populi planctu elatum fuit, arcusque deauratus super illius tumulo impositus cum hac Epigraphe.

HIC IACET CAROLVS MAGNVS IMPERATOR CHRISTIANISSIMVS, DEFENSOR ECCLESIÆ ACERRIMVS, ORTHODOXVS SPECTATISSIMVS, QVI FRANCORVM REGNVM PROPAGAVIT INSIGNITER, ET FELICITER QVADRAGINTA SEPTEM ANNIS ADMINISTRAVIT, IMPERIVM VERO QVATVORDECIM.

ICON

CAROLI MAGNI IMPERATORIS Occidentis.

CArolus Pipini filius, Princeps bello, paceque summus; consilio prouidus; amicis suauis; hostibus formidabilis; munificentia inclytus; probitate insignis; Iustitiæ cultor eximius; litterarum amantissimus; Forma excellens; animo supra naturam, & fidem euectus; magnitudine cogitationum; celeritate bellandi, & patientia periculorum, Magno illi Alexandro, sed sobrio, nec irato, simillimus. Pietate in Deum; affectu in suos; in Religionem cultu; & obseruantia in Pontificem, nulli postponendus. Augusti vero, Traiani, Constantini, Theodosij, Alexandri, aliorumque magnorum Cæsarum virtutes omnes, vnus expleuerat; peneque omnium votorum compos, si (quod Metello contigisse ferunt) præter amplissimos triumphos, ac principale, in hoc orbe terrarum, fastigium, extentumque vitæ spatium, atque acres pro Religione contentiones, tres filios, fortunæ, in quam alebantur, capacissimos, reliquisset superstites. Sed ea est hominum fœlicitas; vt nunquam vel tota, vel perpetua adueniat; purpura plerumque illudens; tantumque optatis priuet, quantum illa alte, supra aliorum sortem, attollitur. Cæterum post reddita Europæ iura; Africæ incussam formidinem, & Asiæ initam societatem; post Longobardos penitus attritos, eorumque Regnum, capto Desiderio Rege, funditus euersum; Saxones rebellantes perdomitos; Sarracenos Hispaniam peruastantes, in Boeticæ angulum compulsos; Sclauos, atque Boiarios tumultuantes, acie profligatos; Aragisumque Ducem Beneuentanum, Longobardorum reliquias fouentem, in ordinem redactum. Post terris pacem redditam; securitatem gentibus; sanctitatem templis; Reipublicæ Christianæ tranquillitatem; Leone summo Pontifice, quem consanguinei Adriani Papæ nuper demortui, è sede deiecerant, pristinæ libertati, ipsius opera, restituto; à quo dein Imperatoris insignibus, publica gentium voce donatus, primus ad obliteratum pene apud Romanos Imperium euectus fuit; primusque, post Augustulum, Romanis imperauit. Post Florentiam vrbem restauratam; pontem mirabili arte Moguntiæ constructum; stupendum insuper illud, quod sub Neronis Principatu tentatum fuerat, opus susceptum; Danubium Rheno committere aggressus; quod tamen fre-

quentißimis è cælo imbribus, alijsque incommodis interruptum, permansit: Post Parisiense institutum Gymnasium; Papiensem Academiam; & Bononiensem quasi vetustate prolapsam, restitutam; (neque enim ille minus Musarum, quàm Martis alumnus erat:) Post cooptatum publice in Augustum, filium suum Ludouicum, & adactos in eius verba Proceres: Postque varia Moguntiæ, Rhemis, Turonibus, Cabillone, alijsque in locis coacta concilia; de Religione Christiana, Francorumque gente, ac orbe vniuerso bene meritus, purpuram cum vita Aquisgrani deposuit. Adeo constans est, vt constet genitum nihil.

LVDOVICI IMPERATORIS OCCIDENTIS Gesta.

Accepto paternæ mortis nuntio, Aquisgranum confestim se contulit, Anno Christi octingentesimo decimo quarto, omniumque votis Augustus confirmatus, vniuersa Regnorum, Imperijque iura suscepit. Tum Caroli patris testamentum summa cura expleuit; magnamque auri vim in pauperes profudit; argentea dumtaxat tabula, paterni amoris monumento, sibi relicta; eius tamen pretio, quasi alienæ rei, persoluto. Mox Lothario filio suo Bauariam, Pipino vero Aquitaniam assignauit; Ludouicum natu minimum Noricis Regem impositum secum habuit; Bernardum denique Pipini fratris sui filium, Regem Italiæ; maximis coluit muneribus, hortatusque vt virtute, atque fide, in Italia administranda, patris laudem assequeretur.

Cum Grimoaldo Beneuentano Duce pacem ita firmauit, vt idem tributum ei penderet, quod cum patre pepigerat, *vt vult Sigonius*. Saxonibus, quos pater in Galliam traduxerat, redeundi domum ius dedit, testamentique factionem, quam Carolus Magnus eis ademerat, restituit; nullum siquidem in Francia commorantibus, voluntatis testandæ ius reliquerat. *Ita Fuldensis, & alij.*

Bernardum Romam, vbi factiosi aliqui ciues, Leoni summo Pontifici struxerant, magnisque tumultibus, ac cædibus, vrbem impleuerant, fœliciter destinauit, Anno sequenti, Christi scilicet octingentesimo decimo quinto. Eius enim opera, & Vinigisi Spoletani Ducis, res prospere compositæ fuere, &

Leo omni periculo exemptus. Compluribus sub idem tempus, ex Hispania, durissimo Sarracenorum iugo, oppressis, Galliam incolendam petentibus, non agros modo Augustus, domosque, sed tributorum etiam immunitatem concessit. Habes ea de re duo diplomata à Pithæo edita. Misso item eodem anno in Normannos exercitu, receptis obsidibus, incruenta potitus est victoria.

Eius inauguratio, & Hermingardæ coniugis, facta fuit Rhennis à Stephano summo Pontifice, anno proximo, Imperij sui tertio; pietateque parenti simillimus, maiorum suorum dona, & addictos Ecclesiæ principatus, tantum non confirmauit, quin immo adauxit.

Sacris, feria quinta hebdomadæ sanctæ, in templo peractis, regiam, sublicio ponte, repetens, eo collapso, vitæ periculum adijt, Anno Christi octingentesimo decimo septimo, principatus quarto; conditoque testamento, Lotharium filium natu maximum, Imperij, Francicique Regni hæredem constituit. Pipino vero Aquitaniam, & Ludouico Germaniam legauit. Extincta demum anno proximo Hermingarda vxore, Iuditham Huelfi apud Bauariam Comitis filiam Virginem præ cæteris specie, ac pulchritudine insignem matrimonio sibi iunxit, Anno Christi octingentesimo decimo nono, principatus sui sexto, ex qua Carolum suscepit, qui Calui cognomine, atque Imperij titulo donatus fuit, *vt testatur Pithæus, & alij.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Chrunnus Bulgarorum Dux, purgato Nicephori Imperatoris Orientis cæsi capite, Anno Christi octingentesimo vndecimo, caluam argento induxit, eâque, cum ipse libasset, proceres suos ebibere iussit, vt auro cupidissimus Cæsar, mero, post fata, expletus, alienam sitim elueret. *Zonaras.* Alcama Maurus Pacis Augustæ præfectus, à Senticæ Vaccæorum in Hispania Tarraconensi vrbis finibus, quam circumsederat turpiter repulsus fuit, eodem Christi anno.

Mahumetes nobili loco inter Mauros natus, Emeritæque

quondam ciuis, Abderamni Maurorum Regis potentissimi filij metu, qua causa incertum est, sed vim tamen veritus, Alfonsi Regis fidei, cum suorum manu, se tradidit, huius benignitate locus ad habitandum in Gallæcia concessus. *Mariana teste.*

Grimoaldus, qui cum Pipino, graui bello contenderat, arma deposuit, eodem Christi Anno octingentesimo vndecimo; pacemque cum Carolo Magno composuit, septem aureorum millia quotannis soluturus. Bernardus Pipini filius, Italiæ Rex à Carolo Magno renuntiatus fuit, Anno Christi octingentesimo decimo tertio. Biennio vero post Ludouici Pij Imperatoris iussu, Romam profectus, turbatas res prospere composuit, ipsumque Pontificem è præsenti vitæ periculo eripuit. Anno autem octingentesimo decimo septimo, signa in ipsum Ludouicum Imperatorem intulit, omnesque Italiæ ciuitates, in sua verba iurare voluit, *ita citatus Auctor.*

Alfonsus Rex Hispaniæ obtinuit à Leone Summo Pontifice, Anno Christi octingentesimo decimo quinto, vt Ouetensis Ecclesia Archiepiscopo donaretur. *Rodericus, Lucas Tudensis, & alij.* Lescho, sub idem tempus, vita, principatuque functo, Popiellus ipsius filius, patris, auique dissimillimus, vt pote ignauus, ac timidus, Poloniæ regimen sumpsit, *vt vult Salomon Neugebauerus à Cadano.*

Azo Vasconum prætor, sordium manifestus, Anno Christi octingentesimo decimo septimo, à Sigino quodam adiutus, pugnam contra Augusti Duces coacta perditorum manu, acriter aggressus est; victusque, cum, sordibus furore cumulatis, nulla spes veniæ eluceret; in Hispaniam ad Sarracenos se recepit, eorum armis se tecturus. *Francorum Annales.*

Achaius Scotorum Rex, decem militum electorum millia ad Hungum Pictorum Regem, contra Anglos, misit. *Hector Boëtius, Leslæus, & alij.* Eo autem sublato, Conuallus Fergusij tertij filius, rerum Scoticarum administrationem suscepit, Anno Christi octingentesimo decimo nono, tantoque in honore Hungum Regem habuit, vt in rebus omnibus eius consilio vsus fuerit. *Ita citati Auctores.*

VIRI ERVDITI.

Kenulphus regali ex prosapia genitus in Anglia, & Merciorum Rex decimus quartus, liberalibus artibus summe excultus, floruit hoc tempore, magnoque apud viros eruditione præstantes in pretio habitus. *Pithaus.*

Theodolphus Abbas Floriacensis, mox Episcopus Aurelianensis, vir & genere, & doctrina eximius, scripsit plura, tùm soluta, tùm stricta oratione, & in primis Caroli Magni, & Ludouici Imperatoris, ipsius filij Annales, librumque Epistolarum vnum. Multa de eo habes in Bibliotheca sanctorum patrum.

REGNORVM OCCASVS.

Cantionum Regnum post annos trecentos sexaginta tres perijt funditus, in Anglia, Anno Christi octingentesimo vigesimo, *vt placet Polydoro lib.* 4. vnitumque fuit Regno Occidentalium Saxonum.

OPERA PVBLICA.

Heraclea vrbs illustrissima restaurata nunc fuit ab Angelo Heracleo Venetorum Duce Parrhiciaco. *Ita Sabellicus, & alij.*

PRODIGIA.

Cometes acephali hominis formam referens apparuit in cœlo, Anno Christi octingentesimo decimo tertio, *vt scribit Cuspinianus.*

CALAMITATES.

Vehemens terræ-motus Thraciam quinque dierum spatio grauiter afflixit, Anno Christi octingentesimo decimo quinto Ludouici Imperatoris secundo, vrbisque ædificia permulta deiecit; immo aliarum ciuitatum populos, magnis oppressit ruinis. *Sigonius.* Sequenti vero anno lues atrox ingentes hominum strages edidit, in Samothracia; Anno denique octingentesimo

tesimo vigesimo annonæ caritas tanta per totum Belgium, vt inde frequentes morbi enati fuerint; pestilentiaque longe, lateque grassata.

RES BELLICÆ.

Nicephorus Imperator Orientis, tam infœliciter cum Chrunno Bulgarorum Duce, quem ipse alias, varijs prælijs secundo marte, obtriuerat, pugnauit, Anno Christi octingentesimo vndecimo, principatus sui decimo, vt ex improuiso noctis impetu circumuentus, cum totius Imperij iuuenum, principumque flore, occubuerit; Stauratiusque ipsius filius, lethali percussus vulnere, ægrè euaserit; *Zonaras, Theophanes, & alij Historici Græci.*

Sarraceni ex Africa Ambulachi pacem aspernati, Corsicam inuaserunt, Anno Christi octingentesimo decimo tertio. Hos magna præda onustos fudit, fugauitque primo congressu Ermengarius, receptis aliquot nauibus. Non tamen, ob tantam cladem, quieuere; quin immo in Italiam profecti Centumcellas, in Hetruriæ ora, occuparunt; captamque vrbem euerterunt. Narbonensem inde oram populati, Sardiniam in suam potestatem redegere. Illos iterum Ermengarius, cum Insularum manu, facto impetu, fusos ad mare cum magna strage egit; nauesque tumultuosè ascendentes, ad hostium satietatem cæsi, maiorisque classis parte amissa, in Africam traiecere, *Ita Sabellicus.*

Michael Curopalata Orientis Imperator, bellum contra Bulgaros instaurauit, eodem anno, sed infœlici exitu. Quare Chrunnus eorum Dux hacce victoria vsus, fratre ad Hadrionopolim expugnandam, cum copiarum parte, relicto, victorem exercitum Constantinopolim duxit; vbi spe omni potiundæ vrbis frustratus, Hadrionopolim repetijt, quam obsessam haud multo post cepit, omniaque igne, ac sanguine impleuit. Quibus de rebus certior factus Leo Armenius, Imperator recenter salutatus, eo confestim aduolauit, incautumque hostem penitus oppressit, ac Chrunnum grauiter vulneratum, fuga sibi consulere adegit. *Græcorum Annales.*

Pace Ludouicum inter Imperatorem, & Maurorum in Hispania Principem, firmata, bellum acrius recruduit, Anno

Christi octingentesimo decimo quinto. Sclaui ab iugo recedentes, per Saxonum, Francorumque exercitum debellati fuere. Hæsit tamen, in vna rebellium ciuitate, belli moles, qua vi capta, cæteræ ad obsequium facilè rediere. Inde duplici acie prostrati in Aquitania Vascones. *Ita Galliæ Historici.*

Britanni Armorici à quondam Vinomarcho sollicitati, Anno Christi octingentesimo decimo sexto, signa in Ludouicum Augustum intulere; Hic tamen mira celeritate, Armoricos motus, instructo, paratoque exercitu compressit, vt quem venire non audierant, videre se, & adesse vix crediderint; extinctoque Duce, successorem creauit, legesque sibi parendi Britannis dedit, *Paulus Æmilius.*

Hungus Pictorum Rex, armis Athelstani Saxonum Occidentalium Regis iniuste vexatus, Achaium Scotorum Regem in subsidium vocauit, Anno Christi octingentesimo decimo septimo, Ludouici, & Leonis Armenij Imperatoris quarto. Dein cum decem Scotorum millibus, ad insolentiam Athelstani perdomandam, præsto fuit; Northumbriæ fines peruastauit, prædaque opima onustus pedem retulit. Redeuntem quasi vestigijs Hadingtonum vsque insequitur Athelstanus, substitit Hungus, pugnam cum hostibus sequenti die commissurus: Sed cum suorum pars magna, propter hostium multitudinem animis concideret. Hungus Deum, Diuumque Andream, precibus tota nocte effusis, subsidia sibi comparauit. Crux siquidem, in quam D. Andreas sublatus mortem oppetiuit, viuis quasi coloribus effcta, omnibus in cœlo apparuit; quæ res ita Hungo totique exercitui animos addidit, vt Scoti omnes victoriam sibi, hostibusque cladem, & interitum præsagirent. Descenditur proximo die in prælium, quo Athelstani copiæ sic prostratæ fuere, vt vix, ac ne vix quidem, quingenti fuga elapsi fuerint, Athelstano etiam in acie cæso. Vt autem tantæ victoriæ memoria nulla vetustate deleretur, crucis effigiem in armis, atque insignibus efformatam cum hostibus congressurus præferre hactenus voluit Hungus princeps; *vt refert Hector Boëtius, & alij omnes Scriptores Anglici.*

Vascones nondum ferociam, tot aduersis fracti, deposuerant. Quare rati, distractis Francorum viribus, facilem esse, ac promptam recuperandæ libertatis viam; Lupo Duce turba-

runt, eodem anno. Verum à Berengario Tolosano Comite, primum victi; dein à Pipino Aquitaniæ Rege penitus oppressi, quieuerunt.

Bellum in Pannonia haud leue ortum est, Anno Christi octingentesimo decimo nono, Ludouici Pij, & Leonis Armenij Imperatoris sexto. Baldericus siquidem, Ludouici Imperatoris iussu, in Carantanorum Regionem, quæ ad Kindeuitum, seu Lindeuitum defecerat, occurrentes Kindeuiti copias, ita fœliciter, iuxta Drauum fluuium adortus est; vt quamuis numero militum inferior hostibus esset, insignem tamen reportauerit victoriam. Sequenti vero anno iussit Imperator vt Pannonia triplici acie inuaderetur. Ea propter proximo Vere exercitus tres in Saxonia, Francia, Alemannia, Boioaria, atque Italia conscripti, præsto fuere. Quorum primus ex Italia per Noricas Alpes progressus est; alter per Carantanos; tertius per Baioariam, & Pannoniam superiorem, in vnumque coacti, totam cædibus, atque incendijs pessundederunt Regionem. Cariolenses qui circa Drauum fluuium habitabant, & Foroiuliensibus finitimi, Balderico se dedere; Carentini item eos imitati, imperium subiere. Kindeuitus denique fusus, omnibusque spoliatus, apud Dalmatas hominum miserrimus perfugium quod sperauerat, non repetit. Etenim Diodonulphi Dalmatiæ Principis iussu obtruncatus, dignissimum pertinaciâ suâ finem sortitus est. *Paulus Æmilius.*


REI INSIGNES.

Bernardus Pipini filius Italiæ Rex, maiestatis reus habitus, vtpote qui in Ludouicum Augustum arma sumpsisset, capite Aquisgrani à iudicibus damnatus, Imperatoris benignitate, oculis tantum orbatus fuit. Cæteri vero eiusdem criminis conscij, partim necati, partim alio affecti supplicio. Episcopi quidem frequenti Antistitum conuentu, atque suffragio, in monasterium cum Caroli Magni filijs naturalibus Dragone scilicet, Theodorico, atque Hugone eadem contagione afflatis, detrusi fuere. *Ita Theganus huius temporis scriptor.*

OBITVS ILLVSTRES.

Carolus, Caroli Magni filius, præstanti indole, & regijs virtutibus illustris, immatura morte sublatus fuit, Anno Christi octingentesimo vndecimo, *vt constat ex Pithæo.* Bernardus Pipini filius ob maiestatis crimen excæcatus triduo post doloris acerbitate perijt, Anno Christi octingentesimo decimo septimo, Ludouici Pij, & Leonis Armenij Imperatoris quarto, *vt refert Theganus.* Sequenti vero Grimoaldus Beneuentanus Dux, noua moliens, Rodelchi Comitis dextera cecidit. Hirmingarda Augusta Ludouici Pij Imperatoris vxor, fatis concessit sub idem tempus. Codolachus autem eiusdem Augusti Dux illustrissimus, viuere desijt Anno Christi octingentesimo nono, quo etiam Achaius Scotorum Rex purpuram cum homine exuit. *Lesłæo teste.*





DECAS TERTIA.

LVDOVICI PII IMPERATORIS Occidentis Gesta.



Olemni Procerum suorum sacramento, partitionem filios inter factam, sanxit, Anno Christi octingentesimo vigesimo primo, principatus sui octauo, Ducesque exercitus ad annuam expeditionem Pannonicam destinauit. In nuptijs item Lotharij filij, ijs qui cum Bernardo, in ipsum coniurarant, non vitæ modo, quin immo, & bonorum quæ in fiscum relata fuerant, gratiam fecit, eodem Christi anno.

Sequenti vero omnia prædia, atque iura, quæ superiores Reges Ecclesiæ Metensi indulserant, Adeodato Metensi Episcopo confirmauit; in diesque acerbius dolens, ob affectum supplicio Bernardum nepotem, & Italiæ Regem, vexatosque insontes fratres, publicam expiationem, sub idem tempus, egit. *Pithæus, & alij.*

Filium suum ad Paschalem summum Pontificem misit, Anno Christi octingentesimo vigesimo tertio, principatus sui decimo; vt ab eo maiorum more, regioque apparatu corona donaretur, Augustusque acclamaretur; Et quia motus aliqui in vrbe enati fuerant, ob incertos fines, ne similes in posterum exoriri possent; hasce Hetruriæ vrbes Imperij esse indixit; Aresium, Volaterras, Clusium, Florentiam, quam pater Carolus Magnus instaurarat, Pistorium, Lucam, & Pisas; Cæteras Romanæ Ecclesiæ addixit; adjecitque, *vt vult Sabellicus*, Perusiam, & vrbem veterem, quasi nihil ad Hetruriam pertinerent, & Tudertum in Vmbria, totamque Flaminiam, circa Apenninum, cum Rauennæ Exarchatu; concessit insuper, non tantum Paschali summo Pontifici, sed etiam poste-

ris omnibus, vt quem vellent Episcopum eligerent, cum Imperator, ea de re, ad id vsque tempus consuleretur. Anastasius Bibliothecarius tradidit ius illud ab Hadriano concessum fuisse Carolo Magno, & à Ludouico Pio, restitutum potius, quam concessum.

Confecto bello Britannico, anno proximo, Rotomagum regressus, Michaelis Orientis Imperatoris legatos audiuit. Anno vero Christi octingentesimo vigesimo septimo Lotharium magnis cum copiis in Hispaniam transmisit contra Sarracenos. Regni item cladibus auertendis, ac criminibus expiandis triduum ieiunium, conuentusque quatuor, Parisiis, Tolosæ, Lugduni, & Moguntiæ indici curauit.

Conjuratione filiorum, Principumque, fœdere inter se inito, detecta, anno Christi octingentesimo trigesimo, principatus sui decimo septimo, maximas in curas conjectus fuit. Hisce vero intestinis dissidiis occasionem dedere Iudithæ Reginæ studia, licentiaque; & Bernardi Comitis Barcinonensis promotio, illum enim ex Hispania euocatum, cubiculi præfectum constituerat, Duces item in ordinem redacti; *Ita Annales Francici.*

MICHAELIS BALBI IMP. ORIENTIS Gesta, & Obitus.

Principum omnium, populique Constantinopolitani animos sibi conciliare volens, exules omnes reuocari, inclusosque carcere liberari iussit: dein rebus bellicis totus summe incubuit, Anno Christi octingentesimo vigesimo primo, principatus sui primo. Euphrasianam vero Constantini filiam, virginem Deo sacratam in vxorem accepit. Quam ob rem, iram supremi numinis triennio post expertus; phrenesi, intestinoque viscerum dolore, infœliciter perijt.

ICON

MICHAELIS BALBI IMPERATORIS Orientis.

Michael, Amorio, Africæ superioris oppidulo oriundus; non humili tantum, sed & sordido loco natus est; ad quæ, impietas quoque, ex Iudæorum, Manichæorum, cæterarumque collunione pestium, Hæresi hausta, accesserat; quæ primis Imperij annis, non in cultores modo imaginum, verum in Diuos ipsos omnes, signa tulit. Princeps non solum Balbus, vitio linguæ habitus; immo & Bardus, iumentorum ingenia, atque indolem pulcherrimam ratus, turpissimo ipse ingenio, rudisque litterarum. Ea propter, ne pueros doctiores se haberet, eos erudiri vetuit. Post interfectum Leonem Augustum, cuius studio ad tantam fortunam euectus fuerat; Thomam quendam, Tyrannidem sibi parantem, vario primum rerum euentu, mox secundo Marte oppressit, defectionisque socios è viuis sustulit. Res tamen Romana eo imperante pene pessundata. A Sarracenis siquidem Hispaniensibus Creta Insula occupata fuit; ab Africanis vero Sicilia; exinde Calabria, Apuleia, Italiæ etiam pleraque loca Sarracenis paruere. Hinc vetus illud oraculum, Imperium scilicet ruiturum, cum Balbus, & Princeps auarissimus, quolis hic, auro semper inhians, regnaret. Incesto demum sacræ virginis coniugio potitus, impuritatis pœnas, haud multo post, impurissimus luit.

THEOPHILI IMPERATORIS ORIENTIS Gesta.

Michaele patre extincto Reipublicæ curam sumpsit, Anno Christi octingentesimo vigesimo nono; eiectamque è regia aula nouercam, in monasterium intrusit. Tum vt iustitiæ cultor eximius, eos quorum opera Leo Augustus sacris in ædibus, ipso natalitij Domini peruigilio confossus fuerat, grauibus affecit supplicijs. Anno vero sequenti Theodoram nobilem virginem, magnis naturæ dotibus insignem, thoro sibi iunxit, Augustamque appellauit, *Zonaras, Curopalata, & alij.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Lotharius Ludouici Pij Imperatoris filius, & Italiæ Rex, Hermingardam Hugonis Comitis filiam duxit, Anno Christi octingentesimo primo. Eius nuptiæ legatione in primis summi Pontificis, Theodori Primicerij, & Flori; Ducumque, qui vniuersa populata Pannonia, reuersi erant, præsentia, cohonestatæ fuere. Biennio post in Italiam, patris iussu, profectus, corona, solemni more, in Regem, Augustumque, donatus fuit. *Sigonio teste.*

Abderamannus annos quadraginta vnum natus, Ahaca parente Sarracenorum Rege in Hispania defuncto, purpuram induit sub idem tempus. Princeps natura ferox, & crudelitate insignis. Primo siquidem principatus sui anno, Cordubam regiam vrbem, multo magnorum virorum effuso sanguine cruentauit, *vt testatur S. Elogius.* Dostorbargus, Hungo patre Pictorum Rege demortuo, rei administrationem suscepit eodem Anno, Christi scilicet octingentesimo primo. *Hector Boëtius, Leslæus, & alij.*

Thomas quidam ex obscurissimo ortus genere, famulo nimirum viri senatorij Constantinopolitani, pœnæ metu, ob defœdatum ipsius thorum, factus ad Sarracenos transfuga; per annos viginti, eiurata fide, cum eis commoratus est. Tum Romanos repetens, filiumque Irenes Augustæ ementitus, comparto sibi perditissimorum hominum cœtu, Armeniam, sub Leone Armenio, aliasque prouincias occupauit. Mox in Michaelem Balbum Imperatorem maioribus copijs, bellum suscepit, sed infœliciter, Anno Christi octingentesimo vigesimo secundo. *Ita Græci Scriptores.* Suppo autem Brixiæ Comes, in locum Vinigisij Spoletani Ducis subrogatus fuit.

Dongallus Saluathij Regis filius, vir insigni prudentia, Conuallo fatis absumpto, in Scotorum Regem inauguratus fuit, Anno Christi octingentesimo vigesimo quarto, Ludouici vndecimo, & Michaelis quarto; ipsoque Imperij initio, coniuratione eorum, qui, fluxos, solutosque suos mores, arcta

Dongalli

Dongalli disciplina coërceri, ac deuinciri, ægerrime ferebant, petitus fuit. *Hector Boëtius*. Odeacer princeps ingens animo, belliqueiuxta, ac pacis artibus clarus, Eglerano patre Flandriæ Duce, atque Insulæ Domino extincto, Regnum suscepit eodem anno, vt habes in Chronico Flandriæ.

Adelardus Comes Palatij successit Supponi Palatino Duci defuncto, Anno Christi octingentesimo vigesimo quinto, Ludouici Pij duodecimo, & Michaelis quinto. Illi vero, quinque mensium spatio, febre sublato Mauringus Brixiæ Comes, cui ius dicendi summam laudem pepererat, successit. *Sigonius*. Sequenti vero Iustinianus Venetorum Dux omnium suffragijs creatus fuit. Vir tanto magistratu bene meritus, cum insigni illius virtute, atque industria, Veneta res multum creuerit. *Ita Sabellicus*.

Euphemius Siciliæ Dux, raptam è monasterio sacram virginem, obluctantem licet, sibi coniunxit. Qua de re certior factus Imperator Michael, grauem ei pœnam inflixit, ad quam dum ab Insulæ præfecto postulatur, in Africam cum validissimo exercitu, cui præerat, se contulit, Romanique Cæsaris nomine assumpto, Anno Christi octingentesimo vigesimo septimo, Ludouici decimo quarto, & Michaelis septimo, Sarracenos in Siciliam intulit, qui haud ita multo post, Calabria potiti sunt, funesto Italiæ totius fato, *vt testatur Curopalata*.

Eganus secundus, Hungi Pictorum Regis filius, structis, in Dostorlargum fratrem Imperantem, insidijs, occidit, Imperiumque, sub idem tempus, arripuit. Dein incesto, Bernam cæsi fratris coniugem, Merciorum Regis filiam renitentem, in vxorem accipiens amore se polluit; huius vero criminis pœnas, breui expertus est. Illa siquidem, eius amplexus, impietatemque auersata, ac mariti necis vlciscendæ cupida, nocte nimia crapulæ indulgentia, in altiorem somnum solutum, virili dextera confodit, anno Imperij sui secundo. *Hector Boëtius*.

Alpinus, Hungi ex Fergusiana sorore nepos, accepta Egani Principis nece, Dongalli Regis suasu, ad Pictorum Magnates Legatos misit, qui eos amice interpellerent, vt Regnum sibi hæreditario iure debitum, deferrent; quandoquidem Hungo auunculo vna cum liberis morte absumpto, propinquissimus

Regni esset hæres. Quibus responsum, Pictos peregrini sanguinis Principem nec debere, nec posse admittere. Ea propter, Feredechum, virum inter eos summa auctoritate, sibi iam præfecisse, illumque tanquam Regem, procerum omnium votis, salutasse. *Auctor citatus.*

Ioannes, Iustiniani Venetorum quondam Ducis frater, eodem Ducatus honore ab ijsdem Venetis auctus fuit, Anno Christi octingentesimo vigesimo nono. Proximo autem Dongallo è viuis erepto, Alpinus Achai filius Scotorum Rex acclamatus, magnam in Pictos expeditionem parauit.

Popielus, Princeps luxu solutus, stupidoque ingenio, Popielo patre funerato sceptrum Polonicum sumpsit, eodem Anno, Christi scilicet octingentesimo trigesimo, Ludouici Pij decimo septimo, Theophili primo. Hic cum patruos, instigante vxore, veneno sustulisset, infœlici vitæ exitu, vna cum vxore, ac liberis perijt, *vt vult Salomon Neugebauerus à Cadano.* Adde Brutum Principem, qui sub idem tempus Feredecho patre in acie cæso, Pictorum omnium suffragijs, regijs insignibus ornatus fuit. *Boëtius, & alij.*

VIRI ERVDITI.

Rabanus Maurus Archiepiscopus Moguntinus, natione Germanus ex ciuitate Fuldensi in Buchonia, & Albini quondam discipulus scripsit de vniuersali natura librum vnum. De quæstionibus Canonum alium; alterum vero de ortu, & moribus Anti-Christi. De natura rerum quinque. De rebus gestis Clotarij, Ludouici, & Caroli, carmine heroïco. De rerum item naturis; verborum proprietatibus; & Mystica rerum significatione libros viginti duos.

Strabus Fullensis Monachus Gallus, Rabani auditor, vir singulari eruditione illustris floruit hoc tempore, magnæ fuit famæ, *vt refert Philippus Bergomensis, & alij.* Nithardus Caroli Magni Imperatoris ex Bertha filius libros quatuor de Ludouici Pij Augusti filiorum dissidio, composuit.

Freculphus Monachus S. Benedicti; dein Episcopus Lexouiensis, scripsit ad Iuditham Augustam Ludouici Pij coniugem libros quinque Historiæ ab ortu mundi ad annum vsque

sexcentesimum; *Belarminus*, *&* *alij.* Hilduinus Abbas S. Dionysij Parisiensis, petente Ludouico Pio Imperatore, Areopagitica contexuit. Theodorus Studitarum Præfectus summo in pretio fuit apud viros doctrina illustres.

REGNORVM OCCASVS.

Northumbrorum in Anglia Regnum, quod ducentis octoginta annis durauerat, ab Egberto Saxonum Occidentalium Rege occupatum, penitus concidit, Anno Christi octingentesimo vigesimo octauo Ludouici Pij Imperatoris decimo quinto Michaelis Balbi octauo. *Polydorus lib.* 4.

OPERA PVBLICA.

Sarraceni vrbem, totius Insulæ firmissimum propugnaculum in loco Candace nominato, vnde Creta Insula Candox appellari cœpit, tùm Candia corrupto vocabulo, Construxerunt, Anno Christi octingentesimo vigesimo secundo, Ludouici Pij Imperatoris nono, Michaelis Balbi secundo. *Annales Græcorum*, *Cedrenus*, *&* *alij.*

Triennio post Odoacer Flandriæ Princeps permulta opera, à Barbaris olim diruta, Gandauum præcipue, restaurauit. *Annales Galloflandriæ*, *&* *alij Historici.*

Gregorius summus pontifex, Ostia Tiberina restituit, Anno Christi octingentesimo vigesimo nono, & Gregoriopolim appellauit. Vrbis item nouæ, ad D. Petri Basilicam, fundamenta iecit, Leoque quartus eius successor perfecit, *vt asserit Anastasius Bibliothecarius*, *Sigebertus*, *&* *alij.*

PRODIGIA.

In Thuringis Galliæ, arbor vna quadragenum pedum altitudine, crassitudine vero bis septenum, nulla hominum vi, in alium locum translata fuit, Anno Christi octingentesimo vigesimo secundo, Ludouici Pij Imperatoris nono, Michaelis Balbi secundo. *Coccius Sabellicus.*

In Saxonia, terra passuum aliquot millibus in speciem ag-

geris intumuit. Glacies item duodecim pedum longitudine decidit in Gallia, immensique ponderis lapides. *Auctore citato.* Acies insuper concurrentium inter se militum, cruore vndiquaque madentes apparuere sub idem tempus; *vt testatur Nauclerus, & alij Historici.*

CALAMITATES.

Cælum toto hyemis tempore, immani frigore desæuijt, cunctaque asperrimo gelu concreta fuere, Anno Christi octingentesimo vigesimo primo, Ludouici Pij Imperatoris octauo, & Michaelis Balbi primo; Danubius siquidem, Albis, Rhenus, Scaldis, Sequana, insigni latitudine amnes, adeo triginta dierum spatio indurere, vt equites, plaustra, currus, magnamque hominum vim, rigentibus tergis, tollerauerint. Cæterum hæc fluminum glacies, mollioribus auris soluta, grauia plerisque locis damna intulit. *Aimoinus, Flandriæ Chronicon.*

Biennio post terra tremuit in Gallia, & Belgio; lapsis insuper de cœlo flammis, tacti passim, ac perempti mortales; integræ item villæ, pagi, atque agrestia ædificia deflagrarunt; insolitæ demum magnitudinis grandine pluit, eodem Christi Anno octingentesimo vigesimo tertio, Ludouici Pij Imperatoris decimo, & Michaelis Balbi tertio; frugesque attritæ; vnde penuria secuta, morbusque adeo pestilens, vt innumerabilem hominum multitudinem absumpserit. *Ita Auctores citati.*

Ad hæc adde, Aquense Palatium vehementi terræ motu quassatum fuisse, pleraque ciuitatis ædificia, Augustumque Dei genitricis templum, plumbeis suis laterculis maxima ex parte nudatum, Anno Christi octingentesimo vigesimo nono, Ludouici Pij Imperatoris decimo sexto, Michaelis Balbi nono, vt habetur in gestis Ludouici.

RES BELLICÆ.

Thomas Tyrannus Constantinopolim terra, marique acri obsidione cinxit, vicinaque infestis armis euastauit, Anno Christi octingentesimo vigesimo secundo Ludouici Pij Imperatoris nono, Michaelis Balbi secundo. Hoc in bello præsto

fuit Michaeli Balbo Martagon Bulgarorum Dux, qui magnis Thomam aggressus copijs, secundo Marte profligauit, coëgitque Hadrionopolim confugere, quò Augustus citato cursu profectus vrbem non machinis, sed annonæ penuria oppugnauit; Thomamque à ciuibus traditum, eiusque filium Anastasium nomine, in Biziæ Præsidio, quo se contulerat, captum graui pœna mulctauit, *vt refert Cedrenus*.

Sarraceni, qui in Hispania regnabant, & Sardiniam, atque Corsicam inuaserant, classe in Cretam Insulam delati sub idem tempus, illa, magna facilitate, potiti sunt. Adde Kindeuitum, Sicciæ oppido relicto, ad Sorobas in Dalmatiam se recepisse, vnoque eorum, à quibus exceptus fuerat, Duce interfecto, oppidum occupasse. Anno autem Christi octingentesimo vigesimo quarto, Ludouici Pij Imperatoris vndecimo, Michaelis Balbi quarto, Normanni ex Dacia, & Noruegia profecti, Hispaniam deprædati sunt, emensoque anno, proprios lares repetiere.

Michaelis Balbi Imperatoris exercitus in Creta contra Sarracenos, immissus, cæsus penitus fuit, Anno Christi octingentesimo vigesimo sexto. Dalmatia item ab eo defecit, Imperiumque Orientale, ciuilis belli tempestate iactatum. *Ita Græci Auctores*.

Sequenti anno Agarani non Siciliam tantum, sed & Calabriam, plerasque Italiæ regiones inuasere, crebrisque populationibus afflixere. *Curopalata*, *Cedrenus*, *& alij*. Hispaniam item ferro, ac sangüine funestarunt Sarraceni eodem tempore, Anno scilicet Christi octingentesimo vigesimo septimo, Ludouici Pij Imperatoris decimo quarto, Michaelis Balbi septimo. Proximo autem Bulgari in Francorum Regnum irruere, latiusque grassati sunt. Aizo à Ludouico Pio Imperatore deficiens, Sarracenorumque copijs adhærens, magna ijs omnibus, qui Francorum imperium subierant, damna intulit.

Bonifacius Cyrini Comes, cum Bertario fratre, & paucis Hetruriæ Comitibus, modica classe in Africam deuectus, tantam hostium vim, Vticam inter, & Carthaginem quatuor prælijs cecidit, vt coacti fuerint Mauri, sicut olim pœni Annibalem ex Africa, ita ipsi suos ex Sicilia reuocare, eodem Christi Anno octingentesimo vigesimo octauo, Ludouici

Pij Imperatoris decimo quinto, Michaelis Balbi octauo. *Sabellicus, & Sigonius.*

Sarraceni Italiæ oras classe piratica infestantes, animum ad vniuersam Italiam occupandam adiecerunt, Anno Christi octingentesimo vigesimo nono, Ludouici Pij Imperatoris decimo sexto, Michaelis Balbi nono, *vt scribit Anastasius, & Sigebertus.* Ioannes Venetorum Dux Metamaucum anno sequenti adortus, incendio deformauit, obsidioneque vigiliæ repetita, in potestatem redegit.

Alpinus Scotorum Rex atrox in Feredethum Pictorum Regem bellum suscepit, primoque, ad Restenotum Augustæ Pagum, conflictu, qui omnium acerrimus fuit, Scotorum dexteræ alæ pene deiectæ, sed Fenedochi Athotiæ præfecti ope, non sine plurimo effuso sanguine restitutæ; inde pertinaci pugna secuta, neutra ex parte nutatum. Cædis vtrinque plurimum editum; fugæ tentatum nihil; dubius aliquando Mars fuit; signis nunc ab Antesignanis desertis; nunc inter manipulos receptis; aduertensque Feredethus Rex mediam Pictorum aciem labantem, tanto impetu in hostes irruit, vt dum acrius pugnæ insisteret, occubuerit. Hoc casu, Picti attoniti, relictis saucijs, cum impedimentis in tuta loca confestim se recepere; Scoti verò victoria potiti, Cæsorumque spolia, atque suppellectilem, militari more, inter se partiti, domum regressi sunt, *ita Leslæus, Buchananus, & alij.*

REI INSIGNES.

Ceadragon Abroditorum, seu Arboritorum Rex, perduellionis reus, Regno exutus fuit, Anno Christi octingentesimo vigesimo primo, Ludouici Pij Imperatoris octauo, & Michaelis Balbi primo. *Aimoinus.*

Fortunatus Patriarcha Gradensis criminis, maiestatis insimulatus, quod in Ludouicum Pium Imperatorem noua molitus fuisset, furtim Constantinopolim confugit, eodem Christi anno. Ex quo patet ciuitatem Gradensem sub Ludouici Imperio fuisse, in eoque statu quo Pater Carolus Magnus reliquerat perseuerasse, *vt habemus in Francorum Annalibus, rebusque gestis Ludouici Pij.*

Thomas Tyrannus, eiusque filius adoptitius, Anastasius nomine Exmonachus, obtruncatis pedibus, ac manibus, Michaelis Imperatoris iussu, lento periere supplicio, *Cedrenus, & alij.* Euphemius vero Siciliæ quondam Dux, assumpto Augusti nomine, capite mulctatus fuit, Anno Christi octingentesimo vigesimo septimo, Ludouici Pij Imperatoris decimo quarto, Michaelis Balbi septimo.

OBITVS ILLVSTRES.

Alacha in Hispania Rex, vita functus est, Anno Christi octingentesimo vigesimo primo, principatus vigesimo septimo, multa prole relicta, filijs nimirum vndecim, filiabus vero vna supra viginti. *Ita Historici Hispanici.* Biennio post Hungus Pictorum Rex, magnis clarus virtutibus, è viuis sublatus fuit.


Anno autem Christi octingentesimo vigesimo quarto, Ludouici Pij Imperatoris vndecimo, & Michaelis Balbi quarto, Conuallus Scotorum Rex, & Fergusij tertij filius, morbo absumptus fuit. *Leslæus de rebus Scoticis.* Engleranus Flandriæ Princeps pietate summus, bellique artibus, naturæ concessit. *Chronicon Flandriæ.*

Proximo vero anno Suppo Spoletanus Dux interijt quintoque mense post Adelardus eius successor. *Sigonius.* Angelus Patriciacus Venetorum Dux, desijt, Anno Christi octingentesimo vigesimo sexto, Ludouici Pij Imperatoris decimo tertio, Michaelis Balbi sexto. *Sabellicus.*


Destorlargus Pictorum Rex, Egani fratris Regni cupidi dextera, concidit anno sequenti. Hic à Brenna coniuge, ipsius impietatem auersata, occubuit, Anno Christi octingentesimo vigesimo nono, principatus sui secundo, Ludouici Pij Imperatoris decimo sexto, Michaelis Balbi nono. *Hector Boëtius.* Iustinianus Venetorum Dux obijt sub idem tempus.

Anno autem Christi octingentesimo trigesimo Ludouici Imperatoris decimo septimo, Theophili primo, Dongallus Scotorum Rex, dum bello, contra Feredechum Pictorum Regem, incumbit, militesque vndiquaque circum scribit,

Spei fluminis traiectu, nauicula, vndarum vi, oppressa infœliciter perijt. Feredechus vero acriter contra Alpinum Dongalli successorem depugnans, cæsus fuit eodem anno. *Boëtius, & alij.*



DECAS



DECAS QVARTA.

LVDOVICI PII IMPERATORIS Occidentis Gesta, & Obitus.

IN Aquitaniam, ad motus comprimendos, ineunte Vere, profectus, conuentum Aurelijs habuit; tum Pipinum filium suum, noua iterum molientem, in vincula Augustæ Treuirorum coniectum Regno Aquitanico exuit, eoque Carolum puerum ex Iuditha vxore natum donauit, Anno Christi octingentesimo trigesimo secundo, principatus sui decimo nono; *vt habet Sigonius*.

Pace cum Danis composita, grauem in se conflatam à suis coniurationem, nimia sua indulgentia, filiorum ferocia, ac sæua Regnandi libidine, exortam, cœlestibus primum prodigijs, (insolitò enim tota domus regia intremuit) dein ex perduellionum confessione, didicit; restitutoque ei Imperio, quo paulo ante priuatus fuerat, filios, innitentibus viris illustribus, eiurata coniuratione, in gratiam recepit; reuersusque in Aquitaniam Iuditham vxorem ex Italia reuocauit. Tandem multis huiusce vitæ confectus laboribus, in illo enim fortuna iocos, lususque suos identidem exercuerat, Ludouico filio concessam antea Bauariam, Pipino vero Aquitaniam, firmauit; Lothario autem, & Carolo quidquid terrarum superat cessit; à Mosa quidem ad vltimos Germaniæ fines Lotharius imperauit; reliqua in Caroli ditionem venere. Cæterum prodigiosa illa solis defectione exterritus, continuo lethali correptus morbo, mortem obijt, Anno Christi octingentesimo quadragesimo, ætatis sexagesimo, & Imperij vigesimo septimo.

ICON

LVDOVICI PII IMPERATORIS Occidentis.

LVdouicus Imperator, cui eximia clementia, singularis pietas, religionisque summum studium, Pij cognomen peperere, Caroli vero Magni patris æmulator, ipso principatus initio, Romanæ Ecclesiæ patronum, atque defensorem se præbuit. Leoni siquidem tertio summo Pontifici insidiantes potenter coërcuit. Tum Stephanum quintum ad se venientem, quanto maximo potuit honore, excepit, auitique magis instituti, quam suæ maiestatis memor, insidentem equo, ipse pedes, regiam in vrbem introduxit; immo ius confirmandi Pontificis, Carolo Magno, ab Hadriano, vt quidam volunt concessum, remisit, paternamque donationem explicauit, sanxitque, Mox filios suos magnis donauit honoribus. Lotharium quidem Imperio; Pipinum Aquitanico Regno; & Ludouicum natu minorem Noricorum Principatu; quasi omni Regno pulchrius, Regum se esse patrem, duceret. Permulta bella fæliciter confecit. Sclauos enim ab iugo recedentes, in ordinem redegit. Vascones duplici acie in Aquitania profligauit. Armoricos vero mira facilitate perdomuit. Rebus ita ad occidentem compositis; bellum in Pannoniam intulit, ac vno, alteroue prælio hostes cæcidit; subinde Britannis Francorum incolis debellatis, pacem cum Michaele Balbo Imperatore Orientali, firmauit. Exin clam à filijs appetitus, purpura, proh scelus, exutus fuit. Sed quid tam sanctum, aut natura, aut Deus esse voluit, quod sacrilegum non inueniat? Breui tamen post, ingenti Francorum concursu, communibusque votis, Imperij insignia recepit. Festinantis denique senectutis incommodo pressus, diuisisque, æqua lance, filijs suis principatibus, Rex, quàm pater felicior, hominem cum sceptro deposuit.

LOTHARII IMPERATORIS OCCIDENTIS Gesta.

Audita Ludouici patris Imperatoris in Italia morte, in Franciam se recepit, procerumque votis, post redditum cœlo patrem, eiusque corpus humanis honoribus curatum, Augustus

ſalutatus, Imperij curam ſuſcepit, Anno Chriſti octingenteſimo quadrageſimo. Verum qui ferox ante patri fuerat, ferocior multo in fratres extitit, *vt refert Paulus Æmilius.*

THEOPHILI IMPERATORIS ORIENTIS Geſta.

Pecudum, auiumque ſimulachra, ſacrarum imaginum loco, reponi voluit, Anno Chriſti octingenteſimo trigeſimo ſecundo, principatus tertio. Higiomachus tamen non fuit; cum ſanctos piè coleret, virginiſque Mariæ, Dei genitricis, ſacras ædes frequentaret. Summam vero illam Romani Imperij maieſtatem, atque ſplendorem, ingenteſque opes, gentibus alijs, atque populis oſtentandi cupidus, Agarenos ampliſſimis ornauit muneribus, *vt refert Zonaras in illius vita.*

HEROES

Sanguine, Geſtis, & Politia.

Alexius cognomento Moſoles, vir Armenus ex Crinitarum familia, Theophilique Imperatoris gener à quo Cæſaris nomine inſignitus fuerat.

Theophobus bellicis artibus clariſſimus, patricioque honore decoratus Imperatoris ſororem in vxorem acceperat, *vt habet Zonaras.* Odoacer Flandriæ Princeps illuſtriſſimus, in Ludouici Imperatoris filios, qui funeſta in patrem machinati fuerant, exercitum duxit; ea propter Morinenſi agro ab Auguſto auctus fuit, Anno Chriſti octingenteſimo trigeſimo quarto, *teſte Reginone, & Aimoino.*

Euerardus, nobiliſſimo inter Francos, ortus ſanguine, ac Ludouico Imperatori, ob inſignem virtutem bellicam, proboſque mores, atque candidos, percarus, Limitum Comes creatus fuit; quod Sclauos, Numidas, Sarracenos, aliaſque barbaras gentes aggreſſus, penitus oppreſſiſſet, maioraque in eum beneficia meditatus, voluit, vt Foroiulij Ducatu, qui à Pado, per Alpes ad Dalmatas vſque porrigitur, ac Venetis conterminus, Cyſonijque fiſco donatus, Giſlam, Iudithæ

Imperatricis filiam, magnis illustrem virtutibus, matrimonio sibi iungeret. Porro Cysonium vicus erat in agro Tornacensi, & Insulensi subiectus ditioni, hominum multitudine, solo fertili, & fisci Regis nomine insignis. *Ita Annales Flandriæ, & alij Scriptores.*

Sicardus, Sicone Beneuentano Principe, fato perfuncto, regimen sumpsit, *vt vult Sigonius.* Brudus Feredecho patre Pictorum Rege in acie cæso, Regno haud diuturno tamen potitus est. Primo enim Imperij sui anno, exorto tumultu, perijt. Kennethus vero ipsius frater, & successor non feliciorem vitæ exitum sortitus est; hostium siquidem conspectu territus, fugam, præcipiti cursu, abiectis armis, occupans, interfectus fuit. Brudus dein vir ingenti animo, maiorum suffragijs summum inter Pictos magistratum obtinuit, bellumque atrox, in Scotos hostes infensissimos suscepit, in eo Alpinus Scotorum Rex occubuit, Kennethusque illius filius, & Regni, & in Pictos odij hæres purpuram sumpsit, Anno Christi octingentesimo trigesimo quarto, suorumque vires superiori bello attritas, fractosque animos confirmauit, immo in spem melioris fortunæ erexit; victorque de pictis hostibus cathedram marmoream, ex Argathelia, Sconam deferri curauit, voluitque vt posteri Reges deinceps Sconæ marmoreæ cathedræ insidentes inaugurarentur. Sanctissimas insuper leges condidit, summamque Reipublicæ feliciter administrauit. *Leslæus, & alij.*

Anno vero sequenti Dunstrenus, siue Druskenus, vir prudentia, & animi magnitudine clarus in locum Brudi Pictorum Regis, præ graui mœrore demortui subrogatus fuit, *vt docet Hector Boëtius.*

Egbertus Occidentalium Saxonum Rex, permultis Britanniæ prouincijs, secundo Marte in ditionem redactis, Angliæ nomen eis imposuit, eodem Christi Anno octingentesimo trigesimo quinto, Ludouici Imperatoris vigesimo secundo, Theophili sexto. *Consule Polydorum initio lib. 5. vbi de ijs fuse.*

Carolus Ludouici Imperatoris ex Iuditha filius, Neustriæ Rex biennio post magno cum apparatu acclamatus fuit. Cæterum Neustria, seu Vestria Galliam comprehendit à Rhodano, & Sequana fluminibus, ad Oceanum, & mare Britanni-

cum vsque, *vt placet Lazio.* Hotomanus vero asserit ex maioris monasterij Chronico, Neustriam esse quidquid à Parisijs, & Aurelianis interiacet inter Ligerim, & Sequanam inferius ad Oceanum.

Balduinus Odoacris Flandriæ principis filius, vir moribus compositis, regijsque omnibus ornatus virtutibus, ac ferreis semper indutus armis, vnde ferreus nuncupatus, patre suo extincto, rerum curam assumpsit, *vt refert Historia Galloflandriæ.*

Neomenius Britanniæ minoris Dux constitutus fuit sub idem tempus; Venetorum vero, Ioanne exule sublato, Petrus Tradonius Anno proximo, Christi scilicet octingentesimo trigesimo octauo, Ludouici Imperatoris vigesimo quinto, Theophili nono. Hic principatus initio Ioannem filium suum in consortem adsciuit; tum à Theophilo Imperatore rogatus sexaginta naues contra Sarracenos in subsidium misit. Verum hæ aut ab hostibus captæ, aut vndis submersæ fuere; *teste Philippo Bergomensi.*

Etheuolphus, Egberto Anglorum, & Saxonum Occidentalium Rege fatis absumpto, Imperio potitus est eodem Christi anno, incursantesque iterum Danos prospere debellauit, expulitque, *vt docet Polydorus sub initium lib.* 5. Anno autem emenso Mahometus Abderamene patre Maurorum in Hispania principe demortuo Sceptrum sibi sumpsit.

Piastus Collisionis filius, vir obscuro quidem genere, sed diuino plenus numine, magnique pretij apud Popiellum Poloniæ Regem. In eius siquidem domo cum aliquando familiares suos conuiuio humanissime excepisset, porcina caro, quam eis pro rerum tenuitate apposuerat, exigua certe pro tanta hominum multitudine, stupendo derepente accreuit miraculo. Quare Popiello principe funerato, à primoribus in regiam deductus, Rex omnium votis creatus fuit, Anno Christi octingentesimo quadragesimo. *Ita Salomon Neugebauerus à Cadano in sua Historia.* Siconolphus, Sicardi Beneuentani Ducis iam cæsi filius, qui Tarenti exulabat, rei totius regimen Capuanis, ac Beneuentanis fauentibus accepit, eodem anno; Aldegiso qui principatum inuaserat expulso. *Sigonio teste.*

VIRI ERVDITI.

Icasia virgo, non antiquo solum, ac nobili stemmate, sed facundia singulari præstans, floruit hoc tempore in Græcia, magnæque fuit famæ apud viros eruditos, *Zonaras*. Ethelulphus, vel Athelulphus, Egberti Magni Angliæ Regis filius, Regnique hæres, rebus Philosophicis, ac humanioribus litteris insigniter excultus fuit. *Pithæus de scriptoribus Anglicis.* Theanus Treuerensis Ecclesiæ Chorepiscopus, vir eruditionis eximiæ, huiusceque temporis scriptor. Hammilarius, seu Amilarius Fortunatus, Treuerensis Archiepiscopus, Germanus, varias scripsit Epistolas, variaque pia opera quæ habes in mea sacra Historia. *Gesner, & alij.* Lupus denique Monachus Rabani discipulus, vir summæ doctrinæ.

NATALITIA AVGVSTA.

Michael Theophili Imperatoris Orientis filius in lucem prodijt, Anno Christi octingentesimo trigesimo tertio, *vt referunt Græcorum Annales.*

OPERA PVBLICA.

Byzantium vrbem muniuit Theophilus Imperator, splendideque mœnibus suis, quæ collapsa fuerant, restauratis, ornauit; regiasque ædes magnis erexit sumptibus. *Græcorum Annales.*

PRODIGIA.

Stella Crinita circa natalis Domini festa in signo virginis affulsit, magna spectantium admiratione, Anno Christi octingentesimo trigesimo septimo, Ludouici Pij vigesimo quarto, Theophili octauo. *Sigonius de Regno Italiæ.*

Ignitæ item acies, ardentibus hastis, cœlo concurrere visæ sunt, sed frequentius sub noctem, Anno Christi octingentesimo trigesimo nono, tum altera profligata subito euanuere. Lituus in Pontificis manu dum sacra ageret Cameloduni, re-

pente igne correptus, ita pertinaciter arsit, vt nulla prorsus arte extingui potuerit. Sereno item cœlo, tantus adulta die armatorum prælio congredientium, equorumque strepitus auditus, in Scotorum, Pictorumque agris vt quamplurimi, ingenti perculsi pauore, diffugerint. *Hector Boëtius, & alij.* Duo insuper Cometæ stupenda mole, humanoque aspectu horrendi apparuere. Solis vero deliquium adeo insolitum, Anno Christi octingentesimo quadragesimo, vt cælum funesta caligine indutum pridie Ascensionis Dominicæ, qui fuit pridie nonas Maij, hora diei nona, magnos horrores in hominum animos iniecerit. Consule Ludouici Pij Imperatoris vitam.

RES BELLICÆ.

Ludouicus Imperator arma in Ludouicum filium suum Boiorum Regem, Rhetias, Vindeleciam, Illyricum, Noricum, Pannonias, & Liburniam sibi vindicare tentantem intulit, Augustamque Rhœtiæ, (quam quidam olim Boiorum caput fuisse existimarunt, ego vero Augustam Tyberij, quam nunc Regensburgium vocamus, censeo esse, siue Augustam Vindelicorum) profectus, motus actutum compescuit. Anno autem Christi octingentesimo trigesimo secundo in Galliam, ingenti cum exercitu, contra Pipinum filium properauit, eumque Treueros relegauit. Mox transmisso Ligeri, in Aquitaniam se contulit; vbi improuisæ, crebræque Aquitanorum incursiones factæ fuerant.

Ludouici Imperatoris filij collectis copijs coniunctisque viribus, in patrem apud Alsatiam mouerunt, Anno Christi octingentesimo trigesimo tertio. Stabant vtrinque acies infestæ, atroci iam iam prælio, cognatoque sanguine, se contaminaturæ. Præsto fuit confestim Gregorius quintus summus Pontifex; quo conspecto, arma ab vtraque parte, euestigio, religionis reuerentia, posita fuere; Augustusque ad pacem stabiliendam filios adijt, sed eam, coniuratis aspernantibus, nihil profecit. Verum anno proximo in Imperium restitutus, filijs, contra obniti, non audentibus, qui ab optimo patre, præteritorum memoria abolita, in gratiam recepti, in Regnum quisque suum dimissi fuere. Haud tamen multo post ingentes co-

pias in Lotharium duxit, quod Cabillonem sub itinere obsedisset, expugnasset, diripuisset, cunctaque sacra, atque profana ferro, igneque absumpsisset; immo eos, qui patri fauerant, abstulisset. Illum itaque, cum filijs alijs, infesto animo insecutus, supplicem venire coëgit, Italiamque repetere. Dein saltus Alpium, firmis præsidijs impositis, obseruari præcepit. *Plura de ijs scriptoribus.*

Sarraceni Siciliam peruastantes, Liparam Insulam, vnam ex Æolijs, Maligunim antea vt placet Plinio, Straboni, Stephano, Callimacho, & Eustathio nominatam, fœde deformarunt, Anno Christi octingentesimo trigesimo primo, Ludouici decimo octauo, Theophili secundo, *vt scribit Sigebertus.*

Brudus Pictorum Rex, magnis vndiquaque conscriptis in gentem Scoticam copijs, in Horestiam se contulit, vbi cum Alpinus Scotorum Rex, instructa acie acriter aggressus, multam Pictorum multitudinem prostrauit, cæciditque. Verum fallaci quadam hostium à tergo aduentantium specie territi Scoti, amissa pugna, præcipiti cursu diffugerunt. Parua in prælio cædes edita, in fuga multo maxima, captusque Alpinus Rex, & ad vicum proximum deductus, obtruncatus fuit, Anno Christi octingentesimo trigesimo quarto, Ludouici Imperatoris vigesimo primo, Theophili quinto. *Leslæus, Hector Boëtius, & alij.*

Theophilus Orientis Imperator, signa in Impraelum Syriæ Calypham, Imperij fines funestantem infeliciter tulit, sub idem tempus, egrè enim è conflictu elapsus Constantinopolim magnis itineribus confugit. Sequenti vero, Christi scilicet octingentesimo quinto, principatus sui sexto, & Ludouici vigesimo secundo, numerosum exercitum in eundem instruens, felici Marte apud Charsianum depugnauit, magna hostium strage edita, captiuisque ad viginti quinque millia, in regiam vrbem deductis; inter quos Agarenus quidam ambidexter, Scholæque gladiatoriæ princeps, ac summi nominis vir, quem Cæsar magno cum populi applausu in triumphum duxit. Egressusque iterum anno proximo contra Agarenos, funestam cum eis pugnam inijt, iam iamque periturus, nisi Manuelis Ducis celeberrimi opera, in confertam hostium aciem irrumpentis, ab imminenti mortis periculo ereptus fuisset, *vt*

asserit

asserit Petrus Bizarus de rebus Persicis.

Ex Noruegijs, & Danis conflatæ copiæ, in prouincias maiori cum fiducia, ob liberorum Ludouici contra parentem exortam seditionem, irruerunt eodem Christi anno. A Galliæ vero finibus initio facto, per Flandriæ littora prædabundi insedentes, cum Scaldim, Mosam, ac Rhenum flumina subijssent, oppidaque Antuerpiam, Vitlam, & Doreslatum incensa funestassent, in Franciam vsque peruenere, eique grauius, quàm reliquis, quas adierant terris incubuere. Prædis enim abactis, non ante abscessere, quam ingens, maiusque pro modo facultatum, tributum ab afflictissimo populo extorsissent; sicque spolijs onusti cum de aduentu Ludouici Imperatoris certiores facti fuissent, subito se in patriam receperunt. *Ita Vbbo Emmius in sua Historia.*

Kennethus Scotorum Rex, in Pictos, victoria quam de Alpino retulerant insolescentes, potenter armauit, Anno Christi octingentesimo trigesimo septimo, Ludouici vigesimo quarto, & Theophili octauo, consertaque prope Steruelingum manu, hostes cum suo Rege Dunstreno, seu Druskeno, ad vnum omnes pene cæcidit; moxque Camelodunum primariam Pictorum vrbem expugnauit, omnesque incolas nulla sexus habita ratione interfecit. Denique hostium regiones omnes peruagatus; Pictorum gentem quæ post centesimum supra millesimum annum, ex quo in Albionem venerat, deleuit; Scotorumque Regnum à Northumbria, ad Hirtham vsque protulit. Confecto autem bello, prouinciam incolis vacuam suis viritim distribuit, montibusque, fluuijs, ac regionibus noua nomina imposuit. Quæ enim prius Horestia, nunc à duobus fratribus Mernano, & Angusio, quibus illam Kennethus largitus est, Merua, & Angusia nuncupatur, nullamque inuenies, si Laudoniam, & Anandiam excipias, quæ antiquum nomen retinuere. *Ita Historici de rebus Scoticis.*

Theophilus Orientis Imperator in Syriam irrumpens, Anno Christi octingentesimo trigesimo octauo, eam longe lateque populatus est, Sozopatramque Impraelis Principis patriam inuasit. Qua re vehementer commotus Impraelus, Amorium Theophili patriam magnis cum copijs properanter petijt. Eo accepto nuntio Theophilus contra hostem progressus, adeo

pertinaci animo dimicauit, vt Sarracenos primo conflictu in fugam verterit. Verum aduentantes Turci tanta sagittarum vi, in Romanas Legiones irruperunt, vt eas, vel profligauerint, vel turpiter fuderint.

Anno autem octingentesimo trigesimo nono, Ludouicus Imperator in Ludouicum filium rebellantem, omniaque trans Rhenum occupare conantem mouit. Sequenti demum in eundem, noua in Germania molientem, arma vertit, *vt volunt & antiqui, & recentes Historici.*

OBITVS ILLVSTRES.


Feredethus Pictorum Rex in acie occubuit, Anno Christi octingentesimo trigesimo primo, Ludouici Pij decimo octauo, Theophili secundo. Eius funus Alpinus Scotorum Princeps, qui in eum arma sumpserat, regio honore curauit. Brudus Feredethi filius ob rem male administratam à suis interemptus fuit anno sequenti. Nec fœliciorem vitæ exitum sortitus est ipsius frater Kennethus, Anno Christi octingentesimo trigesimo tertio, terrore siquidem hostium correptus, fugam, sumpto militari sago, occupans, agrestis hominis dextera fugam improperantis, post multa, grauiaque conuicia ignotus cecidit.


Alpinus Scotorum Rex commissa pugna acriter dépræelians, comprehensus Brudi Pictorum Regis iussu, securi percussus fuit, Anno Christi octingentesimo trigesimo quarto, Ludouici Pij vigesimo primo, Theophili quinto. Sico Beneuentanus interijt eodem anno, & Brudus Pictorum Rex proximo. Biennio post Druskenus eius successor cum electa Pictorum turma in acie perijt, *vt docent Hector Boëtius, Leslæus, & alij.*

Odeacer Flandriæ Princeps, & Englerani filius, vir summæ gloriæ, & pietatis eximiæ morte abreptus fuit sub idem tempus. *Buzelinus in sua Historia.* Ioannes Venetorum Dux illustrissimus naturæ concessit, Anno Christi octingentesimo trigesimo octauo, Ludouici Pij vigesimo quinto, Theophili nono. *Ita Venetorum Annales.* Egbertus item Anglorum, & Saxonum Rex eodem anno desijt. Anno autem proximo Ab-

deramen Mahumeti pater, & Maurorum in Hispania Rex, vita functus est, *vt habet historia Hispanica.*

Popielus denique Poloniæ Rex, à muribus, è patruorum, quos veneno, impellente vxore sustulerat, cadaueribus enatis, vna cum ipsa conjuge, & filiis Lecho nimirum & Popielo in arce Crusuicia depastus fuit, Anno octingentesimo quadragesimo. Neque enim claustra vlla, seu abigentium satellitum præsidia profuere. *Salomon Neugebauerus à Cadano.*





DECAS QVINTA.

LOTHARII IMPERATORIS OCCIDENTIS Gesta.

FEROX quidem antea patri fuit, sed nunc ferocior multo in fratres extitit, Anno Christi octingentesimo quadragesimo primo, principatus sui primo. Et vero, quo modo fraterna non molitus fuisset exitia, qui parenti optimo non pepercerat; iuraque omnino diuina pariter atque humana violauerat. Præcipuus tamen in Carolum Caluum Franciæ Regem, illius furor exarserat, cuius pernicies cæterorum fortunam, pari ruïna, inuoluebat. Sed antequam Alpes ab Italia transgrederetur, Francos per suæ potentiæ asseclas sibi adjungere conatus est, priscum illud obtundens, in quo vis tota principatus staret; vnum scilicet fuisse hactenus rei Francicæ corpus, vniusque animo regendum; nec ea paterentur diuidi, quæ separari nequibant, aut si diuiderentur, infirma, imbecillaque futura. Id insuper (quæ vna omnium ratio expugnandis hominum voluntatibus idonea maximè, ac potens) per litteras pollicitus, vt quanto quis promptior fuisset, opibus, atque honoribus iri promotum. His acceptis (vt facile hominum mentes, spe melioris fortunæ, inflectuntur) ruere in Lotharium multi; nonnullos minis, cæteros ingentibus promissis ad suas partes pertraxit. Itaque validis succinctus copijs, voti prope compos videbatur, cum eius cupiditatem incredibilem, communi animo, consilioque, Ludouicus, & Carolus prospere represserunt. Tum ille ad dolos conuersus, vt incautos deciperet, simulatione fœderis penè fefellit. Verum prudenti fratrum consilio, detecta fraus in irritum cessit. Indicta tamen vtrinque trimestris pax, donec omnium votis, fratrum dissidia

componerentur. Anno autem ſequenti, deuoluto, iure belli, ad fratres Regno, Antiſtitum, qui Aquiſgrani conuenerant, conſenſu, illo priuatus fuit; ſupplexque à fratribus perijt, Anno octingenteſimo quadrageſimo tertio, vt ſi non fraterni, Auguſti ſaltem tituli rationem haberent, nouaque Regni partitio fieret, etiam, atque etiam rogauit. Dein anno proximo, Ludouicum filium natu maximum, Italiæ Regem, Imperijque conſortem, patrem, auumque imitatus, declarauit; certiorque factus de ſergij ſummi Pontificis creatione, ipſum cum ornatiſſimo in Italiam exercitu contendere iuſſit eodem anno, vt Regiis, Imperatorijſque inſignibus, ſolemni ritu, donaretur. Ita Ado Viennenſis huius temporis ſcriptor.

THEOPHILI IMPERATORIS ORIENTIS Geſta, & Obitus.

Futura curioſius inueſtigans, Anno Chriſti octingenteſimo quadrageſimo primo, principatus ſui duodecimo, accepit à fatidica quadam muliere, ſuperioribus bellis contra Agarenos, capta, ſacras imagines honorem priſtinum recepturas, ac poſt filium ſuum Michaelem, Martinatiorum genus regnaturum. Quare Theodoram conjugem ſuam, diro, horrendoque ſacramento adegit ſe non paſſuram imaginum cultum reſtitui. Exinde Martinatium virum illuſtrem, & quem hactenus in amoribus, ac deliciis habuerat, detondi mandauit. His peractis, magnam contra Sarracenos expeditionem parauit, ſed infœliciter, auerſoque marte; victus enim in ea fuit, totuſque exercitus pene delectus, vaſtata Armenia, & Amorium vrbs celeberrima, Auguſtique patria flammis exhauſta; hinc graui correptus mœrore, perijt ſub initium anni ſequentis. Auctores aliqui nec vulgaris nominis aſſerunt eum paulo ante obitum, reſipuiſſe, cultumque imaginum reſtituiſſe.

ICON

THEOPHILI IMPERATORIS Orientis.

THeophilus Michaelis Trauli filius, rerum summa potitus Xenodochium magnis erexit sumptibus; multaque alia opera bono publico studens, splendide restaurauit. Cum Sarracenis Asiæ prouincias fœde depopulantibus, bis congressus, bis victus, castrisque exutus fuit. Princeps eximia quidem æquitate, & iustitia insignis; facillimum enim statis diebus, se se adeuntibus exhibebat; impius tamen in Religionem, sacrasque imagines; quas ex paterna æmulatione auersatus, adeo detestatus est; vt eas lege lata, pingi vetuerit, earumque loco, pecudum, auiumque simulachra reponi. Quod certe Pijs hominibus, pictoribusque magnam in Oriente excitauit procellam. Ad crudelitatem denique ita propensus, vt in extremis versans, Theophobum virum patricium, magnæque authoritatis in aula, ac sibi percarum, affectati Imperij, leui ex suspicione, reum, trucidari vt alter Herodes iusserit, eiusque caput ad se deferre, quo, manu, prehenso, in hæc suprema erumpens verba, Nec ego Theophilus, nec tu Theophobus deinceps eris, animam efflauit. Sic namque Principum ingenium suspicax est, & iniuriæ haud patiens; sicque etiam supremi numinis haud sera vindicta.

MICHAELIS IMPERATORIS ORIENTIS Gesta.

Theophilo patre, morbo sublato, Imperij Sceptrum, Principum omnium suffragijs suscepit, Anno Christi octingentesimo quadragesimo secundo. Illud tamen Theodora mater virilis fœmina, Manuele militum Magistro, & Theoctisto Logotheta, in tutelam Augusti filij sui, vocatis, fœliciter, eo pubescente, tenuit. Tum illorum opera concilio Byzantij coacto, edictoque post paucos dies promulgato, antiquum imaginum cultum, toto acclamante populo restituit; Sicque Iconoclastarum Hæresis, quæ Constantinopoli centum ante viginti annos, ex inferis eruperat; totiesque repressa audacius iterum de-

bacchata fuerat, hoc tandem anno penitus extincta fuit. Ex quo tempore constat fideles apud Orientem, solemnes pro gratiarum actione, conuentus agitasse, deque triumphata Iconoclastarum impietate, memoriam quotannis magno cum omnium applausu reuocasse. *De ijs fuse Ioannes Curopalata, & alij Scriptores magnæ famæ.*

CAROLI CALVI FRANCORVM REGIS Gesta.

Lothario fratre suo debellato, Anno Christi octingentesimo quadragesimo primo, Regnum à Patre Ludouico Pio relictum firmiter stabiliuit. Tum Suessionem profectus, nonnulla Sanctorum corporum, à Monachis S. Medardi rogatus, proprijs summa religione, in nobiliorem Ecclesiam transtulit humeris. *Ita Nithardus huius temporis scriptor.* Anno autem Christi octingentesimo quadragesimo quarto Bernardum Barcinonensem Ducem, Septimaniæ Ducatu à patre Ludouico olim donatum, veteri in eum odio, incautum sustulit. *Pithæo teste.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Bernardus Comes, patrem ab Alfonso Casto Hispaniæ Rege in vinculis detineri, nec vllis etiam Reginæ precibus posse dimitti è carcere, iniquo ferens animo, missione palam impetrata æquissimi postulati, vt ipsi videbatur, defecit; Saldaniamque ditionis paternæ oppidum se conferens, non obscure Regi iratus, ac vindictæ cupiditate accensus, prædas vbique egit, regiamque ditionem varijs vexare irruptionibus non destitit. *Historia Hispanica.*

Piastus tanta prudentia, ac pietate Polonos regebat, vt eo imperante, nullæ hostium incursiones, nulla intestina dissidia, nullæque cædes fuerint. Et vero nihil adeo potens est ad deuinciendos hominum animos, ac Respublicas stabiliendas, quàm Religio, qua ipse, & bonis carus, & malis reuerendus, & finitimis venerabilis fuit. Adde longam etiam principum,

Regumque Poloniæ posteritatem, per multa sæcula, ad Casimirum scilicet vsque, ipsum feliciter propagasse. *Ita Salomon Neugebauerus à Cadano in sua Historia.*

Ludouicus, & Carolus rogati à Lothario fratre Imperatore de pace, cum rursus quietis publicæ studiosi, in Regni partem admisere, Anno Christi octingentesimo quadragesimo tertio. Ludouicus itaque Imperator præter Romanum Imperium hoc est, Romam, & Italiam, Burgundiam prouinciam, quæ Narbonensis fuit; Belgicam insuper, seu Austrasiam, Lotharingiam ab eo, ad hæc vsque tempora nominatam, Scaldique, ac Rheno complexam (quamquam leuissima huius tractus particula sit) sortitus est. Ludouicus vero Germaniam omnem Rhenum vsque, tresque vltra hunc ciuitates, Moguntiam nimirum, Spiram, & Vormaciam, Carolus denique Occidentalem Franciam, à Mosa flumine, ad Britannicum Oceanum. *Hincmarus, Regino, Otho, & alij.* Syconulphus Capuanus princeps thesauros quos Francorum Reges Monasterio Cassinensi contulerant, abstulit, *vt docent Historici Italici.*

Ramirus, seu Ranimirus, Veremundi Regis filius, Alfonso Hispaniæ Rege, lethali decumbente morbo, regijs insignibus, ipsius iussu decoratus fuit; Bernardo Carpienio, ex sorore Ximena nepote prætermisso. Eius Regnum haud diuturnum quidem, sed rerum gestarum gloria, percelebre extitit, grauissimo seruitutis iugo, è piorum ceruicibus depulso, compressaque Mauricæ gentis audacia. Et si Hispaniæ antiqua dignitas restituta fuit, illius certè virtuti perpetuæque fœlicitati acceptum feratur necesse est. Foris clarus, domique admirandus, nec bellica gloria, quàm pacis artibus, maior fuit. Magica sacra; cantionesque ignis supplicio coërcuit. Furta vero, quorum erat magna licentia, eruendis latronum oculis; iustissima pœna, auferendi amplius delicti facultatem. Tanto demum amore in Garsiam fratrem suum, ob præclara virtutum ornamenta, quibus, apud omnes aulæ proceres, summe enitebat, vt in Imperij consortem assumpserit. *Rodericus Santius, Vasæus, Rodericus Toletanus, & alij.* Nepotianus Comes, gratia, opibus, & auctoritate valens, noua in Asturibus molitus est sub idem tempus, locorum longinquitate, & principis mutatione inuitatus.

Ludouicus

Ludouicus Lotharij filius in Italiam, Vere ineunte Anni octingentesimi quadragesimi quarti, non ea religione qua proauus, profectus est. Siquidem quamquam ingenij mitis, insolentia tamen ætatis elatus, quacumque exercitum ductabat, omnia cæde, atque incendio flagrabant. Lombardiam hostili more depopulatus est. Bononiam, ab oppidanis male exceptus, expugnauit; murisque ad victoriæ monumentum, pœnamque defectionis, nudauit. Moxque præter omnium opinionem Romanam vrbem ingressus, magna ciuium, ac Cleri frequentia in Vaticanum concessit, quem Sergius summus Pontifex, paterno affectu, multaque comitate excepit. Tum ad argenteas templi fores progressus, clausas reperit. Cui tunc Sergius, si inquit pacatus adueneris, patebunt tibi, sin quid secus, pendet è cœlo in hostem ensis, valuas caue tetigeris. Ad hanc vocem iuuenis posita ferocia, nequaquam se hostili animo aduentasse persanctè affirmans, templum inijt. His peractis in Regem atque Imperatorem à Sergio Pontifice solemni ritu inauguratus fuit. *Vt Leo Ostiensis, & Lotharij diplomata testantur.*

Abderhamanus eo nomine secundus Maurorum Imperium regebat, vir natura ferox, sed perpetua rerum gestarum fœlicitate ferocior, crudele bellum Ramiro Hispaniæ Regi, ni centum virgines ex fœdere olim, cum Mauregato Principe, inito, repræsentaret, tributi nomine, indixit eodem Christi Anno octingentesimo quadragesimo quarto, Lotharij quarto, Michaelis tertio. *Mariana, & alij.*

Bogaris Bulgarorum Rex Græcis infestus, magnam in eos expeditionem parauit anno sequenti, *vt scribit Ioannes Curopalata.* Adilulphus Anglorum Rex virtutum gloria summe illustris, Romam se contulit, Anno Christi octingentesimo quadragesimo sexto, Lotharij sexto, Michaelis quinto, vbi Anglorum Scholam magnis instaurauit sumptibus. *Polydorus lib. 5.*

Anno vero octingentesimo quadragesimo nono, Lotharij nono, Michaelis octauo Neomenius, seu Nomenoius Dux, in Britanniam minorem à Carolo Caluo Rege missus, regium assumpsit nomen, Tyrannumque egit, omnia ferro, & sanguine miscens. Illi Hesperius filius successit, reique Britannicæ curam suscepit, *vs docet Pithæus.*

Iuſtis, Ramiro Hiſpaniæ Regi, anno proximo peractis, Ordonius filius, regium inſigne, nomen, poteſtatem, animumque ſumpſit. Princeps miti ingenio, ſuauiſſimis moribus, ſingularique modeſtia, qua, & populi, & procerum ſtudia promeruit, multoſque ſibi amicos deuinxit. Iuſti, æquique tenax maxime; neceſſaria quidem virtus, ſed fraudi obnoxia in magnis Principibus, niſi impetum animi, prudentia temperent, neque ſe dolis circumueniri ſentiant. Prauorum hominum, quorum in aulis magna multitudo, eorum auribus inſidiantium, & bonorum innocentium ſeque, & ſuos alieno ſanguine ſaginantium. *Lucas Tudenſis, Rodericus, & alij veteres, ac recentiores.*

VIRI ERVDITI.

Photius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, homo eruditionis magnæ, ſed maioris nequitiæ. Nomocanonem, hoc eſt opus ex legibus, & canonibus contextum, & quod Græcorum Pontificum ius merito dici poteſt, nobis reliquit; ingentem inſuper, Auctorum, quos accurate, ac diligenter legit bibliothecam.

Anaſtaſius Bibliothecarius, & Abbas Romanus vir latina, Græcaque lingua clariſſimus, floruit hoc tempore, quamquam aliqui aſſerant eum vixiſſe Anno ſexcenteſimo ſexageſimo. Dionyſij Hierarchiam, ſeptimumque concilium generale latina lingua donauit; octauum item concilium latine compoſuit, multorumque patrum vitas, ac Pontificum Romanorum à S. Petro ad Nicolaum vſque primum, & Hiſtoriam Eccleſiaſticam.

Hincmarus Epiſcopus Remenſis ſcripſit Epiſtolam paræneticam ad Carolum Craſſum; aliam de bono regimine ad filios Ludouici iunioris Imperatoris. Ad Eccleſiam item Rauennatenſem librum vnum. Ad Vitalonem Epiſcopum Metenſem alium, & variarum Epiſtolarum alterum; reliqua pia opera habes in ſacra mea Hiſtoria. Adde Nicetam Dauidem, qui de Photij vitijs fuſe egit; vitamque S. Ignatij Græce edidit. *Frodoardus, Geſner, & alij.*

OPERA PVBLICA.

Leo quartus summus Pontifex ciuitatem nouam, Leoninam postea dictam, & cuius fundamenta Leo tertius iecerat, perficere aggressus est, Anno Christi octingentesimo, quadragesimo octauo; Petrique Basilicam mœnibus ambire, ne Sarracenorum amplius pateret incursibus. Ad hocce opus peragendum Lotharius Imperator, eiusque fratres, non modicam ministrarunt pecuniam. Cæterum dum cœptæ molitioni insisteret; accepto, anno sequenti de valida Sarracenorum classe secundo flumine ex Africa delata, nuntio, vrbis muros nimia vetustate labentes, festinanter restituit, propugnacula insuper ac turres à fundamentis extruxit, duasque circa Tyberim læua, dextraque intra Ianiculum, & Auentinum, ne fluuio naues ad vrbis direptionem subuehi possent, reposuit. *Ita Anastasius Bibliothecarius, & alij.*

CALAMITATES.

Terræ-motus adeo vehementer Italiæ regionem quassauit, Anno Christi octingentesimo quadragesimo septimo, Lotharij septimo, Michaelis sexto, vt Æsernia tota, Samnitum scilicet oppidum procubuerit, magnaque populi pars, cum ipso Episcopo, insanis ædificiorum ruinis, obruta fuerit. Romæ insuper eodem anno ortus Basiliscus, dirum serpentis genus, quod in Cyrenaica tantum regione enasci solet Plinio teste, ingentes, venenato suo afflatu, hominum strages edidit. Incendium vero in vico Saxonum excitatum, longiusque hinc, inde, humana aduersante ope, serpens, magnam Apostolorum Principis templo ruinam minitatum est, eius tamen vis, crucis signo repressa fuit. Lues insuper in Germania debacchata est, & maxime, circa Rhenum. In Gallijs item grauiter desæuijt, Anno Christi octingentesimo quinquagesimo, *vt refert Pithæus, & alij.*

RES BELLICÆ.

Impraelus Sarracenorum Princeps Armorium profectus, Anno Christi octingentesimo quadragesimo primo, Lotharij primo, Theophili duodecimo, vrbem acri obsidione cinxit, crebrisque impressionibus fatigauit; Oppidani tamen ita strenue, ac fortiter propugnarunt, vt omnes illius impetus irritos fecerint. Verum Boëtide, seu Boëtizide Duce, qui in vrbe præerat, magni auri, argentique largitionibus expugnato, Armorium expugnatum fuit: in quo magna mulierum, seruumque multitudo periclitata, iuuenum ingens turba capta, Ducesque clarissimi, Caliseus nempe, Constantinus, & Fortis Theodorus, patricij omnes, ipsiusque Imperatoris Consobrini, immo etiam complures alij qui militari disciplina, ac præcipua dignitate insignes habebantur. Hacce autem illustri victoria clarus Imprælus lares ingenti cum gaudio repetijt, *Bizarus de rebus Persicis*.

Vniuersa Gallia ciuili bello deflagrabat eodem anno. Funesta siquidem Lotharius Imperator arma in Ludouicum, & Carolum fratres verterat. Ad Fronteniacum Altissiodorensis agri vicum, ignobilem ante, sed Francorum clade insignem, acriter dimicatum est, septimo Kalendas Iulij. Cædes miserabilis facta, eoque crudelior, quod Francorum manibus, Franci caderent, nec sine horrore mentis, animi dolore, oculorum luctu, & pudore gentis Francicæ. Si cæsorum numerum recenseas, centum millia desiderata, vt fama tenet. Flos inuictæ nobilitatis ab exteris, hoc velut turbine, excussus fuit, grauissimum mehercule vulnus Francicæ Reipublicæ impressum, & Barbaris mox in Franciam erupturis commodum. Penes tamen Ludouicum, & Carolum victoriæ decus stetit, *vt docet Pithæus, Hermannus, Otho Frisingensis, & Nithardus*, qui victores fratres, tum in venia, captiuis impertienda, tum mortuis, & hostibus sepultura curanda, mirum in modum commendauit, conciliumque item Episcoporum coactum fuisse tradit, vt disquisitione habita, prouiderent, an in eo bello, aliquid peccatum fuisset, quo crimen expiari posset; editumque, vt qui ex odio aut inani gloria, aliave, ex non

recta iustitiæ causa, arma administrasse, sibi conscij essent, secreto peccati expiationem peragerent. Qua de causa, tridui ieiunium vniuerso exercitui indictum fuit. Tantum paterna apud pios fratres institutio valuit.

Anno vero sequenti, Christi nimirum octingentesimo quadragesimo secundo, impatiens Lotharius ex Saxonibus, & Austrasianis, aliisque gentibus, collecto exercitu, arma resumpsit. Huic Sequana fluuius aquis auctus, excurrendi in Parisiensem agrum, facultatem ademit; Carolusque cum Ludouico fratre magnis itineribus ipsum insecutus, & ad Rheni ripas aggressus, circa Argentoratum, iterum profligauit. Verum pulsus, licet insperata clade, exutusque turpiter Regno, non quieuit, sed castris, anno proximo, ad Matisconem Burgundiæ vrbem locatis, bellum tertio reparauit, sed non feliciori marte; territus enim fratrum aduentu, pacem, ab iis, quos vltro lacessiuerat, deprecatus est. *Ita Auctores citati.*

Sarraceni ex Sicilia, atque Hispania, à Ducibus Beneuentanis, mutuis inter se ciuilibus bellis deprælïantibus, euocati, Campaniam, Samnitesque magnis cædibus, atque incendijs affecere, Beneuento capto, & Capua in cineres redacto. *Leo Ostiensis in Chronico Cassinensi, vbi de ijs fuse.* Ramirus Rex in Hispania, signa in Nepotianum Comitem noua molientem tulit; pugnaque ad Nerciæ fluminis ripam, Pontemque in Gallæcis, commissa; eodem Christi Anno octingentesimo quadragesimo tertio; fugiensque Comes in Præmoriensi tractu, comprehensus, ad Regem deductus fuit; moxque effossis oculis, in monasterium, iussu Principis, detrusus. *Vasæus, Rodericus Toletanus, & alij.*

Abderhamanus Maurorum Rex in Hispania, ingentem contra Ramirum Regem parat exercitum, Anno Christi octingentesimo quadragesimo quarto. Ramirus vero, eo accepto nuntio, omnes, quorum ætas idonea erat arma induere compulit, paucis exceptis, agrorum cultui destinatis; ne cum fame simul, & hostibus, pugnare necesse esset. Ipsi Episcopi, viri sacrati castra secuti sunt. Magna totius gentis expectatio, erat fiducia, metus autem maior. In Riuogiam eruptio facta est; quoniam is tractus, in ditione Maurorum erat, & Rex amplissimum, pulcherrimumque ducebat gloriæ seruire, ac no-

minis existimationem tueri. Ad Aluendam, castra castris collocata, oppidum & bene munitum, & D. Martini monasterio insigne, totis viribus, & copijs decertatum est, atroxque prælium, nullumque ea tempestate maius. Collectitius Ramiri Regis exercitus, veterano, & exercitato militi impar erat viribus, & industria. Ducum tamen diligentia, inclinata res stetit, noctisque superuentu, cessatum est. Ramirus Rex imminutas numero copias, ac metu debilitatas, in vicinum collem subduxit, curaque vulneratis adhibita. Dein omnes in hac suprema rerum desperatione, ad vota, precesque conuersi sunt. Regem mœrore oppressum, & de rerum summa sollicitum somnus complexus est; dormientique Iacobi Apostoli species obiecta, augustiorque quàm pro humano habitu; bono animo esse iubet; de victoria, nihil dubitare, numinis opem, quam certo affuturam, proxima luce speraret. Rex ad has Iacobi voces excitatus, lætusque nuntio, ex stratis se corripuit. Præsules, atque Magnates ad se vocari imperauit, ijsque ita affatus est. Compertum habeo viri præstantes, quo loco res nostræ sint. Hesterno certamine, tantum non victi sumus; nec nostra virtute, sed noctis beneficio euasimus, Numero imminuti, debilitati viribus, oppressi metu. Hostilis exercitus, ante validus, nostra calamitate robustior factus est. Neque pugnæ repetendæ facultatem esse videtis, neque ineundæ fugæ locum. Duram, & ancipitem sortis nostræ necessitatem præsidio humano, & viribus destitutam, diuinum restituit. Iacobus enim Apostolus mihi per quietem oblatus, victores nos fore spopondit. Agite ergo pleni bona spe, in hostes irruite, pro patria, pro libertate, pro communi salute, pugnate, pulcherrimi incepti, & pristinæ virtutis memores, Christianæ religionis ignominiam, vestræque gentis dedecus Deo auctore, & Iacobo auspice propulsate. Hæc vbi dixit, aciem instrui & turba canere iubet. Tum magna alacritate, in hostes, D. Iacobi nomen, (quod ex tunc, in morem abijt, vt sit Hispanis militibus pro tessera militari) magnis vocibus ingeminantes impressionem fecere. Barbari eorum audacia, quos victos esse existimabant commoti, & cœlitus iniecta formidine perculsi impetum sustinere haud quaquam potuerunt. Nec defuit, vti Regi spoponderat, D. Iacobus niueum vexillum, rubræ crucis

figura, distinctum præferens in equo candido; cuius aspectu, Ramiri Regis vires auctæ, confirmatæque, hostium vero penitus fractæ. Fœda fuga fuit, nec minor cædes, sexaginta Maurorum millia perempta, Clauigium, quo loco pugnatum esse, armorum etiamnum strages effossæ indicant, Aluelda, & Calagurris vrbes Mauris ereptæ anno Ramiri principatus secundo. Hæc victoria Iacobi præsidio parta, vniuersam Hispaniam voti ream, Compestellano templo fecit; tametsi pars maxima, in Maurorum ditione esset; Ex singulis iugeris agri, vineæque, modium singulis annis frumenti, aut vini pendendi. Quod quidem votum Romani pontifices non pauci deinde ratum habuerunt. *Ita scriptores Hispanici.*

Bogoris Bulgarorum Rex bellum Theodoræ Orientis Augustæ indixit, Anno Christi octingentesimo quadragesimo quinto, Lotharij quinto, Michaelis quarto; cui hæc virilis animi fœmina semet obuiam prodituram denuntiauit; proinde, quid facto opus esset, prouideret ipse, cum nec fœminam vincere illi gloriosum, & à fœmina vinci, turpissimum esset, eius scite dictum, à Barbaro Rege probatum, ipsum à bellicis consilijs penitus auertit. *Cedrenus, Curopalata, & alij.*

Dani, vulgo dicti Normanni, Cimbricæ Chersonesi vicini, Christique sacris nondum susceptis impij; inter continua Franciæ Reipublicæ vulnera, & ciuiles tumultus, repente quasi captato tempore (non per ciuiles discordias, externi tollunt animos) subiti instar turbinis, in Galliam infinita multitudine effusi; Burdegalam inter, & Santones, pugnam contra Carolum Regem, & Siguinum Vasconum præfectum, acriter arripuere, eodem Christi anno, immanique Francorum strage edita, Siguino cæso, & Carolo vix fuga saluo, ingentibus onusti spolijs, longaque facta populatione, in patriam vela fecere. Verum subinde maioribus belli studijs ardentes, prædæque vbertate illecti, ferocioribus multo, in Gallias, magno nauium apparatu, cum Horic ipsorum Rege, deuecti, omnia tum profana, tum sacra, ferro, rapina, atque incendio miscuere. Dein Duce Ragenario, quà subit Oceanum Sequana, Lutetiam vsque Parisiorum, ipso Paschatis sabbato delati, vrbem, ciuibus metu prostratis, occuparunt, euerterunt, incenderunt, ingentique tandem donati pecunia, re-

cessere; *vt habemus ex Pithæo, Aimoino, Gaguino, & Lupo Abbate Ferrariensi* qui asserit eosdem Normannos in Frisia depugnasse, semelque victos, bis vero victores extitisse. Odo autem Abbas Cluniacensis refert illos, non Ambasium solum, immo & reliqua oppida inter Ligerim, & Karum, in cineres redegisse; ciuitatem tamen Turonensem, quam obsederant, S. Martini virtute liberatam fuisse. Isthinc vero ad Scaldim vsque flumen, omnia fere euastando peruasere. Haddingus denique eorum Regis præfectus in Italiam eodem tempore penetrans, Lunam fraude inuasit. Anno autem Christi octingentesimo quadragesimo sexto, ijdem Normanni Hispaniæ maritimas vrbes omni belli injuria vexarunt; ac primum Gallæciæ oram vniuersam infestam reddentes; tum ad Brigantinum portum appulsi Ramiri Hispaniæ Regis armis, deuicti fuere; nauesque septuaginta quà captæ, quà submersæ, in nauali pugna, *vt docet Rodericus Præsul.* Qui cladi tamen superfuerant, Nerio promontorio superato, ad Tagi Ostium inuecti, Olysipponem clarissimam Hispaniæ vrbem ditionis Mauricæ infestarunt; moxque classe, & viribus aucti, obsessa Hispali, Gaditanis agris, & Assidoniæ finibus euastatis, factaque ingenti & hominum, & pecorum præda, cæsis ter acie Mauris, & parta magna gloria, spolijsque ditati, ex Hispania in vberiores terræ plagas concessere. *Ita Historia Hispanica.*

Sarraceni in Africa in Latium & Etruriam delati, Principum Apostolorum suburbana templa, strage magna edita, diripuerunt. Fundanam ciuitatem igne succenderunt. Caietæ Castra locauerunt, Francorumque exercitum, in eos à Spoleto immissum, vel profligarunt, vel turpiter fugarunt, eodem Christi anno. Et ne eadem in Cassinense cœnobium patrarent, torrentis insperata illuuie inhibiti fuere. Dein Africam repetentes, fœdissima coorta tempestate, supremi numinis iram, D. Petro se se eis exhibente, ac S. Benedicto, experti sunt; decumanis siquidem fluctibus obruti, periere, *Anastasio teste.* Anno vero octingentesimo quadragesimo nono prædæ cupidine ex Africa iterum ad vrbis excidium properarunt. Quo accepto nuntio, Neapolitani, Amphitani, & Caietani, quorum ad hunc vsque diem naualis virtus ignota fuerat, instructa

classe

classe eis occurrerunt. Nec defuit Leo summus Pontifex, quia postero die, facto in hostes impetu, nonnihil æquo marte pugnatum est; mox illorum classe, ventorum turbine, disiecta, aut in proximas Insulas compulsa, partim cæsi, partim in seruitutem redacti, & operibus addicti fuere. Insigne certe, ac periucundum Romanis spectaculum, qui illos catenis vinctos, nouisque mœnibus construendis insudantes, magno cum gaudio viderunt, quos nuper opima præda onustos lares suos repetentes, non sine luctu, ac gemitu prospexerant. *Auctor citatus.*

Proximo demum, Anno Christi nimirum octingentesimo quinquagesimo, Lotharij decimo, Michaelis nono, Normanni nouis incursionibus, Godefrido Duce, funestantes, Carolum Regem eo adegerunt, vt partem illam Regni, Normanniam eorum nomine posthac appellatam, eis incolendam tradere coactus fuerit; *vt refert Pithæus.* Sic degener à maiorum pietate, Carolus, à virtute quoque bellica degenerauit; & dum Ecclesiarum inuadit bona, amittit sua. Ludouicus autem ipsius frater, Germanis imperans cum Boëmis infœliciter pugnauit.

Carolus Caluus infesta signa sub idem tempus in Britones intulit, quos, secundo belli exitu, fortiter perdomuit, eosque pacem cum potentiore colendam, nec mouendum bellum, ac æmulatione potentiæ, validiores haud irritandos edocuit. Cæterum Herispeus Nomenoij filius, & Britanniæ Regulus victoris mansuetudinem expertus est, principatum enim iure victoriæ amissum, in Regis tamen verba sacramento adactus, facile ab eo recepit. *Regino, Æmilius, Argentræus, & alij.*

OBITVS ILLVSTRES.


Alfonsus Castus Hispaniæ Rex illustrissimus, multarumque virtutum gloria clarissimus, supremum Oueti impleuit diem, Anno Christi octingentesimo quadragesimo tertio, ætatis octogesimó quinto. *Vasæus, Rodericus, Toletanus, & alij.*


Ragenarius Normannorum Dux, iactitans se se coram Rege suo Horic de capta Lutetia, & expilato S. Germani monasterio, in terram illico concidit, identidemque succlamans, Ger-

manum, baculo ipsum grauiter flagellare, nec multo post diffusis visceribus medius crepuit. *Pithæus*, *&* *Aimoinus*.

Ramirus in Hispania Rex spectatissimus, insignibusque de Mauris ac Normannis, victorijs celeberrimus, fatis concessit, Anno Christi octingentesimo quinquagesimo, *vt patet ex eius Epitaphio*, *&* *Chronico Hispaniensi*.

Neomenius sub idem tempus, seu Nomenoius Britannorum Regulus, cum à sacrorum direptione non abstineret, à Maurilio Episcopo Andegauensi monitus derepente corruit: acerrimæ siquidem sacrilegos pœnæ manent, etsi ad breue tempus, rem prospere gerere videantur.





DECAS SEXTA.

LOTHARII IMPERATORIS OCCIDENTIS Gesta, & Obitus.



IVINA, supremo impulsus numine, moliens, Imperium, cum Italiæ Regno, Ludouico filio stirpis maximo reliquit; Burgundiam vero Transiuranam dictam, Alpes, Prouinciam, & Delphinatum Carolo; Lothario denique Burgundiæ Comitatum, cum Austrasia, quæ ab eo, vt quidam volunt, Lotharingia appellata fuit. Tum Prumiense cœnobium ingressus monachum induit, fœlicemque ibi, vertente, Anno Christi octingentesimo quinquagesimo quinto, tertio Kalendas Octobris, vitæ exitum sortitus est; *vt scribit Regino, & alij.*

ICON

LOTHARII IMPERATORIS OCCIDENTIS

LOtharius Ludouici Pij filius publicam rem quindecim annis solus administrauit, patremque atque auum æmulatus, Ludouicum filium non solum Italiæ Regem, sed etiam Imperij consortem fecit. Eius principatus magnis cladibus, hostiumque incursionibus insignis fuit. Ipso siquidem exordio, tot Gallorum millia cecidere; vt conuulsæ prope Imperij vires fuerint. Sarraceni Italiæ oram deprædati, Apuleiam vexarunt. Anconam diripuerunt. Barrium occupauerunt, Calabriam, *&* Campaniam *fœde infestarunt. Hisce cladibus, atque assidua tùm in patrem coniurationis, tum plurimi Francici sanguinis effusi recordatione, ita perculsus fuit, vt rerum humanarum pertæsus, voto se solenni, Deo in Prumiensi mo-*

nasterio obstrinxerit. Documento omnibus posteris, homines eam se fortunæ permisere, eius telo appetitos, etiam naturam perdiscere.

LVDOVICI SECVNDI IMPERATORIS *Occidentis Gesta.*

Lothario patre defuncto, Imperij regimen suscepit; tum Romam festinanter profectus, cum Benedicto summo Pontifice, de rebus suis maturè egit, vrbeque egressus eam iterum, accepta sub itinere Benedicti morte, repetijt, consecrationique Nicolai, è latebris à populi concursu erepti, & in Pontificis sedem euecti, interfuit; nec multo post illum in castra venientem, summis coluit honoribus, ac lauto, opiparoque excepit conuiuio, Anno Christi octingentesimo quinquagesimo octauo, *vt habet Anastasius Bibliothecarius.*

MICHAELIS TERTII IMPERATORIS *Orientis Gesta.*

Christianæ fidei mysterijs illudens, Coloniæ præsulem appellari se voluit, Cinædosque suos sacras indui vestes, ac diuina peragerę mysteria iussit; immo eorum principem, cognomento Grillum, Patriarcham vocari. Matre vero, & tutoribus suis, Bardæ auunculi opera, è regimine amotis, Anno Christi octingentesimo quinquagesimo quarto, principatus sui decimo tertio, vt nouus alter Nero, neque enim inferior aurigandi, nec libidine impar, effusionibus autem immodicis persimilis, & sæuitia proximus, totum se ludis, aurigationibus, ac perpotationibus dedit. Legationem tamen pro more ad Nicolaum Pontificem recenter creatum, amplissimis cum muneribus misit, Anno Christi octingentesimo quinquagesimo sexto. *Ita Curopalates.*

CAROLI CALVI FRANCORVM REGIS *Gesta.*

Pipinum, & Carolum, Pipini fratris filios in ordinem redegit, Anno Christi octingentesimo quinquagesimo secun-

do, Lotharij duodecimo, Michaelis vndecimo. Anno vero octingentesimo quinquagesimo octauo, Aquitaniæ Rex, Lemouicis, inunctus fuit; firmatisque, præsidio militari, arcibus, in Franciam, cum Normannis pugnaturus, remigrauit; nec multo post, in Rheni fluminis Insulam, iuxta Aternacum castellum, pacem cum fratre Germaniæ Rege, & Lothario nepote initurus, profectus est. Anno denique octingentesimo sexagesimo, amicitiæ fœdus cum ijsdem, solemni obstrictus iuramento, pepigit, *vt docet Pithæus.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Salomon, Erispæo Britanniæ minoris Rege sublato, omnium procerum votis acclamatus fuit, Anno Christi octingentesimo quinquagesimo primo. *Pithæo teste.* Euerardus Foroiulij Dux, & Comes, vir pacis, bellique consilijs maxime idoneus, magna apud Lotharium Imperatorem pollebat gratia, & auctoritate, *vt vult Flodoardus lib. 3. cap. 26.*

Ludouicus Germaniæ Rex, & Caroli Calui frater Dalmatas subegit, grauiaque eis tributa imposuit, Anno Christi octingentesimo quinquagesimo quinto. Quadriennio vero post, à Galliarum proceribus euocatus, rebus omnibus pene prolapsis, Regno potitus fuisset, ni ipsum, renuntiata Sorabica rebellio, adegisset sua repetere. *Ita Auentinus, & alij.*

Barda Patricius, traducto ad turpissimos quosque, atque impurissimos mores Michaele Imperatore; Theodora è solio deturbata, ac Theoctisto, viro illustrissimo, secundæ famæ in aula, Augusti tutore, cæso, rerum summam adeptus est, Anno Christi octingentesimo quinquagesimo quinto, Photiumque Eunuchum, & Laïcum, in Ignatij Patriarchæ Constantinopolitani expulsi, quod coniuge sua turpiter eiecta, pellicem cognatam suam sibi iunxisset, locum subrogauit, Anno Christi octingentesimo quinquagesimo octauo; sequenti autem Cæsar creatus litterarum scholas, quibus Leo summus Philosophus, magnarumque rerum cognitione clarissimus, ac to-

tius Orientis lumen gratissimum profuit, magno cum applausu aperuit; *vt docet Curopalata.*

Donaldus, Kennetho germano, Scotiæ Rege demortuo, Sceptrum sibi sumpsit, Anno Christi octingentesimo quinquagesimo quinto. Hic voluptatibus omnibus plusquam Sardanapalicis solutus, regiam maiestatem penitus deturpauit; portentosaque luxurie, in Pellicum frequentia, & obsoniorum apparatu, totam fere gentem, ad effrænatam intemperantiam, abrogata priscorum patrum modestia, pertraxit; immo hostes suos infensissimos Pictos, qui in Northumbriam, vicinasque regiones se se abdiderant, in se armauit. *Leslæus, & Hector Boëtius.*

Rex Lazorum, Romam ex remotissimis regionibus trans mare Caspium se transtulit, Anno Christi octingentesimo quinquagesimo sexto, summumque Pontificem Benedictum, aliosque Ecclesiæ principes ingentibus auri, argentique largitionibus coluit. *Anastasius.*

Ethebaldus, iustis Eteluolpho patri Angliæ Regi persolutis, purpuram induit, Anno Christi octingentesimo quinquagesimo septimo. Eo vero defuncto, Ethelbertus ipsius filius Regni totius curam suscepit. *Polydorus, & alij.* Carolo Lotharij senioris Imperatoris filio extincto, Ludouicus Imperator illius frater Prouinciam, Delphinatum, & Alpes sortitus est, Anno Christi proximo; Lotharius vero iunior, & germanus Burgundiam, *vt refert Æmilius.* Constantinus Kennethi filius, in Scotiæ Regem inauguratus fuit, Anno Christi octingentesimo sexagesimo, Regnumque vitijs pene collapsum, in antiquum suum splendorem restituit. *Ita Leslæus, & Hector Boëtius.*

VIRI ERVDITI.

Ferculphus Episcopus Lexouiensis, vir eruditione summus, Historiam ab ortu mundi ad Christi natiuitatem scripsit libris septem. Ansegisus Abbas Lobiensis cœnobij, & postea Senonensis Episcopus, sacras Caroli Magni, & Ludouici Imperatorum leges, à profanis sejunxit. Notgerus Episcopus Leodiensis Germanus, Sequentiarum librum vnum composuit; de Musica alium, alterum de sacris scriptoribus, & Epi-

ſtolarum vnum ad diuerſos. *Geſner.*

Michael Pſellus peripateticus vir eximia doctrina illuſtris, libros duos de Dæmonibus in lucem dedit; alium contra Eunomium. Epiſtolas, & encomia diuerſa. Scholia in dictum Baſilij: libros duos de legibus. Varia philoſophica. Arithmeticæ ſpeculationis compendium. Expoſitionem in oracula Chaldaica. Paraphraſim in Iliadem Homeri. Opus Græcum ex libris medicinalibus, ordine alphabetico. De victus ratione. De facultatibus, & ſucci qualitate alimentorum, libros duos, Georgio Valla interprete. Paraphraſim in libros Ariſtotelis, de Interpretatione. Compendium in quinque voces Porphyrij, & Ariſtotelis Prædicamenta. Breuem expoſitionem in Ariſtotelis libros de naturali auſcultatione. Expoſitionem in Metaphyſicam Ariſtotelis, & in Pſychogoniam Platonis, & commentarium in Ariſtotelis verba, & quomodo omnia à Philoſophia dependent. Claruit autem hoc tempore *teſte Cedreno.* Eius autem diſcipulus, Leo Ioannis ex fratre nepos Theſſalonicenſis Epiſcopus, & Philoſophiæ Doctor Byzantij. Adde Vandelterum Diaconum, & Monachum Prumienſis cœnobij; Angelomum denique Gallum, quorum pia opera habes in ſacra mea Hiſtoria.

OPERA PVBLICA.

Hortanam ciuitatem refecit Leo quartus ſummus Pontifex, Anno Chriſti octingenteſimo quinquageſimo primo. Triennio poſt Centumcellenſe maritimum oppidum, à Sarracenis, abhinc quadraginta annis dirutum, opportuniore loco, ob aquarum copiam, paſſuum mille fere duodecim procul inde, repoſuit, Leopolimque appellauit, *vt ſcribit Anaſtaſius.*

Laudo Comes, & Landulphus Epiſcopus, Capuam nouam, veteri frequentibus incendijs ſæpe exhauſta, magnis ſumptibus conſtruxere, Anno Chriſti octingenteſimo quinquageſimo ſexto. Sequenti vero Bercharius Abbas Caſſinas, oppidum ad montis crepidinem ædificauit, ſanctique Benedicti ciuitatem nominauit, *vt placet Sigonio.*

PRODIGIA.

Ardentiores ſolito cometæ, crinem ſuum ad omnium horrorem, terroremque, Septentrionem verſus longe, lateque exeruere, Anno Chriſti octingenteſimo quinquageſimo ſeptimo. Frequens ſolis, ac lunæ deliquium, fulminumque inaudita vis; concurrentes item in cœlo ignitæ acies.

In Laudonia, *vt refert Hector Boëtius*, ſemeſtris infans, matrem compellauit, monuitque vt confeſtim Regionem illam deſereret, quam hoſtes breui occupaturi erant. Boues ibidem prata depaſcentes, inſolitis emiſſis boatibus, ſubito interiere. Piſces, ex Fortheo æſtuario, humana prope ſpecie, à mari, in arena deſtituti, mortui ſunt. Ingens inſuper vis ſerpentum, pluuiæ inſtar, ex aëre in hominum, cæterorumque animalium perniciem, in Gallouidia, decidit.

CALAMITATES.

Tiberis ſuper ripas effuſus circumiectos campos, cum maxima arborum, ſatorumque exitio inundauit, totamque fere vrbem, quarto die Ianuarij, Anni octingenteſimi quinquageſimi ſexti, ingenti illuuione deformauit, variaſque tùm ſacras, tùm priuatas, publicaſque ædes, aquarum impetu deiecit. Anno autem octingenteſimo ſexageſimo, magnas iterum, & domorum, & hominum ſtrages edidit, *vt teſtatur Ioannes Diaconus ſcriptor huius temporis ad finem rerum geſtarum S. Gregorij Papæ.*

Fœda Coloniæ, exorta tempeſtate, fulmen ignei draconis formam præferens, grauia toti vrbi damna intulit. Crebris item motibus terra quaſſata. Peſtis, fames, aliaque id genus mala, vno quaſi impetu, atque tempore, Europæ incubuerunt, Anno ſcilicet octingenteſimo, quinquageſimo ſeptimo. *Gunthariu Colonienſis Epiſcopus, Ado Viennenſis, Coccius, & alij.*

RES BELLICÆ.

Maſſau Sarracenorum Dux, ab Adelgiſo contra Siconulphum

phum euocatus, Beneuentanos, multis modis, afflixit, Anno Christi octingentesimo quinquagesimo primo, Telessiamque oppidum occupauit, populatione Aquitaniam vsque producta; tum Beneuentum se retulit. Qua de re certior factus Lotharius Imperator Brigiæ agens, numerosum continuo exercitum eo duxit, castrisque Beneuento admotis, Adelgisum, ac Sarracenos in potestatem suam redegit. Dein peruigilio Pentecostes Sarracenos omnes, extra vrbis mœnia, cum ipsorum Duce Massare, iugulauit. *Ita Ado Viennensis.*

Normanni, seu Dani, per Ligerim rursum classe deuecti, nostris Religioni deditis Sabbato sancto, Nannetensem ciuitatem inuaserunt; Episcopum rem diuinam facientem cæciderunt, frequentemque ad sacra populum trucidarunt, Anno Christi octingentesimo quinquagesimo tertio, *vt docet Regino, & Otho Frisingensis.* Hanc tamen cladem ad Annum octingentesimum quadragesimum tertium retulit Bertrandus Argentræus scriptor huiusce temporis ex monumentis Abbatiæ S. Sergij Andegauensis. Tum incendijs, atque cædibus euastato agro, Andegauensem vrbem, atque Turonensem ingressi, incensoque S. Martini templo, direptisque alijs omnibus, ad propria rediere. Verum illorum famosis sceleribus, offenso diuino numine, ciuili bello inter Horic Danorum Regem, & filium fratris Guduym, qui Regno pulsus piraticam exercebat, conflato, populoque vniuerso, factione, diuiso, (pars enim altera Regi, altera vero nepoti, studebat) Normanni pene omnes occubuere, regiaque stirps, puerculo tantum superstite, omnino excisa, Anno Christi octingentesimo quinquagesimo quarto. *Auctore Pithœo.*

Sarraceni, qui Barij relicti fuerant, Apuleiam iterum, Calabriam, & Beneuentanum Ducatum hostiliter incursarunt sub idem tempus, effusisque populationibus, omnia impleuerunt. Ludouicus insuper Lotharij filius, in Italiam progressus, varia, cum Sarracenis, Capuanis adiuuantibus prælia suscepit. *Sigonius.*

Ludouicus Germaniæ Rex, ab Aquitaniæ proceribus accitus, arma in Carolum fratrem suum vertit, Anno Christi octingentesimo quinquagesimo octauo; cui Carolus imparem se viribus ratus, fuga se subduxit, actumque fuisset de illius Re-

gno, ni Ludouicus, audita apud Germaniam Sorabica rebellione, eò se recipere coactus fuisset. *Ita Pithæus.*


Picti qui in Northumbriam, vicinosque tractus se abdiderant, in Scotiam cum Saxonum, Britannorumque auxiliaribus copijs irrupere, Anno Christi octingentesimo sexagesimo. Quibus Donaldus Scotorum Rex prope Iedburgum occurrit, initoque prælio eos feliciter deuicit. Tum milites, parta victoria, noctem sequentem, sine excubijs supini; sine ordine sparsi; sine disciplina negligentes; sine timore stulti; in luxu, & compotationibus consumpserunt. Verum hoc audito nuntio, hostis ad omnem occasionem intentus, illos nocte adulta, somno, vinoque sepultos, oppressit, cæsisque viginti millibus, Donaldum Regem, cum pluribus alijs nobilibus, captiuum, vinctumque abduxit. Hic vero, vt se in libertatem assereret, Regionem omnem inter Striuelingum, & Cludam amnem interiectam, Britannis, ac Saxonibus concessit, annuamque pecuniam, tributi nomine daturum se spopondit. *Hector Boëtius, & alij Scotici scriptores.*


OBITVS ILLVSTRES.

Herispeus Neomenoij filius, Britanniæque minoris Regulus supremum expleuit diem, Anno Christi octingentesimo quinquagesimo primo. Lamberius item Comes Nannetensis morte sublatus, *vt habet Pithæus.* Sequenti vero Genaldus Normannus principibus borealium partium, & Danici Limitis custodibus, quasi lubricæ fidei, & molimine proditionis suspectus, cæsus fuit. Kennethus Scotiæ Rex rerum gestarum gloria illustris, crebrisque victorijs inclytus, naturæ legibus concessit, Anno Christi octingentesimo quinquagesimo quinto, principatus autem sui vigesimo. *Leslæus, & alij.*

Eteluolphus Angliæ Rex, virtutum omnium & magnitudine, & multitudine clarus, morbo consumptus fuit, Anno Christi octingentesimo quinquagesimo septimo; illius vero filius Ethelbaldus, qui ei in Regnum successerat, haud multo post interijt. *Polydorus lib. 5.* Proximo autem Carolus Lotharij senioris Imperatoris filius, Burgundiæque, ac Prouinciæ Rex, vita functus est; *vt refert Regino.* Donaldus Scotiæ Rex

turpissimis; atque impijssimis moribus insignis; totiusque Reipublicæ pernicies summa, in carcerem detrusus, manus sibi intulit, Anno Christi octingentesimo sexagesimo. *Hector Boëtius, & alij.*





DECAS SEPTIMA.

LVDOVICI SECVNDI IMPERATORIS. Occidentis Gesta.

A Longobardis, contra Sarracenos ex Africa, *vt vult Regino*, vel Apuleia, *vt placet Leoni Ostiensi*, profectos, euocatus, Anno Christi octingentesimo sexagesimo sexto, principatus sui vndecimo, ingentem, collecto vndiquaque milite, fratreque Lothario Rege, in auxilium accito, expeditionem parauit. Tum in Cassinum montem se conferens, à Berthario Abbate perhonorifice exceptus, summis S. Benedictum coluit honoribus, muneribusque, immo magnam auri, argentique vim, in ipsius Monachos effudit, atque eorum iura, à Regibus antea concessa, persancte firmauit. Legationem insuper ad Basilium Orientis Augustum de conciliandis nuptijs inter filiam suam, & Constantinum Basilij filium natu maximum, misit, Anno Christi octingentesimo sexagesimo nono, principatus sui decimo quarto, *vt habet Anastasius*.

MICHAELIS TERTII IMPERATORIS Orientis, Gesta, & Obitus.

Horrendis quadraginta dierum terræ concussionibus perterritus, sæuitiam, quam in magnos quoslibet, atque eximia probitate præstantes viros exercebat, aliquantulum deposuit, Anno Christi octingentesimo sexagesimo primo, principatus vigesimo. Mox Christianæ Religionis mysterijs illudens, Theophilum quendam Scurram Patriarchæ personam, vniuersa spectante vrbe, sustinere voluit. Peracerbas item ad Nicolaum summum Pontificem, quod Photij confirmationem

non probasset, litteras scripsit, Anno Christi octingentesimo sexagesimo tertio, principatus sui vigesimo secundo. Biennio post, excidium Romanæ ciuitati minitans, Pontificis legatos sub itinere detineri, varijsque iniurijs affici, imperauit. In Cretenses validum duxit exercitum. Bardam auunculum suspectum habens extinxit, Basilium autem Macedonem, virum probum, ac fortem, cubiculique præfectum, Cæsarem appellauit, Imperijque consortem fecit. Hic vero, cum Augustum indigna permulta imperatoriæ maiestati, identidem præstantem obseruasset (qua erat morum seueritate) obiurgare illum haud veritus, odium in se, atque insidias consciuit, quas vt quamprimum anteuerteret, Michaelem vino obrutum super cœnam obtruncauit, Anno Christi octingentesimo sexagesimo septimo. *Ita Zonaras, Nicetus, & alij.*

ICON

MICHAELIS IMPERATORIS ORIENTIS.

Michael tertius Porphyrogenitus, ac Theophili Principis filius, patre sublato, Imperium sub Theodoræ matris, religiosæ, virilisque animi fœminæ, aliorumque procerum tutela, prospere rexit. Hunc tamen fœlicem, florentemque Reipublicæ statum, eius vecordia, Bardæque auunculi ambitio interpellans, matre regimine amota, cæterisque tutoribus, infelici fato, Imperium suscepit, auoque similior quam patri, rem per summam ignauiam grauiter afflixit, totumque se, vt alter Nero ludis, atque aurigationibus, dedit. Sarracenis quidem proxima regiæ vrbis loca fœde depopulantibus occurrit; Verum leui certamine victus, castrisque exutus fuit, ludo certe magis, quàm bello aptior. Exin Barda auunculo extincto, Basilium Macedonem obscuro natum genere, in Imperij socium adsciuit, cuius dextera haud multo post, cecidit. Valet enim ima summis miscere, atque insignia attenuare Deus, vt obscura promat.

geret, varios disiecit pontes, nouosque imposuit, turres item permultas in ostijs maris extruxit; sed vt maiori fide, validiorique munimime, Regiones firmarentur; viros quosdam illustres, bellicisque artibus claros, perpetua Comitatus dignitate ornauit.

Anno demum octingentesimo septuagesimo, minis Ludouici fratris Germaniæ Regis territus, eum, in societatem Regni Lotharij nepotis demortui, quod iam ipse inuaserat, icto fœdere recepit, vlterioremque Lotharingiam ei concessit, citeriore sibi reseruata, cum Burgundiæ Comitatu, Delphinatu, & Prouincia, *vt testatur Regino.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Robertus, à quo genus Capetorum, è valida Ducum Saxoniæ familia oriundus, Comes, Rectorque Galliæ, quæ est à Sequana, ad Ligerim, contra Britones, & Normannos, constitutus fuit à Carolo Rege, Anno Christi octingentesimo sexagesimo primo.

Petronas Dux illustri potitus victoria de Amore Sarracenorum Duce, Byzantij perhonorifice exceptus, de hostibus Imperij, solemni pompa, triumphauit. *Cedreno teste.* Ethelbertus, Ethelbaldo fratre, Occidentalium Saxonum, & Anglorum Rege defuncto, inauguratus, auo, patre, maioribusque suis dignissimus, Danorum copias, agros hostiliter primis Imperij annis depopulantes, magna eorum strage edita, fortiter expulit; *vt refert Polydorus.*

Ziemonitus, Piasto patre, Poloniæ Rege mortuo acclamatus fuit, sub idem tempus; vir animi magnitudine insignis; æstus, ac frigoris, laboris, & inediæ patiens; somni parcus, victuque, atque cultu corporis, non multum à gregarijs militibus differens; magnificentia tamen erga suos plus quam regia. Inito principatu, animum, ad ea recuperanda, quæ Vngari, Moraui, & Germani, sub Popieli regimine inuaserant conuertit, omniaque summa fœlicitate præstitit. *Ita Salomon Neugebauerus à Cadano in sua Historia.*

Bardas Michaelis Imperatoris Orientis auunculus, continuis terræ motibus perculsus, mitius cum Ignatio Patriarcha Constantinopolitano egit; Regnique cupidus, Theodoram Augustam à regimine amouit; Cæsarque creatus omnia pro arbitrio suo rexit. *Cedrenus, Zonaras, & alij.*

Alfonsus, siue Aldefonsus, cui præclaræ animi, corporisque dotes, atque illustres de hostibus triumphi, Magni cognomen peperere, nuntiata Ordonij parentis in Hispania Regis morte, continuo Ouetum, regiam vrbem contendit, Anno Christi octingentesimo sexagesimo primo, eique annos licet quatuordecim tantum nato, rerum summa, propensissima omnium procerum voluntate, delata fuit, *vt patet ex inscriptione.* Princeps maioribus suis animi indole æqualis; eximia vultus dignitate, morum suauitate admirabili; nec magis laude bellica insignis, quam beneficentia in pauperes, quos asperæ res exagitabant. Opes enim sua virtute partas, ipsosque à patre relictos thesauros, non ad priuatum compendium, sed ad subleuandam egenorum tenuitatem retulit; verum initio principatus sui aduersæ fortunæ flatibus agitatus fuit. Froila siquidem, Veremundi filius, Gallæciæ Comes, opibusque, ac clientelis potens, pueri Regis despectu, Regnum armis inuadere parauit, fortassis ex regio sanguine, prognatus fuerat, & sui iuris factum causabatur. Alfonsus vero viribus inferior, & à rebus omnibus imparatus, æmulo cedens, in eam Cantabriæ partem, cui Alauæ nomen, se contulit. Tyrannus autem cum regiam potestatem, per vim occupatam, non ad populi salutem, sed ad opprimendas res publicas, atque priuatas, referret, ciuium Ouetensium coniuratione interfectus fuit. Tum Alfonsus in Astures perrexit, omniumque ordinum voluntate receptus, Regni statum composuit, suppliciumque de sontibus sumpsit.

Cæterum ea Cantabriæ pars, cui Alauæ nomen esse, dictum est, Regum Ouetensium Imperio, ea tempestate tenebatur; reliquæ vero Cantabriæ Zenon, ex Eudonis olim Aquitaniæ Ducis sanguine prognatus, imperabat. Eilo, Zenonis propinquus, Alauam pro Rege gubernabat; is siue Regni perturbatione confisus, siue Zenonis armis, ab Alfonsi auctoritate defecit. Hi motus Regem compulerunt, vt delectu suorum habito, expeditionem maturaret. Legione itaque breui profectus,

fectus, prouinciam tumultuantem ſine ſanguine ad officium reuocauit, Eiloque captus cuſtodiæ Oueti mancipatus fuit, eundemque & vitæ, & vinculorum terminum habuit. Zenon denique Cantabriæ Princeps non multo poſt, nouarum rerum ſtudio rebellis, prælio deuictus, captuſque, in eundem carcerem coniectus fuit; calamitateque vtriuſque, documentum datum cæteris, Regis ætatem deſpectui habeendam non eſſe. Exinde Alaua Vigiliæ Comiti attributa; Caſtellæ autem principatum, Didacus Comes cognomento Porcellus obtinuit; Et hæc omnia primo Alfonſi Regni anno, geſta fuere. Quo, in proximum, euoluto, maior belli moles extitit. Imundarus ſiquidem, & Alchama Maurorum Duces, Legionem vrbem, acri obſidione fatigarunt. Hos tamen Rex, ingenti copiarum ſtrage mulctatos, in patriam reiecit; vlciſcendæque gentis efferæ, atque Barbaræ cupiditate accenſus, cum Vaſconibus ac Francis fœdus inijt, immo Amelinam ex regio Francorum ſanguine genitam, Semenam poſtea nuncupatam, in vxorem accepit. *Rodericus Toletanus, Ioannes Vaſæus, & alij.*

Balduinus Ferreus Flandriæ Comes, nouo, ac difficili bello, totam prouinciam implicuit; Cum enim nuptias, adulta iam ætate, quærendi tempus appeteret, tam vaſtus animo fuit, vt Iuditham Caroli Calui Francorum Regis filiam, & Ethelulpi Angliæ Principis viduam, Ludouico Iudithæ fratre, quem olim multis nominibus, ac præcipue bello contra Sarracenos, Normannoſque ſibi deuinxerat, conſcio, in Flandriam, reluctante licet Carolo, Siluanecto abductam connubio ſibi iunxit. Quibus vehementer commotus Carolus, atroces in eum minas, bella, incendia, cruentaſque cædes, atque alios omnes terrores iactauit, Anno Chriſti octingenteſimo ſexageſimo ſecundo. Proximo tamen, poſt crebra aduerſus Carolum, confecta fœliciter prælia, inſigneſque victorias, in illius amicitiam redijt, magnoque Flandriæ Comitatu, perpetuo hæreditatis iure, ampliſſimaque ditione ab eo auctus fuit, *vt docent Flodoardus, Paulus Æmilius, Iacobus Meierius, Gaguinus, Annales Flandriæ, Petrus Diuæus, & Franciſcus Balduinus.*

Theodoricus apud Friſios ſummo loco natus, inſignique militiæ laude, atque animo imperterrito percelebris, perpetua Comitatus dignitate, à Carolo Francorum Rege decoratus

fuit; Hollandiam siquidem Batauorum celebrem Insulam ad Oceanum, ac æstuarijs, fluminibus, pascuisque nobilem, ab eo accepit. *Iacobo Meierio teste, & alijs.*

Lotharius Rex Ludouici Imperatoris frater, & Caroli Calui Francorum Regis nepos, in amorem Valdradæ, quam à primis ætatis suæ annis vehementer amarat, dilapsus, Teutperga Regina, legitima vxore repudiata, in coniugem sibi eamsumpsit, Anno Christi octingentesimo sexagesimo secundo. Verum Arsenij, Nicolai summi Pontificis legati, minis perterritus, Valdradæ pellicis consortio abdicato, Teutpergam iterum recepit. Tum Romam contendens, Anno scilicet Christi octingentesimo sexagesimo octauo, *vt scribit Regino*, ab Hadriano Pontifice, Nicolao extincto, magnis cultus fuit honoribus, ab eoque missarum solemnibus, ad sacram Christi mensam inuitatus, modo à prohibito, & interdicto adulterij scelere innoxius esset, & à Valdradæ pellicis diu repudiatæ concubitu, se abstinere sponderet. Quibus omnibus, subdola, sceleratаque mente assentiens, venerandum Christi corpus, proh scelus, assumpsit; sed haud multo post graues supremi numinis pœnas expertus est.

Vrsus, seu Vrsinus, Petro Venetorum Duci, è viuis erepto, successit, Anno Christi octingentesimo sexagesimo sexto, *Coccio Sabellico teste.* Hic cum Narentanis, alijsque nationibus piraticam exercentibus, pacem firmauit; Sarracenos vero, qui ex Alexandria profecti Cretam Insulam occuparant; tum in Dalmatiam, & Histriam, classe deuecti, & Gradum obsederant, secundo belli exitu profligauit. Hocce autem in prælio, cum Ioannes illius filius strenuam nauasset operam, acriterque depugnasset, patri, totius populi consensu, in collegam datus fuit; Eoque Duce Veneti cum Reipublicæ hostibus, Histriæ loca, crebris incursionibus infestantibus, secundo marte, dimicarunt. Cæterum cum Basilio Orientis Augusto, à quo Prostopatharij dignitate ornatus fuerat, gratitudine animi, & officio decertans, duodenas magni ponderis, atque artificij non vulgaris, campanas dono illi misit. Tuncque primum Græci campano ære vsi sunt.

Ethelredus, Ethelberto fratre defuncto Orientalium Saxonum Rex in Anglia, salutatus fuit eodem anno; vir domi

placidus, atque humanus; pacis, ac belli artibus præstans. Cum Danis sæpe varia fortuna conflixit. *Polydorus, & alij.* Sabbatius Princeps magnæ famæ, filiam Bardæ Cæsaris, & Theodoræ Augustæ fratris, & Michaelis Imperatoris auunculi, in matrimonium duxit. Edmundus Occidentalium Anglorum Rex vltimus, rem summa cum prudentia, pietate, ac liberalitate administrauit, *vt habet citatus Auctor.*

Constantinus Basilij Augusti filius natu maior, in consortem Imperij assumptus fuit, Anno Christi octingentesimo sexagesimo octauo. Biennio post, Leo ipsius frater eodem honore insignitus fuit, & ab Ignatio Patriarcha Constantinopolitano coronatus. Alexander vero natu minor, Cæsaris nomine decoratus. *Ita Anastasius Bibliothecarius.* Ethus, Alipes, ob pedum summam pernicitatem, dictus, Constantino secundo fratre suo Scotorum Rege cæso, publicæ rei curam suscepit, eodem Christi Anno octingentesimo septuagesimo, quam luxu & feritate pene pessumdedit. Quam ob rem, Regni proceres veriti ne illius inertia, Dani, magna Britanniæ parte vastata, victricia arma in se conuerterent, eum in vincula coniecerunt, *vt refert Leslæus in Historia sua Scotica.*

VIRI ERVDITI.

Gildas Britannorum sanguine natus, sanctique Benedicti monachus eruditionis non vulgaris, ab ipsa enim iuuentute inclaruit, totusque Historijs euoluendis, scribendisque, atque antiquitatibus curiosè inuestigandis incubuit; fabulosa tamen aliqua scriptis suis immiscuit, quæ maturiore iam ætate, ni morte præuentus, emendasset. Scripsit autem, *vt habet Vion;* Librum ab ortu mundi vsque ad diluuium; de mirabilibus Britanniæ alterum; de primis Britanniæ incolis alium; de milite item Leonis; de Rege Arthuro, ac sepulchro illius, aliaque permulta, *vt docet Pithæus.* Ado Viennensis Episcopus multiplici doctrina percelebris Chronicon item ab orbe condito, ad annum vsque Christi octingentesimum septuagesimum octauum prosecutus est.

REGNORVM ORTVS.

Prima Moscouitarum Regni fundamenta iacta fuere, Anno Christi octingentesimo sexagesimo primo. *Ita Sigismundus Herbesten in tractatu de Moscouitis, & Martinus Cromer in Historia sua Polonica.*

PRODIGIA.

Pisces humana prope effigie, media super maris vndas parte erecta, & quorum caput nigra pellicula, tegminis instar cooperiebat, visi sunt in agro Scotico, Anno Christi octingentesimo septuagesimo, *vt habet Hector Boëtius.* Ingens item Sydus, toto Aprili mense, ignitis suis radijs ad longum protensis, apparuit.

CALAMITATES.

Augustissimum Sophiæ templum fœdissimo incendio exhaustum fuit Byzantij, Anno Christi octingentesimo sexagesimo secundo, Michaelis Imperatoris vigesimo primo; viciniores item ædes, cum magno ciuium luctu; hanc vero cladem vehementes terræ-motus excepere; & illa omnia in vltionem scelerum diuinitus immissa nemo inficiebatur; *vt refert Nicetas cognomento Daniel, & alij.* Soluta insuper sub idem tempus, amnium, fluminumque glacie, tanta aquarum vis in agro Scotico exundauit, vt totam ad radices vsque montium planiciem compleuerit; ea vero resedente, incredibilis ranunculurum multitudo relicta, cælum graui putore infecit.

RES BELLICÆ.

Michael Orientis Imperator, Petronam contra Momumum Syriæ Calypham magnis cum copijs immisit, Anno Christi octingentesimo sexagesimo primo, principatus sui vigesimo. Hic castris in loco Lalacæon nuncupato, positis, Mamumum ad certamen prouocauit, commissaque pugna, ipsum cum vniuerso suo exercitu, penitus deleuit. *Bizarus de rebus Persicis.*

Scythæ per Euxinum mare delati, Thraciam, Græciamque

inuaserunt, ipsasque Insulas Byzantio adiacentes hostili agmine incursarunt, eodem anno. Immundarus, & Alchama Maurorum Duces, Legionem vrbem in Hispania obsederunt. Hos tamen Ordonius, Legionis, & Asturiarum Rex, ingenti eorum strage edita, fortiter expulit, Anno Christi octingentesimo sexagesimo secundo.

Carolus Caluus Francorum Rex arma in Balduinum Flandriæ Comitem, ob Iuditham filiam suam, ab eo raptam, conuertit; collectoque centum pugnatorum millium exercitu, cui Balbus Calui filius, paternis iris in Balduinum accensus præerat, *vt vult Petrus Oudegherstius*; alij Regem Nauarræ, qui Iuditham expetiuerat, tantis copijs ductorem datum fuisse asserunt; per Atrabates in Flandriam, superatis Duacensium, atque Insulensium agris, itum est, feruntque Harlebæcæ obsessum Balduinum, tanto impetu in hostem irrupisse, vt Francorum quadraginta millia prostrauerit, quinquaginta vero ceperit. Dein bello ad montem S. Eligij redintegrato, ad Flandros iterum stetit victoria. Tot autem cladibus ira accensus Carolus, delectas iterum magna cum celeritate copias, in Balduinum misit, quibus Balduinus confestim occurrit, instructaque in extremis Insulensium finibus, acie, datoque, tubarum clangore, ad pugnam signo; tormentorum Saxis, glandibus, iaculis, & cæteris missilibus agi cæptum à ferentarijs. Mox totæ acies ingenti omnium ardore commissæ. Balduinus modo strenui militis partes implebat; modo prudentis Ducis officio fungebatur; modo vero in fronte aderat; modo propter signa adstabat; nec segnius rerum satagebat Francus; vbique terror, ira, animorum, corporumque pertinacia, cædesque miscebantur; pulueris nube cœlum obtegitur; lamentis, ac clamoribus aër impletur; terraque plurimo militum effuso sanguine perfunditur, neutrò tamen, nutante victoria. Balduinus autem veritus ne prælium, damno suo, nocte dirimeretur, lectissimos quosque milites in hostes summo impetu secum traxit, perruptaque Francorum acie, nunquam in ordinem cogi postmodum miles potuit; fusisque ita omnibus, miserandum, horrendumque per patentes campos, spectaculum editum fuit. *Iacobus Meierius, Franciscus Balduinus, & alij.* Sub idem tamen tempus Carolus Normannos Ruodberti Ducis clarissimi

opera magnis cladibus afflixit. *Pithæo teste.*

Bellum in Campania, Anno Christi octingentesimo sexagesimo quinto multum exarsit. Seodanus enim Sarracenorum Princeps, Adelgiso, Beneuentano Duce, instigante, Bario egressus, Capuam profectus est, eaque direpta, agrum Neapolitanum inuasit, crebrisque populationibus, atque incendijs, vastare omnia instituit. Quibus iuste commoti Maiopolius, & Vandelpertus, viri proceres illustrissimi, Lamberto, Duce Spoletano, & Marsorum Comite, conducto, signa in eum, è Capuana depopulatione redeuntem, intulerunt, sed infœliciter, ipsis in acie cæsis. Hac autem victoria inflatus Sarracenus, pleraque circumiecta castra euertit. Mox Teanum, infesto accessit agmine. Qua de re certior factus Bertharius Abbas, vt imminentem Cassinati monasterio, ac populo, cladem auerteret, illiusque furentem libidinem compesceret, tria ei aureorum millia per Reginaldum Diaconum suum, dono misit. *Ita Scriptores huiusce temporis.*

Ludouicus Imperator numeroso comparato exercitu, fratreque Lothario suppetias ferente, Sarracenos, qui Apuleiam iam insederant, quique ex Africa subinde veluti subsidio venerant, adortus, maxima affecit strage, Capuamque Campaniæ vrbem amplissimam, eorum partibus studentem, obsessam, captamque pene deleuit. Dein Luceriam oppidum, quod à Sarracenis, in Apuleia tenebatur, profectus, collatis signis, victus acie, cessit, Anno Christi octingentesimo sexagesimo sexto, principatus sui vndecimo. Redintegratis tamen viribus, hostes ingenti prælio superauit; Luceriamque, atque alia finitima castra, in potestatem adduxit; Barrium denique maiori quam antea belli mole, oppugnauit, sed frustra; *vt vult Regino, & Leo Ostiensis.*

Sarraceni qui in Dalmatiam, Histriamque penetrarant, Gradumque obsederant, ab Vrsino Venetorum Duce spectatissimo profligati fuere sub idem tempus; *vt habet Coccius Sabellicus.* Normanni vero, in Lotharij Regno oppressi, prostratique. Anno autem proximo; Christi scilicet octingentesimo sexagesimo septimo, Michael Orientis Imperator ingentes copias contra Cretenses Reipublicæ hostes infensissimos, duxit. *Nicetas, & alij.*

Basilius Orientis Imperator centum nauium classe in Dalmatiam superiori anno immissa Sarracenos perdomuit. Ludouicus vero Occidentis Augustus Barium irrito tentauit conatu. Materam tamen, Venusiam, Canusiumque à Sarracenis occupata oppida traduxit. Dein Materam igne absumpsit, reliqua validis præsidijs impositis communiuit.

Constantinus Scotiæ Rex illustrissimus, ingenti Scotorum, nullo detrectante militiam, conscripto exercitu, in Danos, (quos Cadanus Daniæ Princeps, Pictorum precibus exoratus, Hungaro, & Hubba fratribus, eorum ductoribus, immiserat;) Fisam, vicinasque regiones incursantes, properanter mouit, Anno Christi octingentesimo septuagesimo, aciemque in Hubbam hostium Ducem direxit. Pugnatum vtrinque fortiter. Dani tamen à tergo, fronteque petiti Scotorum ingenti multitudine, abiectis telis, fugam occuparunt; multi cæsi; capti alij; alij vndarum fluctibus immersi. Hac insigni victoria, tantum Scotis fiduciæ accessit, vt amnem, quo hostiles copiæ, à Scoticis dirimebantur, ad iustum breui post reductum alueum, Constantinus Rex, instructa acie, traiecerit; ad cuius conspectum, Dani dato belli signo, vtrinque illico, magno impetu concursum est; Danique ferociter depugnantes Scotos in fugam verterunt, mediamque aciem alis nudatam aggressi, magnam stragem edidere. Decem Scotorum millia desiderata sunt in hac pugna; Constantinus autem Rex captus, victoris imperio cæsus fuit. *Ita Hector Boëtius, Leslæus, & alij rerum Anglicarum Scriptores.*

OBITVS ILLVSTRES.

Ordonius Hispaniæ Rex crebris victorijs contra Arabes, illustratus, neruorum dolore, cui maxime obnoxius erat, Oueti è viuis sublatus fuit, Anno Christi octingentesimo sexagesimo primo, principatus sui vndecimo; *vt vult Rodericus Toletanus. Alij vero eius obitum ad sequentem annum referunt.*


Ethelbaldus Occidentalium Saxonum, & Anglorum Rex, immatura morte sub idem tempus desijt. *Polydoro teste.* Petrus Venetorum Dux, in ciuium odium ob infandam auaritiæ turpidinem dilapsus, subita conspiratione, in Zachariæ templo,

perijt, Anno Christi octingentesimo sexagesimo sexto, Ludouici Imperatoris vndecimo. *Coccius Sabellicus, & Philippus Bergomensis.*


Ethelbertus Occidentalium Saxonum, & Anglorum Rex, deuictis Barbaris, Cantianos agros fœde euastantibus, naturæ concessit, eodem Christi anno, principatus vero sui quinto emenso; *vt scribit Polydorus.*

Ludouicus Rex, Lotharij senioris filius, Roma, vbi periurus Sacro-sanctum Christi corpus, & sanguinem sumpserat, in grauem sub itinere morbum incidit; Placentiamque ægre perductus, infœlicem, vlciscente eius impietatem supremo numine, vitæ exitum sortitus est, Anno Christi octingentesimo sexagesimo octauo. *De ijs fuse Regino, qui tamen in hoc turpiter errat, quod asserat Nicolaum summum Pontificem, superiori anno defunctum, hoc anno obijsse; sequenti autem Lotharium.* Constantinus Scotiæ Rex à Danis deuictus, captusque, cæsus fuit, Anno Christi octingentesimo septuagesimo. *Hector Boetius, Leslæus, & alij.*





DECAS



DECAS OCTAVA.

LVDOVICI SECVNDI IMPERATORIS Occidentis Gesta, & Obitus.



Omam profectus, Anno Christi octingentesimo septuagesimo primo, Franciæ corona, seu Austrasiæ ab Hadriano summo Pontifice donatus fuit, vt pote legitimus Lotharij fratris successor; Italicam enim siue Augustalem, iam diu ante receperat, exinde Campaniam repetens, Barium Apuleiæ vrbem munitissimam, quadriennio fere à suis obsessam, cepit, Sarracenisque expulsis, magnum Beneuenti adijt, vitæ, famæque discrimen. Dimisso siquidem, Aldegisi Beneuentani Ducis persuasu, exercitu, armis, igneque, facto derepente in prætorium suum, præsidio nudatum, impetu, ita oppugnatus fuit, & ad ea redactus, vt sacramento spoponderit se nunquam in posterum Beneuenti fines ingressurum, neque iniuriam maiestati suæ illatam, vllo modo vlturum. Anno tamen sequenti Romæ à summo Pontifice, iuramento per vim præstito, absolutus, Adelgisum Italia exegit. Biennio vero post, Anno scilicet Christi octingentesimo septuagesimo quinto, fatis concessit, nulla mascula prole relicta.

ICON

LVDOVICI SECVNDI IMPERATORIS Occidentis.

L Vdouicus secundus, seu iunior, Ludouici Augusti ex Hermingarde filius, Imperij rem, patre defuncto, tanta fœlicitate administrauit; vt

pluribus stupori, atque admirationi fuerit. Princeps iustitia, pietate, atque religione illustris; auitæque in Romanum Pontificem obseruantiæ, haud parum memor; nec vulgari eruditione, bellicisque artibus instructus. Ex Italia in Germaniam à Lotharij morte reuersus, discordibus cum Carolo Caluo Francorum Rege, animis, ob Austrasiæ Regnum, semper fuit. Contra Sarracenos Africanos, Italiam circumcursantes, bellum prospere gessit. Barrium terra, marique, annis quatuor oppugnatum, cepit, Seodanumque eorum Ducem in suam potestatem redegit; ipsius tamen fælicitas in victoria, bellum restaurauit. Barbarus siquidem ab eo dimissus, accitis nouis ex Africa copijs, Capuam, aliaque finitima loca, suæ ditionis fecit. Quibus de rebus certior factus Ludouicus irarum plenus, in perfidum hostem, citatum agmen rapuit, captaque oppida facilè recepit; Adelgisum vero Beneuentanum Ducem rebellem perdomuit; & quamuis ab eo dolosè circumuentus, ignominiosam pactionem fecisset, Italia tamen eiectum, in Corsicam fugere compulit. Dein paucis interiectis annis, crebris inclytus victorijs, fœlici vitæ exitu Sceptrum deposuit.

CAROLI CALVI IMPERATORIS Occidentis Gesta, & Obitus.

Audito Ludouici Imperatoris excessu, tantæ, tamque Augustæ dignitatis, maiorumque potentiæ auidus, Imperio se accinxit; filiumque suum Ludouicum in Austrasiam magnis cum copijs immisit; ipse vero incredibili celeritate Alpes transgressus, Italiam inuasit. Tum Romam se conferens, Augustus à Ioanne octauo omnium suffragijs, die natali Domini Anni octingentesimi septuagesimi quinti salutatus fuit, vt Concilij Ticænensis acta testantur. Ibi enim delatum Carolo Imperium, Patrum sententijs, confirmatum fuit. Ex quibus priscus inaugurandi Augustos ritus ediscitur, cum ab Episcopis etiam Gallicanis, omnia rata haberentur.

His peractis, principes aliquos, vt aduersus Germanorum Imperij studiosos, Francicas partes tuerentur, magnis sibi honoribus, muneribusque conciliauit; Bossonemque vxoris suæ fratrem, Prouinciæ, quæ Hermegardæ illius coniugis, patrique, atque auo Augustis paruerat, Regem appellauit; ratus, sanctiori iure, minoreque apud mortales inuidia, Prouinciam in Francorum ditionem redire posse. Tandem ex Italia

reuersus varia suscepit bella, nec multò post, veneno Mantuæ in finibus Allobrogum, à Sedechia Iudæo medico, propinato obijt, Anno Christi octingentesimo septuagesimo septimo, *vt vult Aimoinus.* Documento maximo, quod non tuto Christianorum salus, Iudæis credatur medicis.

ICON

CAROLI CALVI IMPERATORIS.

C*Arolus Caluus Ludouici Pij filius, vir subdolus, Vafer, alienique semper appetens; de litteris tamen bene meritus, vt pote qui collapsa penitus studia, in antiquam suam gloriam decusque restituerit. Imperio potitus Duces varios varijs prouincijs, vt Italiam in fide, officioque continerent imposuit. Tum in Galliam profectus Germanos, Ludouico eorum Rege defuncto, aggressus est, sed infæliciter. In Danos dein, seu Normannos, alternante fortuna mouit. Postremo audita, in Italiam irruptione, à Sarracenis, omnia peruastantibus facta, iam enim Tarentum occuparant, Salernitanosque, Amalpheranos, & Neapolitanos, vt Romanam ditionem inuaderent, pepulerant, rapto confestim in Alpes exercitu, contra hostiles copias aduolauit. Verum paulo post, superbiæ insimulatus, quod præter Francorum Principum morem, diademate, cæteroque habitu augustior sæpe in publicum prodiret, à suis sublatus fuit. Adeo perfida est, & maiestatis parum tuta, superbia.*

LVDOVICI BALBI IMPERATORIS Gesta, & Obitus.

Accepta Caroli Calui parentis morte, ad Richildem Augustam, maiestate nominis, ac fratre Bossone Prouinciæ Rege, nouercalibusque spiritibus inflatam, se contulit, ab eaque Regni insignia, quæ pater in Italiam profectus deposuerat eblanditus est, Anno Christi octingentesimo septuagesimo septimo. Sequenti vero à Ioanne octauo Pontifice, Augusti infulis, titulisque, reclamante licet Caroli Crassi factione, decoratus fuit, *vt habet Aimoinus lib. 5. cap. 37.* Moxque expeditionem suscipiens in Cœnomanos, Gottofredi Comitis filios, minus sui,

patriſque reuerentes, vltima paſſuros minatus eſt, ni quamprimum ad efficium redirent. Fœdus inſuper cum Ludouico, & Carolo Craſſo inijt, his legibus, vt Lotharingia inter Francos, Germanoſque æquis partibus diuideretur, neutriſque ius eſſet, alio loca, quam in Italia, de Imperio dimicare. His ita peractis, Compendium petijt, vbi Ludouico, & Carolomanno, ex priori coniuge Anſgarde, filijs ſuperſtitibus relictis, ſupremum diem expleuit, Anno Chriſti octingenteſimo ſeptuageſimo nono, quarto die Aprilis. Cæterum ſiue ob ancipitem Ioannis Pontificis animum, ſiue ob competitorum regiæ ſtirpis numerum, & merita haud inæqualia, interregnum ad biennium productum fuit.

ICON

LVDOVICI BALBI IMPERATORIS Occidentis & Francorum Regis.

LVdouicus, à linguæ impedimento Balbus cognominatus, Caroli Calui ex Helmentrude filius, iuſtitiæ, ac pietatis cultor eximius, turbationibus plurimis, per breuiſſimum principatum, iactatus fuit. Huic enim infenſi patrueles Germaniæ Reges, paternarum iniuriarum haud immemores, antiquos renouarunt tumultus, obrutumque incendium excitarunt. Armorici iugum nuper impoſitum excutere auidi; aſſiduæ item Normannorum incurſiones; & Richildis, atque Boſonis, quem Caluus Prouinciæ Regulum crearat, non obſcuræ coniurationis imbecillam Regis mentem, haud leuiter fatigarunt; vnus prope in Ludouici partibus ſtetit Ioannes octauus ſummus Pontifex, à quo Trecis Magno Galliæ concurſu coronatus, atque Imperio inauguratus, pacem, quam flagrantiſſime optauerat, cum Ludouico iuniore Germaniæ Rege firmauit. Verum cum iam ſummam de ſe ſpem, ac futuræ mox rerum fœlicitatis opinionem, extinctis bellorum fomitibus, concitaſſet, Compendij poſt alterum circiter Imperij ſui annum, graui, diuturnoque implicitus morbo, Imperator nullus fuit.

BASILII MACEDONIS IMPERATORIS Orientis Gesta.

Ludouicum Germaniæ Regem summis coluit muneribus, Anno Christi octingentesimo septuagesimo octauo, ac præsertim parte non modica Sacro-sanctæ Crucis, insigni crystallo auro, gemmisque ornato, vt illum, in Ludouicum Imperatorem illius nepotem, & cum quo grauis ei erat dissensio, ob Regnum Lotharij fratris accenderet; immo Aldegisum Beneuentanum Ducem, in eundem Augustum sollicitauit. Photium autem exulem Constantinopolim reuocauit; mortuoque Ignatio Patriarcha, sedi, è qua ante decennium eiectus fuerat, restituit; cuius rei nec feras, an leues pœnas luit, Constantino eius filio natu maximo breui extincto. Dein præstigijs, ac Necromantia Theodori Santabareni viri perditissimi in peiora dilapsus pseudo-synodo Photianæ subscripsit, Anno Christi octingentesimo septuagesimo nono, *vt testatur Nicetas, & alij.*

LVDOVICI TERTII FRANCORVM REGIS Gesta.

Extincto patre Balbo regijs insignibus donatus, rem cum Barbaris Reipublicæ hostibus, ipso principatus initio prospere gessit, Anno Christi octingentesimo septuagesimo nono, *Aimoinus, & alij.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Alfredus Princeps singulari virtute clarus, Athelfredo fratre Anglorum Rege, post insignem de Danis victoriam relatam, defuncto, rerum, omnium procerum votis potitus est, Anno Christi octingentesimo septuagesimo primo, *Polydoro teste, Matthæo Vestmonasteriensi, & alijs.*

Zuendebaldus Sclauorum Rex Calui Regis potentiam veritus, Carolomanno se dedit, à quo haud multo post, in vincula, quod noua in eum molitus fuisset, coniectus, solutus

tandem, totum pene Carolomanni exercitum inopinato aggressus pene deleuit.

Aldegisus Beneuentanus Dux, simulata ad Græcos defectione, in Ludouici Imperatoris prætorium nullo præsidio munitum, impressionem faciens, eum ad indigna pasciscì coëgit, Anno Christi octingentesimo septuagesimo secundo. Biennio vero post, è Corsica Insula regressus, Beneuentanum principatum recepit, Aionemque, filium ne, an fratrem, obscurum est, in consortem assumpsit, *vt vult Sigonius*.

Gregorius Dongalli filius eximia morum elegantia insignis, pacisque, ac belli artibus præstans, Etho Scotorum Rege, in carcerem, ob permulta famosa scelera, detruso; vel vt referunt, alij, interempto, Sconæ, patrio ritu, diademate ornatus fuit. Hic principatus initio sanctionem edidit, qua voluit vt posteri omnes ad huiusce fortunæ dignitatis fastigium euecti, fidei sacramento se obstringerent. Christianam Religionem summa ope se protecturos. *Leslaus*, *Hector Boëtius*, *& alij*.

Carolus Ludouici Germaniæ Regis natu minimus funesta in patrem meditatus, à Dæmone correptus fuit, grauiaque passus, *vt docent Annales Fuldenses*, Anno Christi octingentesimo septuagesimo tertio. Ludouicus Germaniæ Rex, Lothoringiæ partem Ludouico Imperatori restituit eodem anno. Proximo vero Sclauos rebellantes fortiter compressit, eorumque Ducem Zuendebaldum tributum annuum efferentem in gratiam recepit, immo & ipsos Boëmos; Anno autem Christi octingentesimo septuagesimo quinto, Carolomannum filium suum in Carolum Caluum, Romam vt Imperatoris insignibus ornaretur, properantem immisit, sed frustra. *Aimoinus*. Beorredus Merciorum Rex post multa, contra Danos, seu Normannos, Angliam varijs cladibus funestantes, suscepta bella, Regno cedere coactus, Romam se contulit. *Rogerius*.

Sueropilus Princeps, Hungarorum quondam Rex certior factus, quod Trebellius illius filius, Regnum ad Idolorum cultum traducere conaretur, è monasterio cui se vouerat, facultate concessa, egressus, cum ingenti cum exercitu profligauit, captumque, atque excæcatum carceri mancipauit, natoque minori, Regni totius administrationem commisit, Anno Christi octingentesimo septuagesimo sexto.

Bosso, Richildis Caroli Calui vxoris frater Mediolanensium Dux ab Imperatore creatus sub idem tempus Hermingardem Ludouici Augusti iam defuncti filiam in vxorem duxit. Anno autem sequenti Prouinciæ Rex acclamatus; *vt scribit Aimoinus, & Regino.*

Filij Ludouici Germaniæ Regis demortui paternum Regnum ita inter se partiti sunt, vt Carolomanno Baioaria, Pannonia, Carantanum, Boëmia, & Morauia euenerit; Ludouico Franconia, Thuringia, Saxonia, Frisia, & pars Lotharingiæ. Crasso denique Alemannia, & altera Lotharingia. *Sigonius.*

Bernardus Carpensis, Sanctij Saldaniæ Comitis filius in Asturibus regio cultu educatus, habitusque fuit, tum bellica instructus arte, tantam rerum gestarum gloriam apud omnes proceres sibi peperit, vt illius potissimum virtute, tota stare Respublica videretur. Hic patris in vinculis, Alfonsi Regis iussu detenti, quod Semenam matrem ipsius Regis sororem, foro sibi, nullo fratris respectu, iunxisset, memoria grauiter afflictus, Alfonsum de patris liberatione, hisce verbis interpellare ausus est. Satis pœnarum tot annorum vinculis, Patri datum est, Rex clementissime; Senis iam diuturna calamitas, squaforque te moueat; filijque meritis, paternam noxam condona; quod si neque propinquitatis respectu, neque fidelis obsequij constantia flecti possis; frustra maiora præmia sperari poterunt. Verum repulsam passus, aula extemplo cessit, multisque prosequentibus, duodecimo ab vrbe Salmantica lapide, Carpiam arcem, vnde Carpensis dictus est, exædificauit; dein varijs excursionibus regiam ditionem identidem inuadere, prædas agere, agros vastare, & diripere cœpit; Maurosque qui Christianos fines depopulati sunt, euocauit. Quibus Rex anxius, Bernardi postulata annuit, modo arcem illi traderet, quod ipse confestim, paternæ mortis inscius præstitit. Sed cum arce spoliatus, pater non redderetur per Galliam, & Vascones errabundus vitam in luctu, mœroreque peregit. Quidam scribunt eum constanti animo; fortunæ iniurias tulisse, strenuamque Regi operam, dum vixit, nauasse. *Ioannes Vasæus, & alij.*

Albertus Comes Spoletanus, Alberto Bonifacij filio,

& Tusciæ Marchione eiusdem facinoris consorte accito hostili in vrbem agmine delatus, Anno proximo, Christi scilicet octingentesimo septuagesimo octauo, Ioanneque summo Pontifice comprehenso, Senatum populumque Romanum in Carolomanni Bauariæ Regis verba iurare compulit, Anno Christi octingentesimo septuagesimo octauo. *Aimoinus, & alij.*

Photius astu mirabili in Basilij Imperatoris gratiam receptus, Byzantium reuocatur. Nouerat siquidem veterator Augusti vanitatem, qua priscæ nobilitatis decus affectabat. Confictum itaque, compactumque ex fumosis membranis, atque antiquis characteribus librum in bibliothecam regiam clanculum inferri curauit. Et quasi casu in ea repertum, multis inspiciendum tradi. Porro cum ignoti vulgo essent characteres, vnum Photium idoneum futurum interpretem, doli gnarus asseruit. Quare ad illum quamprimum defertur, qui veluti admirabundus, multa in eo contineri dixit, quæ Augusti gloriam, priscamque nobilitatem spectarent. Ad hæc, tanta Augusti ea addiscendi incessit cupido, vt continuo hominem ad se deduci iusserit; dein stupenda ab ipso edoctus, ipsi per summam leuitatem fidem adhibuit, *vt refert Curopalates, & alij.*

Gitro Danorum Rex, post Angliam vniuersam fere sibi subactam, ab Aelfredo Rege, qui diu profugus apud adiacentem Angliæ Insulam delituerat, oppressus, obsessusque, vita ea lege donatus fuit, vt Christianis inauguraretur mysterijs, quod & magno suo, suorumque bono præstitit; Aelfredusque nuncupatus, Angliam totam diuino plenus numine ad fidem traduxit, *vt refert Matthæus Vestmonasteriensis.*

Ludouici Germaniæ Regis filij, Regni partem, quæ patrueli contigerat inter se diuidunt, Carolomannus tamen, suo contentus principatu, fratribus, quæ obuenerant concessit. *Annales Fuldenses.*

Alfonsus Gallæciæ Rex in Hispania, Arabumque terror, munitione, aduersus Sarracenos, ac Normannos, Oueti excitata, eam non tam militum, quam sacrarum reliquiarum, quas vndiquaque conquisierat, præsidio firmauit, eodem Christi Anno octingentesimo septuagesimo octauo.

Balduinus cognomento Caluus, à Carolo Caluo Cæsare auo materno, *vt habet Flandriæ Chronicon*; Balduino fratre Comite

mite extincto rei curam suscepit, Anno Christi octingentesimo septuagesimo nono.

Ludouicus Germaniæ Rex in Gallias profectus anno sequenti, Balbi filios in tutelam accepit, Regnaque partitus est; Ludouico natu maiori, Francia, & Neustria obtigit; Carolomanno vero Burgundia, & Aquitania. Dein Carolomanno fratre mortuo, Bauariæ Regem salutari se iussit. Nec multo post Bossonem, Tyrannidem affectantem, è Francia expulit. *Ita Aimoinus, & alij.*

VIRI ERVDITI.

Bristanus Ordinis S. Benedicti monachus, vir ingenij cultissimi, humaniores litteras amplexus, Poësi præcipue, & Musicæ incubuit, *vt habet Inguiphus*, qui asserit eum monasterij Corylandensis luctuosam cladem, stricta oratione exposuisse.

Nœtus Aldulphus nobili ortus prosapia, insignis eruditionis fama celebris, Alfredoque Regi percarus, & cui auctor fuit, vt Scholas Exiouenses, nobiles illas Anglorum Athenas, Marti ereptas, Musis restitueret, Anno Christi octingentesimo septuagesimo tertio. Hic librum de viuendi ratione, ad eundem Regem scripsit.

OPERA PVBLICA.

Rodoaldus Gastaldio Aquinas, Castrum apud montem Curuum, in quo olim Fragellæ inclyta quondam Romanorum Colonia fuit, firmissimum præsidium, atque propugnaculum, contra omnes hostium impetus, magnis extruxit sumptibus, Anno Christi octingentesimo septuagesimo quarto, Curuumque, pontis nomine appellauit. *Sigonius.*

PRODIGIA.

Nubes in aëre, veluti instructi quidam exercitus, igneis speculis concurrerunt quarto idus Augusti, Anni Christi octingentesimi primi, *vt refert Conradus.* Triennio post sanguis è cœlo trium dierum, noctiumque spatio copiosè apud Brixiam Longobardorum ciuitatem fluxit. *Sigonio teste.*

Stupendum locustarum agmen in Francia, Belgioque apparuit, eodem Christi Anno octingentesimo septuagesimo quarto; quibus alæ sex, pedes totidem, & duo, lapidea duritie, dentes. Cæterum quoties ad nouas sedes quærendi pabuli caussa, migrandum erat, militaris disciplinæ speciem præferebant; ductores siquidem aliqui assiduè præibant; vt locum toti agmini metarentur. Dein peruesperi è statione diuturna exeuntes, ad paratam, in crastinum diem, ferebantur; vbi solis ortum præstolantes, dato à ductoribus signo, frutices derepente omnes, herbas, arbores, & quidquid tenerum erat, magna ingluuie, quatuor fere passuum millia depascebantur. Longo tamen emenso dierum tractu, fœdissima è meridie exorta tempestas, totum illud funestum agmen in Britannicum Oceanum præceps egit. Verum inquieti, & cadauerum impatientis maris æstus, eas sordes continuo in littus euomuit. His autem ad solis ardorem putrescentibus, aër tanto fœtore infectus fuit, vt ea labe plurimi per Gallias, Belgiumque mortales absumpti fuerint. *Aimoinus, Annales Fuldenses, Regino, & Iacobus Meierius; qui hæc ad Annum octingentesimum septuagesimum refert.*

RES BELLICÆ.

Ludouicus Imperator omni cura in Sarracenos intentus, trecentarum nauium classe Basilij Orientis Augusti subnixus, Barium terrestribus, maritimisque viribus adortus est, Anno Christi octingentesimo septuagesimo primo; fessisque, superioribus oppugnationibus, Sarracenis, in deditionem, anno ab obsidione quarto accepit; Seodoanum vero, eorum Principem comprehensum, breui post, malo suo fato, dimisit. Hic enim accitis quamprimum nouis ex Africa copijs, Capuam, aliaque finitima oppida, suæ ditionis fecit. Quam ob rem, Ludouicus furens, agmen, in perfidum hostem, citatum rapit; cæteraque oppida, haud magno negotio, recepit; Capua autem, fame grassante, in deditionem venit, *vt habet Leo Ostiensis.* Syracusas vero à Sarracenis captas, testatur *Cedrenus.*

Basilius Macedo Græcus Imperator Chrysochirum Barbarorum Ducem, & Imperij depopulatorem oppressit, expugnatis nonnullis illius oppidis, totaque Theophrica regione vastata;

ac Samosata ex improuiso recepta; Curitio insuper Armenorum Ductore in fidem recepto; atque alijs trans Euphratem direptis munitionibus, tentataque Militene in Armenia. Quibus peractis, Constantinopolim reuersus apparatissimum triumphum egit sub idem tempus. *Curopalates*. Dani item vniuersa Orientali Anglia magnis excursionibus afflicta, in Occidentalem arma vertere. Hos tamen Athelredus secundo Marte deleuit. *Rogerius*.

Anno vero octingentesimo secundo Ludouicus Imperator tria Sarracenorum millia, per Comites suos apud Capuam cæcidit. *Sigonius*. Sarraceni in Calabriam, eodem Christi anno, profecti, eam varijs populationibus dilacerarunt; tum conscensis nauibus in Africam se receperunt. *Leo Ostiensis*.

Ludouicus insuper Germaniæ Rex Meroueam rebellantem fortiter perdomuit. *Auentinus*.

Expeditionem in Syriam suscepit Basilius Macedo, Anno Christi octingentesimo septuagesimo tertio, Cæsareaque Cappadociæ occupata plurimas victricibus armis incursauit regiones. *Cedrenus*. Rodolphus Normannus in Frisiam irrupit, cui Frisij fortiter resistentes, captum tandem eum obtruncarunt. *Annales Fuldenses*. Alfonsus Hispaniæ Rex in Sarracenorum fines hostiliter irruit. *Hispaniæ Historici*.

Andreas Scytha, à Basilio Imperatore, in Sarracenos immissus, Anno Christi octingentesimo septuagesimo quarto, Basilij quarto, ingenti eos prælio deuicit. *Cedrenus*. Toletani ditiones iterum Alfonsi euastant, plurimo effuso sanguine. *Mariana*. Normanni Andegauensem ciuitatem fœde depopulati sunt; capta quidem vrbs fuit, sed mox reddita. *Regino*. Alfonsus Rex, Francorum, Vasconum, Cantabrorumque auxilijs auctus, funesta, eodem anno, in Mauros arma sumpsit; Oppida direpta, abactæ prædæ, exercitusque, Mauricis spolijs, grauis, diuesque dimissus fuit. *Historia Hispanica*.

Ludouicus, Ludouici Imperatoris filius, correpto raptim, Anno Christi octingentesimo septuagesimo sexto, Saxonum, Thuringorumque veterum Francorum hostium exercitu, mouit in Carolum Caluum, à Ioanne octauo summo Pontifice, Augustum appellatum. Cui Carolus haud minoribus copijs succinctus occurrit. Cunctatum est diu, mutuaque virtutis

admiratione suspensæ, ac defixæ acies hæserunt; iamque ad pacem vterque inclinabat exercitus, cum Caroli dolo, prælium iniquissimum exortum est. Etenim primis se intendentibus tenebris, traiecta, sine vllo strepitu, exercitus parte, Germanos occultis insidijs, conatus est intercipere. Verum detecta fraude, hostium insidias, insidijs vindicaturus Germanus, diuersus ab itinere, quo Carolum venturum resciuerat, in edito colle consistit, Francumque militem, nocturnis imbribus, & difficili itinere fatigatum, ex improuiso, è superiori loco, velut nimbus, tanta vi, excepit, vt missis vndique telis, hostem obruerit. Sic miserabili clade deletus exercitus; in fugam versus Carolus, vix insequentium manus effugit. Castra direpta, vasa expilata, ingens virorum illustrium numerus desideratus. Reliqui vagi, ac palantes, cæsi partim, partim spoliati. Addita etiam tantæ cladi ignominia; quippe dimissi nudi, eò rerum redacti Franci, vt ex herbarum toris, ac fœni arentis manipulis, tegumenta sibi miseri consuerint. Normanni Gallias eodem anno diripuerunt, *vt docet Regino.* Dani vero Angliam. *Polydorus.*

Sarraceni, qui Tarenti remanserant, collectis copijs, Barium, atque finitima loca populabundi percurrunt, ac Salernetanos, Amalfitanos, & Neapolitanos impulerunt, vt iunctis viribus, vrbem inuaderent. Quibus perculsus Pontifex, pacem, tributi annui pensitatione, firmauit, Anno Christi octingentesimo septuagesimo septimo.

Docibilis Dux Caietanus Sarracenos acciuit, vt sibi auxilio essent, Caietamque adductos, Formianis in collibus collocauit, immo Garilianam arcem quam ipse ad Lirim amnem construxerat, concessit, eodem Christi anno, *vt scribit Leo Ostiensis.*

Ludouicus, & Carolomannus Francorum Reges, fœdere cum Ludouico Germaniæ Rege inito, signa contra Bossonem, qui occupata Burgundia, regium sibi nomen assumpserat, intulerunt, Anno Christi octingentesimo septuagesimo nono.

Normanni expeditionem in Germaniam suscipiunt contra Saxonas, Ludouico, & Carolomanno rebus alijs occupatis. Atrox commissa est pugna, Saxonesque hostium multitudine ad internecionem deleti fuere. *Annales Fuldenses.* Tharcenses

Euripum inuadunt eodem Christi Anno octingentesimo septuagesimo nono, sed infœliciter. Cretensis item classis bis victa; primo in Ægei maris faucibus, dein prope Corinthum, *vt vult Cedrenus.*

Normannos ad Scaldim fluuium oppressit Ludouicus Germaniæ Rex anno sequenti, cæsis quinque hostium millibus. Boëmi & Sorobari certiores facti de Saxonum clade, à Nomannis superiori anno edita; Thuringos magnis incursionibus affligunt, variasque prædas agunt. Hos tamen Poppo Comes, & Marchio penitus attriuit. *Annales Fuldenses.* Sarracenorum classis ex Africa in Græciam delata multos abduxit captiuos. Classiarij Basilij Imperatoris Orientis hostium metu diffugiunt, breui tamen ad officium reducti, magna clade, Sarracenos affecere. Inde in Siciliam itum, vrbesque Maritimas à Sarracenis captas haud magno certamine recuperarunt. In Italia insuper hæc classis rem prospere gessit, multaque cum præda ad Imperatorem reuersa. *Cedrenus, & alij.*

Ludouicus Germaniæ Rex, & Carolus Crassus, Bossonem nouum Regem è Francia expulerunt; Viennamque obsedere, *vt habet Auentinus.* Carolus Crassus Sarracenis in Italiam euocatis, omniaque euastantibus Longobardorum Regnum occupauit, nec multo post in deditionem accepit. Normanni denique iterum Gallias cædibus, atque incendijs funestarunt. *Annales Fuldenses.*

OBITVS ILLVSTRES.

Athelredus Angliæ Rex multis victorijs inclytus viuere desijt, Anno Christi octingentesimo septuagesimo primo. *Historia Anglica.*

Adelgisus è Corsica, quò confugerat regressus, Beneuentanoque principatui restitutus, morbo sublatus fuit, Anno Christi octingentesimo septuagesimo quarto. *Sigonius.*

Abdila Sarracenorum Princeps Salernum obsidens, dum noctu in strato suo, sacro altari sanctorum martyrum Fortunati, Caij, & Anthes, superposito, stuprum reluctanti cuidam virgini inferret, trabe à tecto in eum immissa, illæsa virgine, perijt. *Ita Herempertus in rebus gestis, Longobardorum Principum Beneuentanorum.*


Berorredus, Merciorum Rex, Regno profugus supremum vitæ suæ diem expleuit, vna cum coniuge, eodem Christi Anno octingentesimo septuagesimo quarto. *Rogerius.*

Ludouicus Germaniæ Rex fatis concessit quinto Kalendas Septembris Anni Christi octingentesimi septuagesimi sexti. *Annales Fuldenses.*

Sergius Neapolitanus Dux, Sarracenis fauens, interemptus fuit anno sequenti. Balduinus Ferreus hominem Atrebati exuit, omnium Flandrorum luctu, ob eximias virtutes quibus eminebat. *Iacobus Meierius.*

Carolomannus Bauariæ, & Italiæ Rex, vir religiosissimus, litteris eruditus, & laudis bellicæ haud expers, quippe qui cum Ludouico patre, ipsoque absente; sæuientem Sclauorum ferociam, multis prælijs secundo marte compressisset, paralysi oppressus in Bauariæ ad Odingas, occubuit, *vt habet Sigonius.*





DECAS NONA.

BASILII IMPERATORIS ORIENTIS Gesta, & Obitus.

LEonem filium suum, quem per septennium Theodori Santabareni calumnijs insimulatum, in carcere habuerat, psittici cuiusdam occasione, vocem hanc ἆι, ἆι, χύριελεῶν identidem repetentis, senatusque rogatu, liberum dimisit, pristinoque restitutum honori, hæredem creauit, immo in illius gratiam, præcepta quædam eximia, quibus Religionem Christianam enixe commendabat, sexaginta sex capitibus comprehensa, & quorum principes, seu capitales litteræ hanc sententiam referebant,

[BASILIVS IN CHRISTO ROMANORVM IMPERATOR, LEONI CARO FILIO, ET IMPERII COLLEGÆ,]

pie, eruditeque composuit; tum breui post nouo prorsus casu, Sceptrum cum vita deposuit, Anno Christi octingentesimo octogesimo sexto, principatus vero sui vndeuigesimo. Ingentem enim percussurus ceruum, ab eoque cornuum ramis zonæ implicitis raptatus, læsis intestinis interijt. Sicque fortissimus Imperator, à timidissimo animali, mortem hausit. *Cedrenus, & alij Græci Historici.*

ICON

BASILII IMPERATORIS ORIENTIS

BAsilius obscuro genere in Macedonia natus, Imperium annis vndeuiginti prospere tenuit; publicam siquidem rem, Michaelis ignauia, perditam, confestim recreauit. Christianam pietatem, aliasque virtutes,

quæ in eo summe elucebant impense coluit; neque alius plura templa vel restaurauit, vel condidit. Iudæos magna pecuniæ vi, ad Christi sacra pellexit; Barbarorum quoque multitudinem magnam, ad fidem traduxit, In caritate annonæ apertis horreis, maximo cum fisci detrimento, populi inopiam leuauit. Manichæos, Chrysochire Duce, Romanis infestos penitus oppressit. Sarracenos autem, Tarsi regnantes, Andreæ viri pijssimi, ac militari arte illustrissimi opera, magno prælio deuicit; aliaque permulta secunda bella, fauente diuino numine, suscepit. Princeps, summos inter numerandus, ni Photij, & Santabareni præstigijs delusus, in eorum famosam hæresim dilapsus fuisset. O Græcia infælix, si quos enim præstantes, ac Barbaris metuendos habuisti Cæsares, Iustinianum puta, Heraclium, & Basilium, eos proh dolor Schismata varia inglorios, funestosque reddidere.

LEONIS IMPERATORIS ORIENTIS Gesta.

Basilio defuncto successit Leo ipsius filius Porphyrogenitus, ac Philosophus nuncupatus, *vt vult Curopalates.* Hic liberas natus habenas Photium Patriarcham è sede expulit, Stephano germano in illius locum subrogato. Santabaranum vero secta Manichæum; professione Magum; simulatione Christianum, ac præstigijs, quibus miracula affectabat, sanctum, à Basilio Augusto creditum, flagris cæsum, excæcatumque, Athenas in exilium misit. Scythicis insuper nationibus è suis egressis finibus, Prouincias, quæ Croatia, & Seruia dein dictæ fuere, concessit, *vt refert citatus Auctor, & alij non pauci.*

CAROLI CRASSI IMPERATORIS Occidentis Gesta, & Obitus.

Italiæ Regno potitus, Augusti nomen, atque insignia, Ioanne octauo summo Pontifice deferente, Romæ, ipso Christi natali die Anni octingentesimi octogesimi primi consecutus est, vt patet ex ipsius diplomate. Tum Lombardiam repetens, Rauennam sub itinere inuasit, fœdusque inter Venetos, & Italos sibi subditos, in quinquennium renouauit. Sanxit insuper, vt Sclaui, qui mare assiduis latrocinijs infestum habebant;

bant, non solum communibus armis arcerentur, sed etiam peterentur. Inde, nono Kalendas Iunij, Nouantulā se contulit.

A Francis Carolomanno eorum Rege extincto, in Regem ob Caroli simplicis ætatem adscitus, in Gallias contra Normannos, innumerabili Italorum, Boiorum, ac Francorum contracta manu profectus est; dein pacem cum ijs, data in matrimonium Gisla, Lotharij quondam Regis filia, cum dotali Frisia, Gottofredo illorum Regi, firmauit. *Ita Sigebertus, Aimoinus, Annales Fuldenses, & alij Historici.*

Italiam repetijt sub idem tempus, eaque pacata, in Germaniam venit, Scotorumque fide in Galliæ Regnum obseruata, viginti quatuor Scotos, corporis sui custodes primus sibi elegit; quorum nonnulli, per vices, nocte, dieque, excubias, vigiliasque agentes, Regi adstabant. Quo munere adeo fideliter, strenueque functi sunt, vt illud in hanc nostram ætatem, penes illos remanserit. *Ita Leslaus, & alij.*

Ludouicum Comitem Thuringiæ præfecit, Anno Christi octingentesimo octogesimo sexto. Proximo vero Lutetia à Normannis secundo acriter oppugnata, Henricoque ipsius Duce, contra eos immisso, crudeliter obtruncato; veritus ne latius victricibus armis vagarentur, Neustriam, Normanniam postea ab iis dictam, illis tradidit. Verum cum diu summis stare negatum sit; Regio mox exutus nomine, in tantam incidit calamitatem, vt vitam precario quærere coactus fuerit. Qua ex re, graui in dies mœrore tabescens, extremum vitæ diem, pridie idus Ianuarij, Anni Christi octingentesimi octogesimi octaui, indictione sexta, expleuit. Placet hic tanti Imperatoris Epitaphium attexere, quo præter eius facta, ac primam fœlicitatem, iocantis fortunæ malignitas præclare depingitur.

[CAROLVS CRASSVS REX SVEVIÆ; PRONEPOS CAROLI MAGNI, ITALIAM POTENTER INTRAVIT. EAMQVE DEVICIT. IMPERIVMQVE ROMANVM, VBI CÆSAR CORONATVS OBTINVIT. AC MORTVO FRATRE LVDOVICO. VNIVERSAM GERMANIAM, ET GALLIAM IVRE HÆREDITARIO ACQVISIVIT. DEMVM ANIMO, MENTE, ET CORPORE DEFICIENS, AB IMPERIO SANE MAGNO. CVM FORTVNÆ LVDIBRIO DEIECTVS. A SVIS OMNIBVS POSTPOSITVS. HVMILI HOC IN LOCO SEPVLTVS IACET.]

ICON

CAROLI CRASSI IMPERATORIS Occidentis.

Carolus iunior, Ludouici Germaniæ quondam Regis filius, Crassus ob corporis habitudinem cognominatus, Ludouico fratre Germaniæ Rege immatura morte sublato, Sceptrum sibi assumpsit; omniaque Francorum Regna, quæ illius maiores, plurimo effuso sanguine consecuti fuerant, tenuit. Italiam vero ingenti cum exercitu, aduersus Sarracenos ingressus, rem, Lombardia occupata, fæliciter gessit; Augustusque acclamatus fuit. Mox rebus compositis, in Galliam profectus, Normannis, adiunctis Danis, Ambianorum, Attrebatium, Cameracensium, Morimorum, Merapiorum, Brabancinorumque fines, Gotofredo, ac Sigifredo Regibus diripientibus occurrit; eosque post varia commissa certamina, in suam, immo Christi ditionem, regia affinitate adduxit. Sed O Principum indignissimas vices. Quis fortunæ mutationes? Quis dubios rerum humanarum casus, mirari satis queat? Carolus quem nuper tanto ambitu Italia, Francia, Germania, Regem, Imperatorem, totque gentium, ac populorum Principem orbis salutarat, Caroloque Magno ortum, momento temporis, Imperio, Regnis, Principatibus, subditis, seruis, honoribus, tecto cubili, pane spoliatus, fuit, vixque relicto spiritu, quem ægre duceret. Regiæ certè infælicitatis exemplum. Solet namque fortuna, quos plurimis beneficijs ornauit, ad deteriorem casum reseruare.

LVDOVICI TERTII FRANCORVM REGIS Gesta, & Obitus.

Infesta signa in hostes Imperij Francici, qui, Picardia fœdè euastata, Flandria, & Lotharingia, Gallias iterum, ferro, ac sanguine complebant, prospere intulit, Anno Christi octingentesimo octogesimo secundo. Tum Turones profectus, morte sublauit fuit. *Aimoinus, & alij.*

ICON

LVDOVICI TERTII FRANCORVM REGIS.

LVdouicus Balbi quondam Francorum Regis, & Imperatoris Occidentis filius, Regno, iam abhinc multis annis, crebris hostium cladibus labefactato, immo pene conuulso potitus, nihil antiquius habuit quam illud in pristinum suum decus restituere. Et vero ipso principatus initio, Bossonem Tyrannidem affectantem, è Gallia fælicibus armis expulit. Dein in Normannorum copias, ita prospere irruit, vt eas duplici prælio penitus oppresserit, altero quidem ad Vigennam, in Pictonum, Turonumque finibus; altero, iuxta Schaldim fluuium; totque victorijs inclytus Turones se contulit, vbi omnium principum luctu, morbo occubuit. Sic enim parta augusta decora, fato ineuitabili, dilabuntur.

CAROLOMANNI FRANCORVM REGIS Gesta, & Obitus.

Pacem cum Barbaris longe, lateque grassantibus firmauit; breuique post dum feram, venationi deditus, venabulo premit, lethali saucius vulnere, perijt. *Aimoinus, Regino, & alij.*

ICON

CAROLOMANNI FRANCORVM REGIS.

CArolomannus Ludouici tertij Francorum Regis iam defuncti frater, regimen omnium suffragijs, votisque suscepit; captaque Vienna, Hermengardem Bossonis vxorem in potestatem adduxit. Tum Normannos, maioribus viribus Galliam repetentes, impar tanti belli molem sustinendi, ingenti auri vi, è finibus eiecit. Rebus autem ita compositis, dum sperat summa pace, ac tranquillitate perfrui, bellis omnibus extinctis, immatura morte abripitur. Hominum siquidem fælicitas purpuræ sæpe illudit.

Hhh ij

EVDONIS FRANCORVM REGIS GESTA.

Repudiato Carolo Crasso Rege, qui Carolomanno successerat, ex Comite Parisiensi Franciæ Rex publice communi applausu renuntiatus fuit. Normannos fœlicibus aliquot prælijs deuicit; Lutetiamque à Barbaris obsessam secundo Marte liberauit, *vt refert Otho Frisingensis, & alij.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Gregorius Scotorum Rex, Fifam, & Laudoniam, expulsis inde Danis, Pictisque, suo Imperio adiunxit, Anno Christi octingentesimo octogesimo primo, Caroli Crassi primo, Basilij decimo quinto. Mox pari fœlicitate Northumbria occupata, Britannos ex antiquis Scotorum finibus eiecit. *Leslaus, Buchananus, & alij.*

Ioannes Patricius Venetorum Dux, Vrso patre defuncto, salutatus, Anno Christi octingentesimo octogesimo secundo, Caroli Crassi secundo, Basilij decimo sexto, Baduarium fratrem in Italiam confestim misit, vt Comaclensi Comitatu à Ioanne Pontifice donaretur. Qua de re certior factus Marinus Comes, eum sub itinere adortus est, grauique affectum vulnere, comprehendit, tum sacramento obstrictum, se nunquam iniuriam illam, neque armis, neque iure persecuturum, dimisit. Quo audito nuntio Ioannes Patricius, Comaclum subita vi inuasit, in auctoremque iniuriæ hostiliter desæuijt. Mox periculoso implicitus morbo, Petrum alterum ex duobus fratribus, qui supererant in collegam, applaudente populo, adsciuit; eoque paulo post sublato, Vrsum fratrem vnicum superstitem, sibi coaptauit, *vt habent Venetorum Annales.*

Vuido Comes maiestatis reus, apud Carolum Crassum Imperatorem accusatus, fuga ad Sarracenos confugiens sibi consuluit, fœdusque cum illis inijt anno proximo. *Annales Fuldenses.* Toloni Amiræ Ægypti extincto successit sub idem tempus, Amarim ipsius filius, *vt vult Zacuthi.*

Alfonsus Magnus Gallæciæ Rex in Hispania, vt subditos sibi populos fessos grauiter, fractosque tot bellorum tumultibus, recrearet; inducias cum Mahomede Sarracenorum Rege, qui Cordubæ sedem fixerat, ad sexcennium pactus est, Anno Christi octingentesimo octogesimo quarto, Caroli Crassi quarto, Basilij decimo octauo. *Historia Hispaniæ.*

Hugo ex Valdrada, & Lothario natus, consilia de recuperanda Gallia, Carolomanno Rege mortuo, moliens, Gothofredum Normanorum Regem, suumque affinem in societatem acciuit anno sequenti. Verum Caroli Crassi Imperatoris insidijs captus, luminibus priuatus fuit, *vt testatur Regino, & alij.* Admundar Mahomades defuncti filius, Cordubæ Regnum, Maurorum omnium suffragijs, suscepit, Anno Christi octingentesimo octogesimo sexto, Caroli Crassi sexto, Basilij vigesimo. *Rodericus Toletanus.*

Vuido Longobardiæ Dux audita Basilij, Orientis Augusti morte, Romano fœdere disrupto, à Græcorum amicitia defecit, omnemque sibi prouinciam vendicauit eodem Christi anno. Anno vero octingentesimo nonagesimo, Leonis sexti Imperatoris Orientis quinto, spe Galliæ, Eudonis Regis potentia, deiectus, Italiæ Regnum, fauentibus Romanis, occupauit; victumque bis acie Berengarium, Italia expulit; *Luitprando teste eius sæculi scriptore.* Astingus Danorum Princeps, baptismo simulate suscepto, ingentem Angliæ cladem intulit; Eius etiam Tyrannidem Gallia experta est; *vt docent Anglici Historici.*

Petrus Candianus in locum Ioannis Patritiaci abdicantis se magistratu, subrogatus fuit, Venetorumque Dux acclamatus, Anno Christi octingentesimo octogesimo septimo, Caroli Crassi septimo, & Leonis secundo. Eius tamen principatus breuissimus fuit, mense enim quinto, in acie occubuit. Eo vero cæso, Ioannes Patriciacus, populi precibus fatigatus, rerum iterum administrationem sumpsit, nec multo post, Petrus cognominatus Tribunus, Dux renunciatus fuit, *vt habet Coccius Sabellicus.*

Arnulphus Carolomanni ex pellice filius, Austriæque, atque Corinthiæ Dux illustrissimus, Rex à Germanis creatus fuit anno proximo. Non autem Imperator, *vt asserunt antiqui Scri-*

ptores. Nefas ſiquidem erat, Imperatoris nomen tribuere, niſi prius à ſummo Pontifice collatum fuiſſet; quod, niſi poſt plures annos, ei contigit. *Luithprando teſte*, *&* *alijs*, vt tamen ſibi viam ad Imperium faceret, amicitijs quorundam ſe munijt, Zendebaldumque, ſeu Zuendebaldum familiarem ſuum, Boëmiæ Regem creauit. *Ita Sigebertus*.

Rodulphus Comes, & Richardi Ducis filius, Rex à Tranſiurana Burgundia (quæ Sabaudiam, & nunc dictos Heluetios continebat, vſque ad Alpes) appellatus fuit, eodem Chriſti Anno octingenteſimo octogeſimo octauo, Leonis tertio; Regnumque inuito Arnulpho retinuit, cum ſucceſſione ad poſteros per annos centum quadraginta duos, vel centum quadraginta quatuor, vt *docet Regino*.

VIRI ERVDITI.

Ioannes Erigena, ſeu Eurigena, vt habet Suffridus ex codicibus Genbacenſi, & Affliginienſi, Britannus genere, patria Demeta, vrbe Meneua, quæ S. Dauidis vocatur, & Patricio genitus, vir ingenij pacati, & ad bonas litteras capeſſendas felicis. Athenas Muſarum cultor ſe contulit, vbi Græcam linguam, Chaldæam, & Arabicam apprime didicit, rebuſque Philoſophis ſumme incubuit. Tum Gallias profectus, Carolo Caluo, & Ludouico Balbo Regibus, totique aulæ ſummo in pretio fuit. Dein ab Alfredo Angliæ Rege euocatus, eius filios multiplici eruditione excoluit. Ariſtotelis moralia de regimine Principum Chaldaico, atque Arabico idiomate donauit; libroſque nouem in eadem moralia compoſuit; dogmata item Philoſophica, & permultas Epiſtolas.

Alfredus, cognomento Magnus, natione Anglus, patria Bercherienſis, quartus, & vltimus Ethelulphi Regis filius, & illius hæres, ad ſcientias omnes à natura efformatus, Muſas à Pueritia maxime coluit, varioſque verſus rithmicos, tenella illa ætate, contexuit; ſtudiorum dein grauiorum accreuit amor. Rex acclamatus nullos alios ſibi conſiliarios adſciuit, quam viros doctrina, ac pietate præſtantes. Humanioribus denique diſciplinis, ſcientijſque Mathematicis, Philoſophicis, atque Hiſtoricis inſtructus, muſas poſt longum emenſum, exilium

magno cum apparatu Oxonium reuocauit. Cæterum Breuiarium legum in lucem dedit, librumque vnum contra iniquos Iudices. Acta præterea suorum Magistratuum scripsit; Regumque varias fortunas; Parabolas, ac sales; Chronicorum collectiones; Asserij sententias; Leges Martianas; & Bedæ Historiam. *Pitsæus.*

Verefridus, Verefricum vocat Guillielmus Malmesberiensis, vir maxime apud Historicos celebratus, varia composuit, quæ vel flammæ voraces, inter bellorum incendia, sustulerunt, vel obliuio longinqui temporis obscurauit. Hoc saltem testatur præfatus *Auctor lib. 2. de gestis Regum Anglorum*, eum Alfredi Regis iussu, dialogorum libros S. Gregorij Papæ è latina, in Saxonicam linguam transtulisse.

OPERA PVBLICA.

Iacta fuere Venetijs prope Basilicam S. Marci, Anno Christi octingentesimo octogesimo octauo, Leonis Imperatoris tertio, turris quadratæ fundamenta; latitudine pedum quadraginta, *vt docent Venetorum Annales.*

PRODIGIA.

Stupendæ magnitudinis Cometa apparuit, Anno Christi octingentesimo octogesimo secundo, Caroli secundo Basilij decimo sexto. Decimo vero quinto Kalendis Februarij eiusdem anni Crinitum Sydus, *teste Conrado.* Lupus item in templo Aurelianensis vrbis illustrissimæ, arrepto, dentibus suis, fune, consueto more insonuit; *vt refert Glaber Rodolphus, eorum temporum probatus Historicus.*

CALAMITATES.

Vehemens terræ concussio Hispaniam magna hominum, ædiumque strage, quassauit, Anno Christi octingentesimo octogesimo primo, Caroli Crassi primo, Basilij decimo quinto, *vt vult Mariana.* Sequenti vero, Moguntia ijsdem motibus afflicta fuit. *Auctore Conrado.*

Grauia, aquarum inundatio Venetijs damna intulit, Anno Christi octingentesimo octogesimo quinto. Caroli Crassi quinto, Basilij decimo nono. *Ita Sigonius.* Anno autem octingentesimo octogesimo nono, incendium adeo fœdum, furensque, tanta flammarum vi Aurelianensem vrbem amplissimam corripuit, vt eam omni ope humana frustra aduersante, penitus exhauserit. *Glaber Rodolphus lib. 2. cap. 5.*

RES BELLICÆ.

Ludouicus tertius Francorum Rex, in Bossonem Tyrannidem affectantem mouit, Anno Christi octingentesimo octogesimo primo, Caroli Crassi primo, Basilij decimo quinto; Viennamque Allobrogum Vrbem, Senatoriam aliquando dictam, *vt habet Paradinus*, acriter oppugnauit. *Regino, Aimoinus, & alij.*

Normanni Saxoniam populati, post insignem de Germanis victoriam, in Galliam late terrorem circumferentes, transgresso Rheno, penetrarunt. Quo audito nuntio, Ludouicus, Carolomanno fratre, ad Viennæ obsidionem, quam multis antea mensibus fuerat aggressus, relicto, cum aliqua copiarum parte obuiam venit Barbaris, quos fœlicibus profligauit auspicijs; fœdusque cum ijs inijt. His ita compositis Normanni, conuerso in Cisrhenanam Germaniam, belli impetu, fœda vbique vestigia reliquerunt. Tunc enim Aquisgranense palatium flammis absumptum fuit, nec non Augusta Treuirorum. Carolusque Crassus Imperator coactus pacem cum ijs firmare. Saxones sub idem tempus Anno scilicet Christi octingentesimo octogesimo secundo, totis viribus cum Thuringis dimicarunt, *vt docent Annales Fuldenses.*

Abdalla Maurorum Princeps, & Mahomadis filius, collectis copijs, Alfonsi Magni Hispaniæ Regis ditionem inuasit eodem anno. Latissimæ populationes factæ; timor magnus, spes non minor; ad Coblaricum enim oppidum Maurus, à Pancoruo, acie deuictus, magna hominum strage repulsus fuit. Et hæc Autumno præcipiti gesta fuere. Quo in hyemem conuerso, patruum, fratremque tumultuaria pugna commissa, locis natura asperis, secundiori marte debellauit; captosque,

Beccariam

Beccariam in arcem immisit; Cæsaream item Augustam cepit. Quæ res vtriusque nationis vires, armaque in eum intulit.

Normanni hostiles copias contra Carolomannum, qui solus Franciam, Ludouico iam defuncto, regebat, promouent. Hic relicta Viennæ obsidione, Barbarorum multitudinem, ad Axonam flumen, nactus, prospere deleuit. Dein modeste vsus victoria, clementer habuit eorum amicitiam, qui tunc temporis omnia circa Rhenum depopulabantur, ingentique pecuniæ vi, eos sibi conciliauit, *vt habet Sigebertus*.

Pandolphus Capuæ Dux Caietanos bello fatigauit, Anno Christi octingentesimo octogesimo quarto, Caroli Crassi quarto, Basilij decimo octauo. Hi viribus impares Sarracenos euocarunt, immo in vrbem receperunt; è qua Italiam quadraginta annorum spatio, crebris incursionibus funestarunt. Campaniæ item pars ingentem passa est cladem. *Ita Leo Ostiensis.*

Carolus Crassus Imperator Bauarorum exercitum, contra Guillonem in Italiam misit, eodem Christi anno; ipse vero cum copijs in Austriam profectus est, auxilia, Arnulpho patrueli, aduersus Zuendebaldum, qui in ea turbas multas concitarat, adducturus. *Ita Annales Fuldenses.*

Normanni, accepta morte Carolomanni Francorum Regis, iterum se in Regnum intulerunt, Anno Christi octingentesimo octogesimo quinto, Caroli Crassi quinto, Basilij decimo nono; Sequanaque egressi, Lotharingiam occuparunt. Tum castris, ad Louanium positis, vtramque incursare Prouinciam instituerunt; *Reginone teste.* Validioribus vero anno sequenti instructi armis Lutetiam oppugnare ausi sunt. Verum eam Odone Duce fortissimo, & Gozlino Episcopo acriter defendentibus, obsidionem intermisere; *vt refert Albo Abbas Aimoini discipulus*. Eandem tamen vrbem repetiere, Anno Christi octingentesimo octogesimo septimo, Caroli Crassi septimo, & Leonis secundo, sed non fœliciori exitu.

Narentani sub idem tempus maria latrocinijs defœdant, redduntque Adriaticum sinum Venetis negotiatoribus infestum. Bis autem, Candiani Venetorum Ducis principatu, quinque tantum mensium spatio, bello petiti fuere. Priore quidem expeditione, Candiano absente, classis, re infecta, reducta fuit.

Mox Principis ductu, duodecim nauium classe, hostes repetiti pugnatumque in Dalmatiæ ora, ad Miculum promontorium; fuitque res Veneta ab initio prospera, Narentanorum aliquot nauibus primo congressu depressis; superante tamen postea hostium multitudine, classis Veneta circumuenta, pene periJt. *Ita Venetorum Annales.*

Italiæ motus ex Imperij ambitu, Carolo Crasso defuncto, Galliæ, ac Germaniæ clades accendere, ex Hunnorum direptionibus; *vt habet Luithprandus.* Vuido Spoletanus Dux illustrissimus validissimum duxit exercitum in Berengarium, qui Papia profectus, illi in agro Placentino occurrit cum expeditis copijs, sed infœliciter. Prælio enim ad Trebiam amnem commisso, pulsus turpiter fuit, non tamen animo territus. Exercitum siquidem Augusto Septembrique mense redintegrato, Vuidones magna vi, ac pertinacia adortus est in agro Brixiano, sed non fœliciori exitu, Italia enim cedere coactus fuit. His peractis, Vuido Papiam recepit, Anno octingentesimo octogesimo nono, Leonis Imperatoris quarto; nulloque negotio Lombardiam in suam potestatem redegit.

Morauia, crebris ab Arnulpho Rege defectionibus afflicta fuit. Alanus autem Britanniæ Rex contra Normannos pugnaturus, concepto voto, quo spopondit daturum se dimidiam bonorum suorum partem, si de hostibus victoriam reportaret, tanta strage eos affecit, vt quadraginta tantum, ex quindecim millibus superstites fuerint. *Ita Regino, & alij.*

REI INSIGNES.

Santabarenus impostor, & præstigijs miracula affectans, flagris cæsus, excæcatusque, Athenas in exilium missus fuit à Leone Imperatore Orientis, Anno Christi octingentesimo octogesimo sexto, principatus vero sui primo, *vt affirmat Constantinus Manasses.*

OBITVS ILLVSTRES.


Vrsus Venetorum Dux, ingenti animi magnitudine vir, rerumque gestarum gloria percelebris, vt pote qui Sarracenos


Italiam fœde euastantes fortiter compresserit; immo ex ea longe procul expulerit, quam ob rem Protospatarij honore à Basilio Orientis Imperatore ornatus fuerat, varijsque cultus muneribus, Heracleanorum opera perijt, Anno Christi octingentesimo octogesimo secundo, *vt refert Coccius Sabellicus, & alij Historici.* Tolon Ægypti Amiras, Princeps summæ famæ apud eam gentem, interijt eodem anno, *vt docet Zachari.*

Mahomades Cordubæ Rex in Hispania vita functus est, Anno Christi octingentesimo octogesimo sexto; Caroli Crassi sexto, Basilij vigesimo, relictis triginta quatuor filijs, filiabus vero viginti. *Hispaniæ Historia.*

Anno vero proximo Almundar Mahomadis filius vix biennio principatus sui emenso, morte, in magno belli, contra Cordubenses, apparatu, absumptus fuit. *Mariana & alij.*

Bosson vero Arelatensis Rex in Prouincia, viuere desijt Anno Christi octingentesimo octogesimo nono, Leonis quarto. *Paradino teste.*





DECAS DECIMA.

LEONIS IMPERATORIS ORIENTIS *Gesta.*



Ermulta, alternante fortuna, suscepit bella, Beneuentumque à Diomede conditum, & Maleuentum antea dictum, Sybaticij Prostopatarij virtute, expugnatum recepit, suæque ditioni adiunxit, *vt vult Sigonius.*

VVIDONIS IMPERATORIS OCCIDENTIS *Gesta, & Obitus.*

Papia, & Longobardia occupata, Romam se contulit, Anno Christi octingentesimo nonagesimo secundo, vbi à Formoso summo Pontifice, Imperatorijs insignibus donatus fuit, *vt testatur Frodoardus*, & eiusdem Pontificis ad Fulconem Rhemensem Archiepiscopum, litteræ. Sicque Italici, Imperium, post tam multas, tamque diras exterarum gentium impressiones, recuperarunt. Cæterum dum crebris victorijs clarus Arnulphum Germaniæ; sibi aduersantem infestis persequitur armis, ad Iarum agri Placentini amnem, subita sanguinis vomitione è viuis abreptus fuit, Anno Christi octingentesimo nonagesimo nono.

ICON

VVIDONIS IMPERATORIS OCCIDENTIS

VVido Lamberti Spoletani Ducis filius, opibus, & auctoritate præstans, secundæque apud Principes famæ, rerum, omnium votis, potitus, dona à Pipino Rege, Carolo, & Ludouico Pio, Augustis, Romanæ Ecclesiæ concessa, non tantum firmauit, verum etiam, nouis accessionibus regiè cumulauit. Petri autem Venetorum Ducis, vetus, de tuta, iustaque rerum possessione, priuilegium stabiliuit. Tum Lambertum filium suum, à Pontifice maximo inauguratum, in communes curas adsciuit. Leges varias Papiæ condidit. Berengarium multis afflixit prælijs, immo Italia expulit. Inuisus tamen ijs omnibus, qui Imperatoriam ambibant purpuram; Imperium nec quietum, nec diuturnum tenuit. Inuidia siquidem vrtutem premit; eorumque fortunam, quos emergere videmus, ægris animis semper aspicimus.

LVDOVICI IMPERATORIS OCCIDENTIS Gesta.

Ludouicus Bossonis filius, regia Francorum stirpe genitus, ab Adalberto Tusciæ Marchione accitus ingentem per Longobardiam exercitum duxit; festisque vbique applausibus, atque lætitiæ signis humanissime exceptus, Berengarium hostem, Veronam vrbem, propugnaculis, natura, ac ciuium fide munitissimam confugere adegit; Ticinoque potitus, vniuersum Italiæ Regnum, in suam redegit potestatem. Tum regio decoratus ornatu, multaque Italicorum Principum vi subnixus, Romam profectus est, Anno Christi nongentesimo, Leonis decimo quinto, vbi summus Pontifex Imperatoris titulum, ac diadema, haud grauate illi impertijt. Dein hisce insignitus ormentis, maiores multo, ex Italia, copias contraxit, vt Berengarium è Regno confestim expelleret. *Ita Luithprandus, Gotfridus Viterbiensis, & Ioannes Villanus Italicus.*

CAROLI SIMPLICIS FRANCORVM Regis Gesta.

Neustriæ, procerum suffragijs, à Fulcone Rhemensi Archiepiscopo inunctus, vt pote iustus, ac legitimus Princeps, Franciæ Regnum, bellis atrox, ac sanguine cruentum, Odone hinc Prorege, reclamante, purpuramque exuere renitente; illinc Barbarorum crebris incursionibus, suscepit, Anno Christi octingentesimo nonagesimo secundo, Vuidonis primo, Leonis septimo. Anno autem Christi octingentesimo nonagesimo octauo, Vuidonis septimo, & Leonis decimo tertio, pace firmata, & Odone haud multo post, morte absumpto, solus res Francicas administrauit. *Regino.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Alfredus Angliæ Rex, pietate summus, reliquarumque virtutum splendore illustrissimus, Oxionensem Academiam, magnis instaurauit sumptibus, Anno Christi octingentesimo nonagesimo secundo, Vuidonis primo, Leonis septimo. *Ita Historici Anglici.*

Berengarius, non modo Regno Italico, expulsus, sed ipsa etiam Italia, ad Arnulphum Germaniæ Regem, vt afflictæ fortunæ suæ opem aliquam ferret, se recepit, *vt habent Annales Flandriæ.* Mutezad Babylonis Imperium, Metumad patre mortuo obtinuit. *Zacuthi.* Lescus quartus Poloniæ Rex acclamatus, quietis, atque otij, quam bellicæ gloriæ amantior fuit. *Salomon Neugebauerus à Cadano, in sua Historia Polonica.*

Odo Galliæ Prorex, accepto nuntio de Carolo Simplice recenter inaugurato, Regnum armis contra Barbaros defensum, armis etiam contra illum, tueri statuit; infestaque illico in nouum Cæsarem signa intulit, *vt vult Regino, & alij.*

Zuendebaldus Arnulphi Germaniæ Regis nothus, in Italiam à patre, magno cum exercitu missus est eodem Christi

Anno octingentesimo nonagesimo secundo, vt Berengario præsto esset; sed territus, vt censent aliqui, vel pecunia corruptus, patriam inglorius repetijt; biennio tamen post Lotharingijs impositus, in eos ita desæuijt, vt ad Franciæ Regem confugere coactus fuerit. *Regino, & alij.*

Lambertus Vuidonis filius in collegam Imperij adscitus à patre Augusto, à Formoso summo Pontifice inauguratur, Anno Christi octingentesimo nonagesimo tertio, Leonis octauo. *Frodoardus.* Zuria Cantabriæ Princeps spectatissimus, Zenonis nepos, ac multis victorijs inclytus, grande sibi nomen fecit. *Mariana.*

Gregorius Congalli filius, Scotiæ Rex, sedato Britannico motu, in Hiberniam traiecit, vbi occupato Dublino oppido, frequentissimisque incolarum incursionibus in Brigantiam fortiter repressis, Cornelium, & Brouium eorum Duces interfecit; Duncanum autem Regem affinem suum, adhuc impuberem, in fidem, atque clientelam recepit. Arces præsidijs muniuit, iusiurandum, à proceribus exegit, neminem se Anglum sine diplomate suo admissuros. Præfectos locis commodis constituit, quiè legibus patrijs ius dicerent. Hæc fama iustitiæ pacem in reliquum tempus certiorem multo, quam vllus armorum terror præstitit. Tum omnibus ita compositis Scotiam perrexit, vbi permultas sanctiones edidit. *Bucananus, Leslaus, & alij.*

Donaldus sextus, Constantini secundi filius, Scotiæ Rex, Principum omnium consensu creatus fuit eodem Christi Anno octingentesimo nonagesimo, Vidonis secundo, & Leonis octauo. Hic primis Imperij sui annis edicto cauit, ne quis diuinum numen iurando violaret, qui secus fáxit labrum candenti ferro inustum iri. Pacem autem sic coluit, vt semper ad arma pro bono publico promptus, expeditusque esset. Porro cum nulla vel domestica, vel externa bella vigerent, operam dedit, ne iuniorum animi pace corrupti, nimium luxoriarent, & quod antea sæpe acciderat, in fœdissima vitia prolaberentur. *Auctores citati.*

Zuendebaldus Marahensium, seu Maranorum Sclauorum Dux, & Boëmiæ Rex, pœnitentia tactus quod in Arnulphum Germaniæ Regem, à quo coronam acceperat, arma sumpsisset,

Deo se solemni voto obstrinxit, Anno Christi octingentesimo nonagesimo quarto, Vuidonis tertio, Leonis nono. In eiusque locum Boriuci subrogatus fuit; *vt scribit Cosmas Bohem.*

Arnulphus Germaniæ Rex Italiam factionibus, internisque motibus fessam, atque adeo externorum armis, iniuriæque opportunam ingressus, Ambrosio Bergomensium Comiti gulam fregit, Anno Christi octingentesimo nonagesimo sexto, Vuidonis quinto, & Leonis vndecimo; Formosoque summo Pontifici à Romanis grauiter vexato, opem tulit. *Luithprandus.*

Abarca Aragoniæ, & Pampeloniæ Rex primus renuntiatus fuit eodem Christi anno, Regnumque victricibus armis fœliciter propagauit, *vt habet Historia Aragonica.* Eduardus Alfredo patre Angliæ Rege morte sublato, Sceptrum omnium votis, rerumque curam assumpsit, Anno Christi nongentesimo, Ludouici primo, Leonis decimo quinto. *Rogerius, Matthæus Vestmonasteriensis.* Theodoricus vero successit Theodorico parenti Hollandiæ Comiti. *Chronicon Belgicum.*

Atenulphus, Aldegisi Principis Beneuentani in Campania vita functi filius Principatum inuasit; quem illius progenies per annos fere ducentos, prospere tenuit. *Leo Ostiensis.*

Ludouicus Arnulphi Germaniæ Regis filius, antiquis moribus, naturæque dotibus omnibus cumulatus, Germaniæ, Bauariæ, Lotharingiæ, ac Franciæ Orientalis Rex acclamatus, paternosque dignitatis titulos amplexus, omnibus charus, & acceptus fuit, magnæque famæ apud alios principes. *Luithprandus, & alij.*

VIRI ERVDITI.

Remigius Altisiodorensis Episcopus multiplici eruditione apprime excultus, floruit hoc tempore. Breno item Abbas Ginginiaci Cœnobij patria Burgundus, & Comitum familia clarissima illustris, *vt habet Philippus Bergomensis.*

Ioannes Asserius Britannus Episcopus Shirburnensis, vir fœlicis ingenij, doctrinæque summæ; scripsit commentarios in Boëtium de consolatione, vitam, & res gestas Alfredi Regis; Annales item Britanniæ, aurearum sententiarum Enchiridion, & Epistolas plurimas. *Pithæus.*

Blegabridus

Blegabridus Languaridus in Cambria natus, & ab ipsa pueritia bonarum litterarum studijs addictus, legumque libris euoluendis, atque perscrutandis delectatus, iuris contemplationi, praxique maxime incubuit; quod certe nec abs re, magnam illi famam apud viros, doctrina præstantes peperit. Libros vero plures locorum communium, in lucem dedit, Houelique Principis leges, latio sermone donauit. *Auctor citatus.*

OPERA PVBLICA.

Alfonsus Magnus Hispaniæ Rex, grauis iam annis, ad pacis artes conuersus, Reipublicæ exornandæ studio, Diuis templa, tóta ditione; hominum autem præsidio, arces, oppida, vrbesque splendide ædificauit.

Senticam Vaccæorum ciuitatem amplissimam in Hispania Tarraconensi, Zomoram, à lapide qui in eo agro reperiebatur, Zamoraque Arabum lingua nominabatur, nuncupatam, regijs extruxit sumptibus ad Durium fluuium. Adde Taurum cuius vrbis excitandæ curam Garsiæ filio commisit. *Ita Vasæus, & Chronicon Hispaniæ, & Lucius Marineus Siculus de rebus Hispaniæ.*

PRODIGIA.

Cruces variæ, hominum vestibus diuinitus, in Flandria impressæ, Anno Christi nongentesimo, Ludouici primo, Leonis decimo quinto, ipsoque sanguine quo formabantur horribiles, ingentem spectantibus omnibus incussere terrorem; *vt refert Iacobus Meierius.*

CALAMITATES.

Basilica Lateranensis vehementi terræ-motu magna ex parte procubuit, Anno Christi octingentesimo nonagesimo septimo, Vuidonis sexto, Leonis duodecimo. Sequenti vero fames, longe, lateque grassata est in Germania, stragesque hominum magnas edidit; *vt docet Vrsbergensis.*

RES BELLICÆ.

Leo Imperator Orientis, Beneuento, Symbatici Ducis opera, obsidionem admouit; tertioque mense ineunte, Anni octingentesimi nonagesimi primi, principatus sexti, suæ ditionis fecit. *Cassin. Chron.*

Normanni auctis copijs Belgium inuasere, eodem Christi anno. In eos Arnulphus Germaniæ Rex profectus mense Septembri, expugnatisque eorum castris, penitus deleuit. Cæsi enim sunt cum Duce ambo Reges, militum vero centum millia, *vt vult Scotus, & Regino. Annales tamen Fuldenses* nonaginta tantum millia cecidisse testantur.

Sarraceni Tauromininium in Sicilia, magna ciuium clade, expugnarunt sub idem tempus, ingentemque captiuorum numerum interfecerunt, *Auctore Cedreno.* Dein in Gallias, ac Germaniam irrumpentes, Vormasiensem ciuitatem euerterunt, ciuesque occisione occiderunt. *Marianus Scotus.* Anno autem octingentesimo nonagesimo secundo, Vuidonis primo, Leonis septimo, Thessalonicam Græciæ vrbem, magnitudine, & incolarum frequentia conspicuam occuparunt, multa præda abacta. In eos quidem Leo Augustus confestim aduolauit, sed tot viribus impar, pugnam detrectauit. *Cedrenus.*

Zuendebaldus Sclauorum Dux, in Arnulphum Germaniæ Regem, immemor beneficij, (ab eo siquidem regio donatus fuerat nomine) mouit, illiusque ditiones fœde euastauit. Qua de re certior factus Arnulphus, euocatis quamprimum Hungaris, Zuendebaldi proteruiam fortiter compescuit, ipsiusque Regnum, magno succinctus exercitu, ingressus, omnia ferro, atque incendio compleuit; *vt docent Annales Fuldenses.*

Piratæ ex Hispania ad littora Italiæ forte delati, eodem Christi Anno octingentesimo nonagesimo secundo, Fraxinetum arcem, in Alpium Cottiarum prouincia occuparunt, eamque multis annis, magno Lombardiæ totius detrimento, tenuerunt. *Sigonius.*

Arnulphus irarum plenus in Morauiam iterum irruit anno sequenti, longaque facta populatione, eam grauiter afflixit, Sclauosque acriter adortus, prorsus attriuit, *vt habet Regino, & alij.*

Zuria Cantabrorum Princeps, prouincialium ſtudijs prouocatus, validas ſub idem tempus conſcripſit copias, Ordoniumque, ab Alfonſo patre in Hiſpania Rege, ad ſedandos tumultus immiſſum, acie ad Arriagorriagam deuicit. Hanc vero belli iniuriam, tùm ob locorum aſperitatem, tùm ob ætatem ingraueſcentem vindicare haud quaquam potuit Alfonſus. *Ita Mariana.*

Odo Galliæ Prorex, comparato numeroſo exercitu, Carolum ſimplicem recenter in Galliæ Regem inauguratum occupauit, Lutetiamque inuadens, in Germaniam compulit. *Auctore Reginone.*

Leo Orientis Auguſtus, Hungros, ſeu Turcos Iſtrum incolentes contra Bulgaros Græciam infeſtantes acciuit eodem Chriſti Anno octingenteſimo nonageſimo tertio, terraque, ac mari, collecto vndique milite, in eos, Patricio Nicephoro, Phoca Duce arma fœliciter vertit; immo à Turcis quorum opera Simeon Bulgarorum Rex profligatus fuerat, captiuos quos abduxerat emit. Verum Simeon haud multo poſt, ferocius inſurgens, Turcos cæcidit, eorumque agros diripuit. Tum captiuos ab Imperatore repetens, minas ei, terroreſque intentauit; quibus commotus Leo Imperator, coacto protinus Orientali, Occidentalique exercitu, in Bulgaros iterum profectus, crudeli prælio eos penitus oppreſſit, *vt habet Curopalates.*

Arnulphus autumno iam ſeneſcente, in Italiam per iuga Tridentina, maximo pedeſtrium, equeſtriumque numero ſtipatus contendit; Bergamumque, ineunte Anno Chriſti octingenteſimo nonageſimo quarto, Vuidonis tertio, Leonis nono, expugnauit, Ambroſio illius Comite ad vrbis portam ſuſpenſo. Quo terrore adacti Mediolanenſes, Papienſes, & Placentini, confeſtim ei præmiſſis nuntijs ſe tradidere. Anno autem Chriſti octingenteſimo nonageſimo ſexto, Vuidonis quinto, Leonis vndecimo, Romam, quam Agiltrudis Vuidonis Imperatoris vxor, præſidio obtinebat, magnis itineribus contendit, vrbemque Leoninam, nouam Romam nuncupatam, diuque fruſtra oppugnatam, occaſionem præbente lepuſculo, occupauit, Romanis ſtationibus ludicro hoſtium inſequentium clamore, atque impetu, tanquam vero, conter-

ritis. Hoc solum deerat vrbi victrici orbis terræ dedecus, vt à lepore capta diceretur. Cæterum emensis Romæ diebus quindecim, Algetrudem cum Lamberto filio suo, Spoletum versus insecutus, acri obsidione fatigauit; graui tamen derepente affectus morbo, domum repetere coactus fuit. *Sigebertus, & alij.* Marchiones Tusciæ Beneuentum, eiectis Græcis, recepere. *Cassin. Chronicon.*

Ardebant eodem tempore Carolum inter Francorum Regem, & Odonem acerba, crudeliaque odia; vnde cædes, bella, latrocinia, expilationes, ac Tyrannorum impune factæ grassationes. *Frodoardus.* Biennio post; Anno scilicet Christi octingentesimo nonagesimo octauo, Vuidonis septimo, Leonis decimo tertio, Boëmi, & Moraui Prouincias intestino bello dilacerarunt; *vt docent Annales Fuldenses.* Nec prætermittam cruentum illud, atque atrox prælium Berengarium inter, & Ludouicum Bossonis filium, in quo Berengarius turpiter debellatus fuit, Anno Christi nongentesimo; *Luithprando teste, & alijs Historicis.*

OBITVS ILLVSTRES.

Ziemouitus Poloniæ Rex, & Piasti filius vnicus, rebus omnibus prospere gestis, fatis, magno omnium procerum luctu concessit, Anno Christi octingentesimo, nonagesimo secundo, Vidonis primo, Leonis septimo. *Historia Polonica.* Sequenti vero Gregorius Scotiæ Rex, iustitia, ac pietate in Deum summus, fœlicissimum vitæ cursum confecit. *Leslæo teste.*

Ambrosius Bergami vrbis Comes, suspendio ante portam eiusdem ciuitatis, quod Arnulphi Germaniæ Regis detrectasset imperium, strangulatus fuit, Anno Christi octingentesimo nonagesimo quarto. *Annales Fuldenses.* Anno vero octingentesimo nonagesimo octauo Vidonis septimo, Leonis decimo tertio, Odo Galliæ Prorex, nouo Tyrannorum exemplo, Syllam quasi imitatus, abdicato principatu decessit, *vt habent Annales Rhemenses.*

Arnulphus Germaniæ Rex, ex Caroli Magni stirpe, sanguinem potius, quam indolem trahens, à Vuidonis Imperatoris coniuge, quam Spoleti obsederat victus, epoto siquidem


eius artibus Veneno, obsidionem soluere coactus fuit, nec multo post fœdo mortis genere, pediculari nimirum, fœde perijt, Anno Christi octingentesimo nonagesimo nono, Vidonis octauo, Leonis decimo quarto. *Luithprandus; & alij.*

Vinsmarus Fulconis Archiepiscopi Rhemensis crudelis percussor, anathemate ab Episcopo Galliæ percussus, insanabili vulnere, putrescentibus scilicet carnibus, & exundante vbique sanie, à vermibus consumptus fuit, Anno Christi nongentesimo, Ludouici primo, Leonis decimo quinto. *Ita citatus Auctor.*

Alfredus Angliæ Rex, eruditione non vulgari excultus, omnibusque tum naturæ, tum animi dotibus exornatus viuere desijt eodem Christi anno. *Matthæus Vestmonasteriensis.* Theodoricus item, primus Hollandiæ Comes obijt

Zuendebaldus denique Arnulphi Germaniæ Regis nothus, & Lotharingiæ Rex, aspero, & crudeli ingenio, à suis, in quos arma sumpserat, obtruncatus fuit sub idem tempus, *vt vult Regino.* Adde Aldegisum Beneuentanum Ducem, & magni nominis apud omnes proceres virum, qui breue post vita functus est. *Sigonio teste.*





SÆCVLI DECIMI
DECAS PRIMA.

LEONIS IMPERATORIS ORIENTIS Gesta.



D sacras ædes supplicandi gratia se conferens, Anno Christi nongentesimo primo, principatus sui decimo sexto, magno perfunctus est periculo. Fustis siquidem ceruicibus à sciccario incussus, vitam haud dubie ademisset, nisi pensilis lychnus forte intercidens, ruentem ictus impetum confregisset, *vt refert Zonaras, & Cedrenus*

LVDOVICI IMPERATORIS OCCIDENTIS Gesta.

Papiæ priuilegia, & Regum Altulphi, Desiderij, Adelgisij, Caroli Magni, Ludouici, Lotharij, Carolomanni, Caroli Crassi, Arnulphi, Vidonis, & Lamberti, statuta confirmauit, Anno Christi nongentesimo primo, principatus secundo; pulsoque, è Lombardiæ Regno, Berengario hoste, Tusciam inuisens, Lucam vrbem clarissimam ingressus, ab Adelberto Marchione splendidissime exceptus fuit, summoque cultus apparatu. Lustrato dein Regno, rebusque compositis Veronam perrexit, vbi dimisso exercitu, à Berengario infesto æmulo captus, oculis, Regnoque priuatus fuit, Anno Christi nongentesimo quarto. *Reginone teste, & alijs.*

LAMBERTI IMPERATORIS OCCIDENTIS Gesta, & Obitus.

Ludouico capto, Lambertus Romam à summo Pontifice accitus, Augustalibus insignibus solemni ritu ornatus fuit, Anno Christi nongentesimo quarto, principatus sui, ex quo inauguratus fuerat, vndecimo, à Vuidonis autem patris sui obitu, quinto. Verum haud multo post, cum Rempublicam aspere nimis administraret, Italicis omnibus principibus exosus, è viuis sublatus est, Anno Christi nongentesimo decimo. *Luithprandus.*

ICON

LAMBERTI IMPERAT. OCCIDENTIS.

Lambertus Vuidonis quondam Imperatoris filius, bellicis artibus, spectataque virtutis gloria illustris, Augustus renuntiatus Reipublicæ hostes prospere oppressit. Eius tamen seuerum Imperium nec tutum illi nec diuturnum fuit. Etenim dum inter venandum cursu fatigatus quieti indulgeret; Hugonis vnius custodis, quem haud multo ante, amplissimis honoribus, colligendæ beneuolentiæ causa, amplexus fuerat, dextera, valido fuste, in caput, inflicto, misere perijt: Principum siquidem Sceptra, eorum manibus, quorum fidem, opemque expetunt, plerumque infringuntur.

CAROLI SIMPLICIS FRANCORVM Regis Gesta.

Fœdus cum Normannis ad solitas populationes redeuntibus, firmauit, Anno Christi nongentesimo sexto, data, in pacis pignus, ea parte, quam Normanniam, ab incolis, appellamus; & quo strictius vtraque gens iungeretur, affinitatis accessit vinculum; Eaque insuper lex imposita, vt eiecto idolorum cultu, Christi fidem susciperent. Quod breui omnium alacritate peractum est, Rolone Duce aquis lustralibus tincto; mirumque fuerit, eam gentem ad Religionis Christianæ exi-

tium, natam, tam cito cum Barbarie, gentilitios errores exuisse. *Ita Aimoinus, & alij.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Muctaphta Princeps summi nominis, patre Mutezat extincto, Babyloniorum Amiras, omnium suffragijs creatus fuit, Anno Christi nongentesimo primo, Ludouici secundo, Leonis decimo sexto, *vt vult Zacuthi.* Ægyptique Amira debellato, totum Sarracenorum Regnum sibi subiecit.

Edoardus Senior, Angliæ Rex, virginem Deo sacram, ab Ethelualdo propinquo suo raptam, in cœnobium reduxit, eodem Christi anno. Anno vero nongentesimo sexto, bellum per Fœcialem Constantino Scotiæ Regi indixit, ni Cumbriam, Northumbriam, Vuestmariam, regiones amplissimas, quas Gregorius, turbulento tempore, vi occuparat, restitueret. Procerum tamen consilio, pax inita fuit, totaque belli moles in Danos conuersa. *Ita Matthæus Vuestmonasteriensis, Boëtius, & alij.* Anno denique nongentesimo decimo, Lamberti septimo, Leonis vigesimo quinto, cæso Erico Orientalium Saxonum Rege, illius Regnum inuasit, & paulo post, Merciorum. Sicque tota Anglia sub vnius ditionem venit, Northumbria excepta, qua Dani potiti sunt.

Adelbertus Tusciæ Marchio vir summe diues, ac splendidus, eius enim suppellex, epularumque luxus, ac totius familiæ ornatus, ita eximius erat, vt Ludouici Imperatoris, quem domi, omni cum apparatu exceperat, oculos, animumque perstrinxerit, asserueritque solum Regem magnificentiam illam decere, soloque se, ab eo distingui titulo. *Luithprandus, Regino, & alij.*

Ethelualdus Eduardi senioris Angliæ Regis propinquus, è Regno, noua moliens expulsus, Anno Christi nongentesimo quarto, ad Danos iterum confugit. Dein in Angliam contra Edoardum irruit; *vt habet Polydorus Vergilius.*

Constantinus, Ethi Alipedis filius, vir ad res vrbanas potius, quam ad militiam, accommodato ingenio, in Scotorum

Regem

Regem inauguratus fuit eodem anno, Lamberti primo, Leonis decimo nono. Hic cum Danis, qui antea, nullis muneribus, Gregorium, ac Donaldum Reges, ad arma in Anglos ſumenda, flectere potuerant, fœdus pepigit. *Boëtio teſte, Buchanano, & Leſlao.*

Conradus, Comes Franciæ, filium ſuum in Gallias miſit, Anno Chriſti nongenteſimo quinto, Lamberti ſecundo, Leonis vigeſimo, vt exortos tumultus fortiter compeſceret; ipſe vero Epiſcopum Vuſtbergenſem defenſurus, contra Albertum Babapergenſem ſigna tulit. *Regino.*

Ludouicus Germaniæ Rex audita Conradi cognati morte, Albertum percuſſorem ſua in arce obſedit, comprehenſumque vltimo affecit ſupplicio, facultates vero illius, in fiſcum deferri iuſſit. Anno autem ſequenti, Chriſti ſcilicet nongenteſimo ſexto, Lamberti tertio, Leonis vigeſimo primo, ritum manumiſſionis per excuſſionem denarij de manu ipſius, iuxta legem Salicam, ſanxit Thuringiæ, die trigeſimo Maij. *Auctor citatus.*

Alfonſus Rex Hiſpaniæ, cognomento Magnus, ingentem de Sarracenis victoriam retulit, Anno Chriſti nongenteſimo quinto, cæſo in prælio Alcaman eorum Duce clariſſimo, & à ſuis vti Propheta culto, *vt docet Hiſpaniæ Chronicon.* Anno vero nongenteſimo octauo, Lamberti quinto, Leonis vigeſimo tertio, ætate grauis licet, priſtinæ tamen virtutis memor Senticam aduolauit, filiumque Garſiam, qui in eum arma ſumpſerat, in ordinem redactum, in Ganzone arce, vinculis conſtrinxit; vnde toto biennio in Regem tumultuatum: Nanutus ſiquidem Ferdinandus Caſtellæ Comes, opibus, & clientelis potens, & Garſiæ ſocer, auxiliares ei adduxit copias, illiuſque matri, fratribuſque ſe adiunxit. Itaque Rex tranquillitatis ſtudio, aut ne domeſtico bello, Regni vires exhauriret, Sarracenorumque iniurijs ſubijceret, Regnum Garſiæ filio Ambieni ſponte cedit, Anno Chriſti nongenteſimo decimo, Lamberti ſeptimo, Leonis vigeſimo quinto, vt qui hactenus Magnus dictus fuerat, hinc iure Maximus dici poſſet. Ordonio autem alteri filio, Gallæciæ principatum tribuit. *Hæc ex Sampiro, Tudenſi, & alijs antiquis monumentis prodidit Ambroſius Moralis.*

Muctedar, Macthapheta patre Babyloniorum Amira, vita

functo, regimen suscepit, Anno Christi nongentesimo octauo, *vt testatur Zacuthi.* Otho Saxonum Dux, Burchardo in acie interfecto, Thuringia donatus fuit. Anno demum Christi nongentesimo decimo, Gerlacus, Vuichardo Othonis filio, primoque Geldriæ Præfecto, patrique amantissimo, morte absumpto successit. Hic à belli, militiæque studijs haud alienus, longoque rerum vsu, ac prudentia subactus, non minimam toti Romano Imperio operam tulit; præsertim quando Hungari, Boëmi & Sclauini, in Germaniam irruperunt. *Ita Idatius Pontanus in sua Historia, & alij.*

VIRI ERVDITI.

Etheluardus cognomento senior, Alfredi Regis filius, hæresque, non Regni quidem paterni, sed eruditionis. Hunc enim & Guillielmus Malmesberiensis, & Ioannes Varnuicensis, & Lelandus, doctissimos inter viros, enumerant. Scripsit autem Chronicorum librum vnum.

Etheluardus, iunior dictus, ex Efreda Regina Eduardi filius, bonis omnibus instructus litteris, *vt scribit Malmesberiensis*, Alfredum auum moribus, ingenioque referebat. Historiarum librum vnum composuit, *Lelando teste, & Mariano Scoto.*

Guillielmus Aquitaniæ Dux, & Aluerniæ Comes non vulgari doctrina illustris, magno in pretio fuit hoc tempore, *vt docet Philippus Bergomensis.*

NATALITIA AVGVSTA.

Leo Philosophus, Orientis Imperator auctus fuit filio, Anno Christi nongentesimo secundo, Ludouici tertio, Leonis decimo septimo. *Ita Cedrenus & alij Historici Græci.*

OPERA PVBLICA.

Legecestrensis ciuitas Danorum incursionibus euersa, Ethelredi Merciorum Ducis, & Elfledæ vxoris sumptibus, splendide restaurata fuit, Anno Christi nongentesimo octauo, Lamberti

quinto, Leonis vigesimo tertio, *vt docet Matthæus Vuestmonasteriensis.*

PRODIGIA.

Stupendus Cometa quadraginta diebus, cauda Orientem versus proiecta effulsit, Anno Christi nongentesimo secundo, Ludouici tertio, Leonis decimo septimo. Quadriennio vero post, per sex menses ad omnium terrorem, apparuit. Anno autem nongentesimo nono, igneæ plurimæ faces, in cælo hinc inde, discurrentes, visæ sunt. *Matthæus Vuestmonasteriensis.*

RES BELLICÆ.

Berengarius Foroiuliensis, ingenti clade ab Hungaris attritus fuit, Anno Christi nongentesimo secundo. Dein biennio post certior factus quod Ludouicus Imperator, Veronæ dimisso exercitu moraretur, occultis itineribus, è Bauaria, in Italiam aduolans, Veronam, subito aduentu oppressit, corruptisque pecunia custodibus, eam intempesta nocte ingressus est, paucisque ciuibus spectatæ virtutis, & fidei septus, arcem arduo impositam colli, & accessu difficilem, intercepit, captoque Augusto in ordinem redegit, cæterasque vrbes, magna facilitate recepit; iam enim Italorum animos, Ludouici calamitas fregerat. *Regino, & alij.*

Hunni, Hungari vulgo nuncupati, Germania euastata, ferro viam sibi in Italiam fecere, Anno Christi nongentesimo secundo; cæsisque Ducibus Limitis, Aquileiæ, Veronæque agros infestarunt, Ducem vero Berengarium occurrentem profligarunt; deleto illius vniuerso exercitu. Tum hac insigni victoria elati, omnia torrentis instar, proculcarunt. Taruisium siquidem, Vicetiam, & Patauium, fœda populatione deformarunt: exin Venetias, contractis tumultuariò ad id lembis, traiecere, Clodiaque, ac cæteris, circa vrbem, locis dirutis, non Metamaucum modo, sed etiam Riuoaldum tentauere. Verum egressi, cum Petro Duce Veneti, in aduersam eorum aciem fortiter irruerunt; commissaque pugna, pluribus diebus, ancipiti Marte, acriter dimicarunt. Dein totis vtrinque viribus in extremam prælij aleam itum, fusique, ac fugati Hunni, ad

Apenninum vſque omnia depopulati ſunt. Tandem accepta à Berengario grandi pecunia, domum auro, non armis victi remigrarunt. *Regino Auentinus, Bonfinius, Coccius, & alij.* Sarraceni ſub idem tempus claſſe in Græciam deuecti, ab Hemerio, Leonis Imperatoris Duce, proſpere debellati fuere.

Albertus Comes, bellum Vuirgeburgenſi Epiſcopo indixit, eodem Chriſti anno, ſed infœliciter. In eo enim duo ipſius fratres cecidere, ipſe vero ægre elapſus. Reparatis tamen, anno ſequenti, copijs, Chriſti ſcilicet nongenteſimo tertio, Ludouici quarto, Leonis decimo octauo, tanta pertinacia hoſtem aggreſſus eſt, vt eum procul expulerit, omniaque cædibus, atque incendijs impleuerit. *Auentinus, & alij.*

Sarraceni Fraxinetum incolentes impotentius multo, quam antea extrema Italiæ lacerarunt, Anno Chriſti nongenteſimo quinto, Lamberti ſecundo, Leonis vigeſimo; omnibuſque vrbibus erutis, oppidum Aquarum, non longe à Papia diſtans, immo minutiſſimas quaſque arces, quæ ad repentinas Barbarorum incurſiones eludendas, extructæ fuerant, occuparunt. *Sigonius.*

Vandali, Obetriti, & Sorabi, arma in Othonem Saxoniæ Ducem verterunt anno proximo. Hic ætate iam pene confectus, totam belli curam commiſit Henrico filio ſuo, Imperatori futuro, qui tam ingentem conſcripſit exercitum, vt circumquaque terrorem intulerit. Ea propter Vandali cum impares multò Henrico eſſent, Hungaros in auxilium aduocarunt. *Lambertus Schatnaburgenſis.*

Redeuntibus cum numeroſa gentis ſuæ multitudine ad ſolitas populationes Normannis, pax haud diuturna fuit. Diuiſis ſiquidem agminibus Belgium, & Neuſtriam ferociter aggreſſi, Anno Chriſti nongenteſimo ſexto, Lamberti tertio, Leonis vigeſimo primo, capto, expilatoque Rothomago nobiliſſima, ad Sequanam, ciuitate, Pariſios vſque prouecti ſunt; fruſtraque ad vrbem regiam, & totius gentis primariam, admoto exercitu, in Burgundiam populabundi progreſſi ſunt. Inde per regionum, atque vrbium vaſtitates reuerſi, apud Carnutum, Virginis (quæ ibidem ſumma veneratione colitur) ope ſeruatum, circumlata enim illius ſubucula, quam Carolus Caluus Veſantione allatam, ibi collocarat, tantum hoſtibus derepente

pauoris iniectum fuit, vt in fugam præcipites se dederint. *Ita Normannorum Historia, Guillielmus Gemeticensis Normannus monachus in suo Chronico, Guagninus, & alij.*

Acerrimum Danos inter, & Anglos initum fuit bellum, Anno Christi nongentesimo septimo, Lamberti quarto, Leonis vigesimo secundo, pugnatumque fortiter. Stetit tamen ab Edoardi Angliæ Regis partibus victoria. Hic enim Eostsexiam, Eastangliam, Merciam, & Northumbriam, cum multis aliis subactis prouinciis, suæ ditioni adiecit. Scotorum præterea, Cumbrorum, & Galuualensium, omnium Occidentalium Britonum fines, immo eorum Reges, in deditionem accepit, Sicque summa cum gloria, multarum palmarum Princeps, ad propria remeauit. *Matthæus Vuestmonasteriensis.*

Ludouicus Germaniæ Rex, collecto, ex omnibus Boiariæ prouinciis, ingenti exercitu, in Enisum fluuium, contra Hungaros profectus est, eodem anno, sed aduerso Marte: Hungari siquidem commissa atroci, funestaque signa, tot hostium strages, trium dierum spatio edidere; vt maxima Boiariæ nobilitatis pars, vna cum Leopoldo Duce clarissimo occubuerit.

Tanta clade commotus Ludouicus, dissipati exercitus vires derepente collegit, recentesque copias iterum in Hungaros eduxit, sed pari exitu, insidiis siquidem circumuentus, oppressus fuit. Hungari vero nondum humano sanguine satiati, vniuersam Boiariam rapina, igne, luctu, sanguine, & cadaueribus impleuerunt, cæsorumque aluum exciderunt, intestina scrutati sunt, corda minutim dissecarunt, deuoraruntque, inaudito denique furore debacchati sunt. Dein ad Saxones vsque excurrerunt. *Auentinus, Regino, & alij.*

OBITVS ILLVSTRES.

Mutezad Babyloniorum Amyras, vir illustrissimus, supremum vitæ diem clausit, Anno Christi nongentesimo primo Ludouici secundo, Leonis decimo sexto, & principatus sui nono, *vt vult Zacuthi.*

Donaldus Constantini filius, Scotiæ Rex, in suscepta contra Rossos, & Morauos expeditione, interiit Foressæ, non sine veneni suspicione, *Ioanne Fordano teste. Boëtius tamen refert* eum in


Northumbriam reuersum, vt videret, quò pax cum Danis vergeret, fato suo, summis iuxta, atque infimis carum, sublatum fuisse. Ethebaldus vero Edoardi senioris, Scotiæ Regis propinquus, in acie perijt sub idem tempus. *Polydorus.*

Albertus Bambabergensis Comes, securi percussus fuit, Anno Christi nongentesimo quinto, Lamberti secundo, Leonis vigesimo, quod Conradum Franciæ Comitem, & Ludouici Germaniæ Regis cognatum interfecisset; *Ita Regino, & alij.*

Biennio post Leopoldus Austrasiæ Dux, acriter contra Hungaros depugnans cecidit, vna cum Burchardo Langrauio, Lotharingiæ præfecto, plurimisque magni nominis proceribus; *vt scribit Lambertus Schafanburgensis.*

Mucthaphat demum Babyloniorum Amiras, prostrato Ægypti Amira, & Sarracenorum Imperio adepto, obijt suorum omnium dolore maximo. *Zacuthi.*





DECAS SECVNDA.

LEONIS IMPERATORIS ORIENTIS Gesta, & Obitus.

GRaui correptus morbo, Alexandro fratri, cui Constantinum filium suum adhuc impuberem, Regem tamen, ipso Pentecostes die, creatum, ac diademate, solemni more, rituque insignitum commendarât, Imperium legauit. Breui vero post alui doloribus ingrauescentibus fatigatus interijt, Anno Christi nongentesimo vndecimo, principatus sui vigesimo sexto inchoato, *vt testatur Zonaras, Constantinus Manasses, & Glicas.*

ICON

LEONIS IMPERATORIS ORIENTIS.

LEo, Basilij quondam Augusti filius, vel vt alijs placet, Michaelis, qui concubinam suam Eudoxiam de se grauidam Basilio collocarat; ad Imperium euectus, Theodori Santabareni monachi cuius calumnijs suspectus in carcerem detrusus fuerat, vltus est iniuriam; ipsiusque fautorem Patriarcham Photium, è sua sede, expulit. Aduersus Bulgaros, primo quidem conflictu infœliciter pugnauit; Turcarum tamen postea auxilio, eos penitus deleuit. Tum in Sarracenos, classe comparata, profectus, de ijs Nicetæ viri bellicis sudoribus clarissimi ductu, insignem sibi victoriam peperit. Princeps, & litteratum omnium studijs, Philosophiæ præsertim, vnde illi Philosophi cognomen inditum, insigniter excultus, & Christianis omnibus virtutibus illustris, in primis in Deum pietate, quæ, eo imperante, tantum ad plausum floruit, quantum antea, proh dolor, elanguerat; fatis nihilominus, magno, & principum, & to-

tius senatus luctu, consumptus fuit. Certis enim eunt cuncta temporibus, nasci nimirum debent, crescere, & extingui.

ALEXANDRI IMPERATORIS ORIENTIS Gesta, & Obitus.

Augustus acclamatus, Nicolaum exulem, in pristinam suam Patriarchæ dignitatem, Euthemio eiecto, restituit; relictaque, impurissimis viris Regni totius cura, vitam in ganeis, poculisque transegit. Nec multo post, plurimo per nares, pudendaque effuso sanguine, funestum vitæ sortitus est exitum, Anno Christi nongentesimo duodecimo, principatus vero sui, secundo. *Ita Aretas Cæsariensis, Cedrenus, & alij.*

ICON

ALEXANDRI IMPERATORIS ORIENTIS.

Alexander, Leone Philosopho fratre extincto tredecim menses, nullis rebus gestis, principe, nedum etiam homine, dignis imperauit: Eius enim & segnities, mentisque stupor singularis; stolidus animi vigor, sordidaque, ac vix hominis propria vitæ ratio, atque impietas summa fuit. Baccho siquidem, abiecto supremo numine, identidem immolauit. Deorum statuas, Romá Constantinopolim delatas, spretis omnibus alijs quæ in sacris ædibus, magno hactenus honore, ac religione cultæ fuerant, splendide ornauit. Totus denique delicijs, atque fœdissimis voluptatibus immersus, fœlicitatem in curarum remissione, ac voluptatum illecebris metiendam esse putauit. Ea propter illius Imperium haud diuturnum fuit. Regnum quippe, vbi & cura iuris, & sanctitas, & pietas, & fides florere desijt, instabile est.

CONSTANTINI, ET ROMANI IMPERATORUM Orientis Gesta.

Alexandro defuncto, solus sub tutoribus Regimen sumpsit, Anno Christi nongentesimo duodecimo, belloque ciuili flagrante Constantinopoli, Anno Christi nongentesimo decimo nono,

nono, ac Tyrannis hinc inde insurgentibus, Romanum Patricium, classis Præfectum, magnæque famæ virum, in collegam adsciuit, illiusque filiam Helenam, Zoe Augusta matre, in ordinem redacta, matrimonio sibi iunxit. *Curopalates, & alij.* Romanus vero Christophorum filium suum ad idem fastigium euexit, Anno Christi nongentesimo vigesimo; *Glycas, & Cedrenus.*

BERENGARII IMPERATORIS OCCIτis Gesta.

Sarracenis Italiæ hostibus expulsis, cæsisque eius opera, Imperij titulis à Ioanne summo Pontifice decoratus fuit, Anno Christi nongentesimo quinto, *vt testantur diplomata.*

CAROLI SIMPLICIS FRANCORVM REGIS Gesta.

Tot tantaque, in Hugonem virum ignobilem, amoris officia contulit, vt propius absfuerit, quin Principum omnium coniuratione, qui ab eo omnino defecerant, maioresque vires secum attraxerant, è Regno suo exciderit, *vt docet Frodoardus.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Vrsus vir religionis cultor eximius, ac Reipublicæ propugnator acerrimus, in locum Petri Tribuni Venetorum Ducis suffectus fuit, Anno Christi nongentesimo vndecimo, Leonis vigesimo sexto. *Philippus Bergomensis, Coccius Sabellicus, & alij.*
Ludouicus Arnulphi filius, & Germaniæ Rex, soloque nomine Augustus, aduersa, contra Hungaros fortuna, dimicauit anno sequenti. Alfonsus Magnus, abdicato principatu, ac præcipiti iam ætate, victoria de Sarracenis, sub Garsiæ filij Hispaniæ Regis auspicijs potitus, grande sibi nomen fecit, *vt scribit Ambrosius Moralis ex veteribus monumentis.*
Otho Saxoniæ Dux, rebus gestis, ac sanguine illustrissimus,

summæque prudentiæ laude clarissimus, sed senecta inualidus, Germaniæ Rex, sublato Ludouico, salutatus, ætatis excusatione, hæc præfatus, vsus est. Cum enim, inquit, Imperium rerumque arbitrium, ab insigni Caroli Magni quondam Augusti Sobole, transferatur, magnarumque rerum inclinationes, magnos metus afferre soleant; non patriæ tantum amantissimo Duce opus est, sed, & qui sciat, possitque, atque audeat, tela inter volitare, exercitumque non consilio magis regere, quam exemplo mouere. Quærendus itaque vobis est, vir, non qui ex Imperio decus sibi expetat, sed qui Imperio afferat. Id quod vnum possum, consilio vos, remque Germanicam iuuabo. *Regino.*

Abdheramnus, Abdallæ quondam Regis iam demortui ex Mahomade filio, nepos, insignia Imperij Cordubæ sumpsit. Lex enim illa apud Mauros inualuerat, vt in rerum administratione (nouo certe exemplo) nepotes præferrentur filijs. Cæterum, cum Imperijs inclinantibus, magnifici tituli vsurpentur, ignauiaque ornamentis quibusdam extrinsecus additis fucata, in publicum prodeat, Almansor, Ledim, Alla, & Miramolinus appellabatur, hoc est defensor legis Dei, & credentium Rex; quamquam, magnos inter Reges numerandus esset, vt pote qui domi, militiæque clarus habeatur. *Historia Hispanica.*

Miron, patre Ianfrido secundo, morte abrepto, Barcinonensi comitatu auctus fuit, eumque summa prudentia, atque æquitate tenuit; *vt refert Franciscus Taraffa, & alij Hispanici Historici.*

Enecus Sanctius ex gente Gothica, vel vt alijs placet, ex comitatu Bigorensi, Arista à velocitate appellatus, vir nobilis, manu promptus, & in bellis asper; Nauarram profectus innumeras Arabum copias, magna cæde edita, prostrauit; victorque de Reipublicæ Christianæ hostibus, trecentorum procerum suffragijs, primus, gentis illius, Rex salutatus, Regni fines longe propagauit, Vasconumque planiciem veterem, suæ ditioni adiecit. *Ita Lucius Marinēus Siculus, Franciscus Taraffa, Alfonsus à Carthagena, Ioannes Vasæus, & Rodericus Toletanus.*

Conradus Franconiæ Dux, opibus, robore animi, atque corporis, fide, existimatione, atque maiestate insignis, Ger-

maniæ Rex, Othone auctore, creatus, societatem cum Francis inijt, eodem Christi Anno nongentesimo scilicet, duodecimo, legemque de pace publica, sub pœna capitis, condidit. Anno vero nongentesimo decimo octauo, Bauariam à se occupatam, fratri Ebrardo concessit, pulso legitimo Duce Arnaldo, seu Arnulpho; proximo denique anno cum supremum sibi diem adesse sensit, vt erat generoso animo, ac liberali præditus, conuocatis Germanis proceribus auctor eis fuit, vt Henricum Othonis Saxonum Ducis, (cuius beneficio, ipse ad Imperium euectus fuerat,) filium, patre summo Duce dignum in Regem eligerent; Nec multo post Henricus, Germaniæ Augustus renuntiatus, fœdus cum Carolo Simplice Francorum Rege, composuit; eique numerosas Germanorum copias pascenti, contra aduersariorum factionem, confestim misit. *Regino, & alij.*

Ziemomislus, Lesci patris virtutum, Imperijque hæres, Poloniæ Rex, omnium votis acclamatus fuit, Anno Christi nongentesimo decimo tertio, Constantini Augusti Orientis secundo, *vt docet Salomon Neugebauerus à Cadano in sua Historia Polonica.*

Ordonius Alfonsi Magni filius, nuntiata Garsiæ fratris morte, nulla prole relicta, ad Regnum, ex Gallæcia, vbi res ex animo gerebat, continuo aduolauit, eodem anno Christi; bonus certe, ac moderatus Princeps, si extrema cum primis contexuisset; nec innocenti castellæ Comitum sanguine, defœdasset. Nunium siquidem, Ferdinandum, & Almondarem Album, cum filio Didaco, ac Fernando Ansuri, publica fide, per speciem colloquij euocatos, neci dederat. *Ioannes Vasæus, & alij Hispaniæ Historici.*

Arnulpho fatis absumpto, Landulphus ipsius filius, Dux Beneuentanus renuntiatus fuit, anno sequenti, Christi nimirum nongentesimo quarto, Constantini tertio. Simeon vero Bulgarorum Rex, pacem cum Constantino Orientis Imperatore, firmauit, non tamen diuturnam, Bulgaris breui post Thraciam rursum infestantibus, *vt habet Curopalates.* Nicolaus demum Patriarcha, Constantini Imperatoris tutor, è palatio, à Zoe Augusta, eiectus fuit, sub idem tempus.

Guillielmus, Rollone patre Normanniæ Duce primo de-

mortuo, regimen sub Roberti Franciæ Comitis tutela, suscepit, Anno Christi nongentesimo decimo septimo; *teste Meierio, & Chronico Normanniæ.* Anno autem nongentesimo decimo octauo fluente, Arnulphus Balduino patri Franciæ Comiti, vita exuto, successit, *vt vult Luitprandus, & alij.*

Garsias Enecus, Eneci, cognomento Aristæ, & Nauarræ Regis filius, vir animi magnitudine, & rebus bello, paceque gestis illustris, rei administrationem, omnibus applaudentibus assumpsit, Anno Christi nongentesimo nono, *vt docent Franciscus Taraffa, Rodericus Toletanus, & alij.*

Burchardus Sueuiæ Dux, Henrici noui Regis imperium detrectans, in eius tandem verba iurare coactus fuit. Illud idem Arnulpho contigit, qui ab Hungaris regressus, Bauariam ea lege recepit, vt Henrico Regi se subderet, & à Regis nomine abstineret. *Sigebertus, Auentinus.*

Edoardus Angliæ Rex pietate summus, permulta bella fœliciter confecit, variaque publica, proprijs sumptibus, extruxit opera, toto isto decennio, splendideque ornauit, *vt placet Matthæo Uuestmonasteriensi.*

VIRI ERVDITI.

Athelstanus, Regis Edoardi, senioris dicti, filius, & paterni Regni hæres, vir belli, pacisque artibus, ac multiplici eruditione illustris, librum vnum de Correctione legum antiquarum composuit; alium ad suos subditos; nouarum legum alterum, & de rebus Astrologicis. *Pithæus de Angliæ scriptoribus.*

Odo ex Danico sanguine ortus, linguaque tum Latina, tum Græca insigniter cultus, ac bonarum litterarum scientijs impense deditus, scripsit librum vnum de nepote suo Osuualdo, Epistolarum alterum, & varia pœmata.

REGNORVM ORTVS.

Nauarræ Regnum in Asturia, & Cantabria initium sumpsit, Anno Christi nongentesimo duodecimo, Constantini Imperatoris Orientis primo. Huic Enecus, cognomento Arista, primo præfuit, *vt affirmant Franciscus Taraffa, Marineus*

Siculus, & alij Hispaniæ Historici.

OPERA PVBLICA.

Edoardus Angliæ Rex oppidum Herefordiæ, Memaram nuncupatum extruxit, Anno Christi nongentesimo duodecimo; aliud insuper in Eastsexia Vuiltham nominatum. Anno autem nongentesimo decimo septimo, arcem firmissimam apud Mardonem erexit; *teste Matthæo Vuestmonasteriensi.*

Ælflexa Merciorum Augusta, Strengate magno cum exercitu profecta, propugnaculum condidit munitissimum, Anno Christi nongentesimo decimo tertio, Constantini Imperatoris Orientis secundo; alterum in plaga Orientali Sabrinæ fluminis instaurauit. Anno denique sequenti, aliud in aquilonari tractu restituit. *Auctor citatus.*

Ordonius in Hispania Rex, Legionem vrbem amplissimam nouis illustrauit ædificijs, locisque amplificauit, Anno Christi nongentesimo decimo octauo, Berengarij quarto, Constantini septimo. *Ita Chronicon Hispaniæ.*

PRODIGIA.

Bremensi Ecclesia apud Saxonas, incendio ab Hungaris iniecto, deflagrante; fœda derepente exorta tempestas, scindulas, è semicremi tecto, euulsas, tanta vi in Barbarorum ora, caputque immisit, vt eos, vel in fluuium se præcipites dare, vel in ciuium manus incidere, coëgerit, *vt scribit Adam in sua Historia.*

RES BELLICÆ.

Dani Merciorum agros hostiliter ingressi, ferro ac flamma diripuerunt, Anno Christi nongentesimo vndecimo, Leonis Imperatoris Orientis vigesimo sexto. Qua de re Edoardus Senior, Angliæ Rex certior factus, collecto confestim milite in hostes aduolauit, eorumque Reges duos, Eouuilem, & Heldeinum, commissa in campo Vuodeni pugna, cæcidit, *vt habet Matthæus Vestmonasteriensis.*

Alfonsus Magnus, quamquam Hispaniæ Imperio abdica-

tus, grauique ætate, Mauros tamen sequenti anno prospere aggressus oppressit; insignique potitus victoria, terrorem vndique circumtulit. *Hispaniæ Historici.*

Francorum copiæ, Eneco Sanctio Bigerriorum in Aquitaniæ parte, Duce, cum expedita Vasconum manu, Pyreneos montes transgressæ eodem Christi Anno nongentesimo scilicet, duodecimo, Constantini Imperatoris Orientis primo, ruentem in interitum, ac prope desperatam, his in locis, Religionem erexerunt. Tanti fuit Francos habere vicinos, & amicos. Horum vero concursu, quanta Christianorum mentes lætitia insedit, ac recreauit; tanta Maurorum animos inuasit, turbauitque consternatio; ac eo quidem vtrobique maior, quo alacrior Francus, superatis (vt erat) montium angustijs, adesse nuntiaretur. Passim oppida, vrbesque, quâ voluntaria ciuium deditione, quâ vi armorum, à Vasconibus receptæ fuere. Cæsi etiam passim, vasta strage, Barbari. Nec vero is victoriarum terminus fuit. Vltra siquidem progressi densos Sarracenorum ordines, tanta confertos multitudine offendere, vt agri omnes, qua longe patebat prospectus, armatis complerentur. At Enecus, vt & terrorem suis, & fiduciam hostibus minueret, hæc præfatus est. Nihil scilicet trepidatione opus; Barbarorum copias vna impressione deleri facile posse, tantamque hominum, vim, impedimento fore, & oneri magis, quam præsidio; neque numero sed virtute, victoriam niti, modo operam, darent, ne se ab hoste circumueniri paterentur. Non defore etiam suis numina, quorum pro aris, ac templis fortiter dimicarent. His incensi Franci vultu, oculis, ferro, animisque terrorem præferentes, in pugnam prosiliunt; nec diu Barbari tulere impetum profligantur vndiquaque, cumque ab effusa fuga, montium prærupta, & quod obiectum à terga erat flumen, arcerent, alij arma fœde iactantes, hinc in præceps, inde in aquam cæsi irruunt. Alij dum aceruis suorum, partim ferro stratis, partim numero obtritis, sistuntur, velut vincti trucidantur. Non alia certe ante Barbarorum, si Turonensem excipias, atrocior pugna, & clades fuit. Tenet fama, visam ab Eneco, in procinctu pugnæ, coruscantem nubes inter, ac miro candore radiantem crucem, quæ & pugnæ incitamentum maximum, & victoriæ omen fuit, gentisque Hispanicæ regium

deinceps insigne. *Ita Rodericus Toletanus, Franciscus Tarasta, & alij.*

Garsias Alfonsi Magni filius, & Hispaniæ Rex, in Maurorum fines, suscepta expeditione, irrupit, Anno Christi nongentesimo decimo tertio, agrisque longe, lateque vastatis, ac direptis oppidis; Aiolam Maurorum Regulum, obuiam prodire ausum, acie victum cepit. Verum in reditu, ad Tremulum oppidum, custodum culpa, fuga euasit; *vt habet Historia Hispanica.*

Ordonius, Garsiæ demortui frater, Regnique hæres, delectu suorum habito, in Carpatanos arma tulit, Anno Christi nongentesimo decimo quarto, Constantini Imperatoris Orientis tertio, Talaueramque, soli, cælique lætissima facie, præcipuum municipium incolarumque frequentia, & mœnium ex secto plurimum lapide, munitione nobili circumsedit; victisque acie Mauris, qui à Rege Cordubensi, auxilio obsessis, missi fuerant, oppidum expugnauit, diripuit, incenditque. Tum capto vrbis præfecto, cum multis alijs viris nobilibus, exercitus Mauricis Spolijs grauis, in patriam remeauit. *Rodericus Toletanus, Franciscus Tarasta, & alij.*

Simeon Bulgarorum Dux, Byzantium validissimis cum copijs aggressus est, eodem Christi Anno nongentesimo decimo quarto, castrisque locatis, acri obsidione vrbem cinxit, sed irrito conatu, *vt vult Cedrenus.* Hungari vero non contenti annuo tributo, cum Ludouico olim pacto, in Bauariam irrumpunt sub idem tempus. In eos Conradus arma vertens, crudeli prælio oppressit. *Auentino teste.*

Bulgari Thraciam depopulati, vrbem Adrionopolim inuaserunt, Anno Christi nongentesimo quinto, Berengarij primo, Constantini quarto. Hanc tamen postea, grandi accepta pecunia, reddidere. Conradus autem, infesta signa mouit in Henricum Saxoniæ Ducem, sed infœliciter, magna suorum strage, ab Henrico profligatus. *Auentinus.*

Ioannes Summus Pontifex, omnibus ferme Italiæ Principibus, ipsoque Constantino Imperatore, ad eijciendos Italia Sarracenos, conuocatis, Garilianum obsedit, Barbarosque deserto oppido, interceptos fugientes ad vnum cæcidit. Cæterum pio huicce bello diuinam opem adfuisse satis constat. Si-

gibertus enim auctor est in prælijs aduersus Sarracenos susceptis, Apostolos Petrum & Paulum pro Romanis acriter depugnantes conspectos fuisse.

Hungari in Sueuiam, Thuringiam, Saxoniam, Bauariam aliasque Germaniæ Regiones impetum fecere, tantasque passim clades edidere; totque in solitudinem pagos, oppidaque redegere, vt nihil pene ab eorum furore illæsum, integrumque remanserit, præcurrentibus eiusmodi furias, bellorumque faces, ipsis etiam cœli, syderumque inusitatis luminibus, *vt refert Isacius Pontanus.* Pagani denique Britonum fines inundantes ferro, flammaque consumpserunt. *Matthæus Vestmonasteriensis.*

Arnulphus assumptis Hungaris in Bauariam redijt, Anno Christi nongentesimo decimo septimo, Berengarij tertio, Constantini sexto, recepitque Ratisbonam, & Eberhardum fugauit. Hungari autem, ex Bauaria, Fuldam vsque progressi sunt, omniaque peruastarunt, *vt placet Trithemio*, Dani insuper, & Sclaui, immo & Boëmi Germaniam varijs deprædationibus incursarunt. *Adamo Auctore.*

Fuit & in Oriente, eodem anno, bellum atrox, Romanos inter, & Bulgaros, qui à Romanis primo conflictu deuicti, victores tamen postea extitere. Hinc factum vt Simeon eorum Dux, tanta victoria tumidus, arma in Constantinopolitanos sumpserit, sed frustra, fortiter à ciuibus repulsus. *De ijs fuse Curopalates.*

Auolalpasus rei summæ præfectus, & Cordubæ Regis Abdheramani Dux illustrissimus, in Christianorum fines, cum valida Afrorum manu recenter missa Almotarapho Duce irruens, ad Durij ripam prouectus est, Rege Ordonio ad Castrum S. Stephani, Gormatij nomine obuiam facto, acriter dimicatum est; nec maiori alias mole concursum; nec dubio magis euentu, vtrobique Duce Mauro cadente. Cæsi magno numero hostes, reliqui in fugam compulsi; Christianorum animi magna sollicitudine liberati, reputantes quantum noui periculi accessisset ex Africa. Verum vt maior victoriæ fructus esset, victos, trepidosque Mauros vrgere placuit, Lusitaniæque agros, atque oppida, quàm longe, ad Anam vsque patet, Emeritæque, ac Pacis Augustæ fines, victoris exercitus incursione, tanto incolarum terrore depopulari, vt in iun-

gendi

gendi fœderis voluntatem incubuerint, & ad victoris arbitrium, pacem redimere fuerint coacti, Anno Christi nongentesimo decimo octauo, Berengarij quarto, Constantini septimo, Ordonij Regni quinto. His peractis, Ordonius Legionem vrbem, triumphantis in morem, ingressus est; *vt refert Historia Hispanica.*

Pagani varias sub idem tempus Anglorum prouincias inuasere. Hos Edoardus Senior, Angliæ Rex, collecta armatorum multitudine fœliciter profligauit; fugientesque insecutus, eorum Ducem, cum filio, ipsiusque fratre interemit, captiuosque permultos abduxit, Danos vero neci dedit. Dein Colcestria capta, Barbaros omnes trucidauit. Nec multo post Maldonam, magna strage edita, occupauit. *Matthæus Vuestmonasteriensis.*

Abdheramnus Cordubæ Rex, graui dolore æstuans, ex re male gesta, superiori anno, & vindicandi iniurias cupiditate ardens; vniuersas Regni vires, & copias in vnum contraxit, atque per Lusitaniæ fines, in eam Gallæciæ partem penetrauit, vbi Rondonia sita est, Mindoniam Symparus vocat, ad eumque locum vtriusque nationis castris positis, ardore animorum singulari, virtuteque non impari pugnatum est. Multi ex vtraque parte cecidere, exæquata clade; noctis tenebris certamen diremptum; neutri manifeste victores. Tametsi huius prælij ea fama fuerit, vt vtraque pars se vicisse prædicaret. Christiani quidem quoniam hostem Gallæciæ finibus expulissent: Barbari autem, quòd toties victi, ad noctem vsque certamen sustinuissent. Commissa vero fuit hæc pugna, Anno Christi nongentesimo decimo nono, Berengarij quinto, Constantini cum Romano octauo; *vt docent citati Auctores.*

REI INSIGNES.

Constantinus Ducas, noua in Constantinum Orientis Augustum moliens, tanti criminis pœnas summa cum ignominia expertus est, Anno Christi nongentesimo duodecimo, Constantini Imperatoris primo, *vt scribit Cedrenus, & alij.*

Erchinger, & Bercaldus Duces Sueuiæ, securi obtruncati sunt, Anno Christi nongentesimo quinto, Berengarij primo,

Constantini tertio; quod contra legem de pace firmata sub pœna capitis, Salomonem Episcopum cepissent, *Constantino imperante.*

Leo Phocas maiestatis reus, ob populi seditionem in Constantinum Augustum, ab eo concitatam, oculis priuatus fuit, Anno Christi nongentesimo decimo nono, Berengarij quinto, Constantini octauo. *Cedrenus, & alij.*

OBITVS ILLVSTRES.

Petrus Tribunus, Venetorum Dux celeberrimus, eius enim auspicijs Veneti fœliciter contra Hunnorum hostiles copias decertarunt, mortem oppetijt, Anno Christi nongentesimo vndecimo; *vt habet Coccius Sabellicus.*

Alfonsus Magnus, recenti de Arabibus victoria clarus, Zamoræ vita functus est anno proximo. *Vasaus, & alij.* Abdalla Sarracenus, Cordubensis Rex in Hispania, desijt viuere Cordubæ eodem anno, ætatis vero septuagesimo secundo, filiasque vndecim; filios autem tredecim reliquit, *vt habet Historia Hispanica.*

Ludouicus Germaniæ Rex, & Arnulphi filius, soloque nomine Augustus, interijt sub idem tempus; in eo Carolorum posteritas defecit in Germania. *Othone Frisingense teste.*

Garsias Alfonsi Magni filius, & Hispaniæ Rex perijt Zamoræ anno Regni sui per vim occupati, tertio, Christi vero nongentesimo decimo tertio, Constantini Imperatoris secundo. Potentia siquidem scelere quæsita, haud diuturna esse solet. *Mariana.*

Lescus quartus Poloniæ Rex, supremum vitæ suæ diem expleuit eodem anno. *Salomon à Cadano in sua Historia Polonica.* Ianfridus insuper, eius nominis secundus Bransinonensis Comes, è viuis sublatus. *Franciscus, Tarafa, & alij.*


Arnulphus Beneuenti & Capuæ Princeps spectatissimus, magnæque famæ, præcipue apud Ioannem Pontificem, morte absumptus est, Anno Christi nongentesimo decimo quarto, Constantini Imperatoris tertio. *Sigonius, & alij.*


Rollo Normannorum Dux, multarumque victoriarum vir, ac Christianis mysterijs initiatus, obijt, Anno Christi nongen-

tesimo decimo septimo, *vt refert Chronicon Normanniæ.* Ragnerus item Lotharingiæ Dux, naturæ concessit eodem anno.

Balduinus huius nominis secundus, & Comes Flandriæ, vitam Gaudani exuit, Anno Christi nongentesimo decimo octauo, Berengarij quarto, Constantini septimo. Enecus primus Nauarræ Rex, rerumque gestarum gloria illustrissimus, Sceptrum cum homine deposuit anno sequenti. *Historia Hispanica.*

Conradus denique Rex Germaniæ, crebris cum Hungarorum gente bellis prospere confectis clarissimus decessit eodem anno, cum Ælfleda, Edoardi senioris Angliæ Regis sorore, & Merciorum Augusta, prudentia singulari, ac pietate insigni. *Ita Matthæus Vestmonasteriensis.*





DECAS TERTIA.

BERENGARII IMPERATORIS OCCIdentis Gesta, & Obitus.



ITalos, quorum opera, Regno exutus fuerat vltutus, Hunnos, ad Italiam varijs populationibus infestandam, exciuit, Anno Christi nongentesimo vigesimo quarto. Nec multo post, vt & natura, & ætate iam exacta mitis erat, Flambertum coniurationis in eum auctorem, ad se euocatum sic effatus est. Si mihi tecum non multæ, & iustæ amoris causæ intercederent, haud difficile credidissem, quod vulgo sermone audio celebrari, te nimirum vitæ meæ insidias parare; nunc vt eis fidem non habeo; sic meminisse te volo, hasce maximas & fortunæ, & dignitatis accessiones, quibus nunc abunde frueris, te nisi meo beneficio, ac studio consequi non potuisse. Flambertus tamen, quamquam Cæsarem ab omni suspicione liberasset, armato succinctus iuuenum globo, ipsum summo mane, sacram ædem, gratias supremo numini agendi causa ingressum adortus, manus suas tanti viri sanguine defœdare ausus est. *Plura de ijs Luithprandus, & Frodoardus.*

ICON

BERENGARII IMPERATORIS OCCIdentis.

BErengarius S. Euerardi Ducis, ac Comitis filius, insigni corporis magnitudine, formaque decorus, paternæ virtutis æmulus, iustitiæ, clementiæ ac pietatis laude illustris, immo in summa varietate fortunæ, constantia, cuiuis priscorum Heroum æqualis, Italiæ Regnum varijs rerum secundarum, aduersarumque inuicem succedentium vicibus iactatus tenuit: Imperij vero insignibus à Ioanne Pontifice decoratus, Augustusque salutatus plurima bella vario Marte suscepit, ac præclara quæque, tantoque digna nomine facinora edidit. Graui tamen odio laborans, à suis, proh scelus, interfectus fuit. Nunquam enim odium inultum ante esse desinit, quam esse desijt.

RONMANI IMPERATORIS ORIENTIS Gesta.

Tanta in dies auctus fuit potentia, vt non iam pro Augusto tantum se gereret, sed primo etiam loco, in edictis, publicisque monumentis inscriberetur. Stephanum, ac Constantinum filios, Theophilacto minimo in Clericum attonso, corona Augustali, summo cum apparatu donauit, Anno Christi nongentesimo vigesimo octauo, Constantini decimo septimo, *vt refert Curopalates.*

CAROLI SIMPLICIS FRANCORVM Regis Gesta.

Germanis magis quam suis credebat sese, committebatque. Et vero Henrico Germaniæ sua omnia velle eum subiicere fama euulgarat, effeceratque; vt vniuersa prope nobilitas ad Robertum Eudonis fratrem Andium Ducem, ac Magistrum Equitum, Regnique æmulum studia, viresque inclinaret, anno Christi nongentesimo vigesimosecundo, Berengarij octauo, Constan-

tini vndecimo. Anno autem sequenti, Robertum prælio inito, interemit; breui tamen post, victor licet, ab Hugone Roberti filio victus, Heribertique Veormanduorum Comitis dolo comprehensus, & ad Matronam fluuium carceri mancipatus, ex eo Ioannis summi Pontificis rogatu solutus fuit. Verum Ioanne extincto, iterum Peronæ in vincula coniectus, Anno Christi nongentesimo vigesimo nono, Constantini decimo octauo. Tandem iocantis fortunæ ludibrio diu perfunctus, dolore absumptus fuit. *Frodoardus*. Cæterum aduerte hic Feudorum primordia eo regnante exorta fuisse. Qui enim antea à Regibus dicebantur Duces prouinciarum regia voluntate, cœperunt sensim dominium occupare, dicique Duces hæreditarij, & Principes.

ICON

CAROLI SIMPLICIS FRANCORVM Regis.

Carolus Ludouici Balbi filius, à simplici indole, & morum clementia, verius quàm stupore mentis Simplex appellatus; Rhemis more maiorum inunctus Francorum Regnum suscepit, sed inquietum, Eudone Rege illi aduersante, fortunaque, duos inter eos Principes, ludente. Eudone tamen morte sublato, omnes Prouinciarum Proceres, ad eum vltro concessere. Cum Normannis omnia ferro, ac flamma miscentibus, fœdus renouauit; & vt strictius inter se vtraque gens iungeretur; adfinitatis etiam accessit vinculum. Magno autem succinctus exercitu in Lotharingiam profectus, regionem omnem facile Regno suo annexuit; nec difficile illi fuisset, Italiam, Germaniamque, Francico iterum subijcere Imperio, nisi suorum perfidia, ac defectione, regia ipsius auctoritas penitus consenuisset. Porro vt singuli morituri nascimur, sic stirpium, sanguinis, ac familiarum indoles suos veluti natales, incrementa, & decrementa habet. Pectoris enim vigor fuit in Pipino Crasso; ignea mens in Carolo Martello; numen prope ipsum in Pipino Rege; animus orbis terrarum ac cœli capax in Carolo magno, quo Franci in summo stetere; Ludouicus paterna magnitudine multò inferior fuit. Caluus propior adhuc laudi quàm vituperationi; Balbus breuitate Regni, atque Imperij obscuræ memoriæ; in Simplice demum, omnium

priscorum Cæsarum gloria, maiorumque memoria pene concidit, nouaque nobilitas aditum sibi ad solium apud Francos patefecit. Tantis denique tempestatibus iactatus fuit, vt post innumeras miserias, quibus Regum infælicissimus cum fortuna luctatus, indignissimo regia maiestate vita excessu in carcere perijt.

RODVLPHI FRANCORVM REGIS Gesta.

Carolo Simplice extincto rerum potitus graues in Heribertum inimicitias exercuit, adegitque eum ad Henricum Germaniæ Regem confugere, Anno Christi nongentesimo trigesimo, Constantini Orientis Imperatoris decimo nono, *vt referunt Scriptores.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Venceslaus Princeps illustrissimus, ac pietate miraculisque clarissimus, omnium votis Boëmorum Dux renuntiatus fuit, Anno Christi nongentesimo vigesimo primo, Berengarij septimo, Constantini decimo, *vt habet Cosmas Pragensis, & alij.*

Rodulphus Cisalpinæ Galliæ Rex in Italiam contra Berengarium euocatus, lætis animis exceptus fuit anno sequenti, pulsoque Berengario, Papiæ Rex acclamatus, à Lamberto Archiepiscopo coronatus fuit, totumque annum prosperis, & ad voluntatem fluentibus rebus decurrit. Anno vero nongentesimo vigesimo tertio commissa cum Berengario pugna, victoriam retulit. Tum Bonifacio sororis viro, cuius egregia, in acie vsus fuerat opera, Spoletinorum, & Comertum Marchione creato, lares populis bene precantibus, repetijt. Audita autem anno proximo Berengarij morte, & Hungarorum fœda incursione, in Italiam magnis itineribus se contulit. Dein Veronam profectus, totum Regnum sine contentione recepit; extant diplomata hocce anno Veronæ concessa, quibus Regum, atque Imperatorum priuilegia omnia confirmauit. *Luitprandus.*

Ludouicus, Carolo Simplice patre Francorum Rege, Heriberti Comitis dolo, comprehenso, in Angliam vna cum matre ad Æthelstanum auunculum confugit, Anno Christi nongentesimo vigesimo tertio, *vt vult Aimoinus.*

Ordonio Legionensi Rege, in Hispania defuncto, Froila eo nomine secundus, illius frater, Regnum nulla domi, militiæque laude clarus, nullo procerum suffragio, neque legibus, neque auspicatu, sed tantum armis, in quibus plerumque iura regnandi sunt, nixus inuasit. Initijs exitus consentanei fuere. Nec diuturnum Imperium, quatuordecim nempe mensium, dedecore, ac turpitudine infame, crudelitate vero nobile; vnde illi Sæui cognomen, ex promiscua sontium, atque insontium cæde, inditum. Olmundi enim viri principis filios peremit, nulla idonea causa. Eorum autem frater Fruminius Legionensis Præsul solum vertere compulsus est. *Rodericus Toletanus, Ioannes Vasæus, Alfonsus à Carthagena, & alij.*

Alfonsus eo nomine quartus, cognomento Monachus, Regnum à Froila iniuria interceptum, post eius obitum recepit, Anno Christi nongentesimo vigesimo quarto, Constantini vigesimo tertio. Froilæ autem filium Alfonsum fuisse, *Lucas Tudensis est auctor*, resistunt tamen alij maiori diligentia, & auctoritate, confirmantque eum Ordonio potius secundo genitum fuisse; Froilæque moribus, quàm patri similiorem; nulla siquidem in eo virtus, nulla dignitas, nullaque bello subacta, & ad ditionem adiuncta prouincia; ita vt prorsus gentis totius inuidia flagraret.

Æchelstanus, Edoardo seniore patre, Angliæ Rege demortuo, purpuram induit sub idem tempus; annoque proximo, Christi scilicet nongentesimo vigesimo quinto, Eagitham sororem suam, Sitherico, Danica natione progenito, & Northumbrorum Regi, matrimonio collocauit. Anno autem nongentesimo vigesimo sexto, Constantini decimo quinto, Sitherico defuncto, expulsoque Guthefredo eius filio, Imperium suæ ditioni adiunxit. Mox Hunnal Britonum, Constantino Scotorum, ac Vlfertho Ventorum Regibus deuictis, fugatisque & Ealdredo Eadulphi filio, è castello Bebanbert exturbato, pacem ab eis petitam firmauit. *Matthæus Vestmonasteriensis.*

Ferdinandus

Ferdinandus Gonſaluus, Caſtellæ Comitatu donatus, ob excellentes, & eximias virtutes, æquitatem ſcilicet, manſuetudinem, religionis ſtudium, magnúmque in re militari vſum; quo præſidio non modo veteres prouinciæ fines tutatus eſt, ſed etiam Legionenſium Regum ditionem, vltra Piſoricam fluuium coërcuit, Mauris vrbes, & oppida plurima eripuit; Vaſconum inſolentiam, Regis Sanctij Abarcæ cæde mulctauit. *De eo plura Vaſæus.*

Garcias Sanctius, Abarcæ Patri Regi clariſſimo, in acie cæſo ſucceſſit, eodem Anno Chriſti nongenteſimo vigeſimo ſexto. Hic Tremulus cognominatus fuit, quod in præliorum congreſſu totus contremiſceret, quamquam in ipſo conflictu, collectis viribus acriter depugnaret, intrepidúſque videretur; *Ita citatus auctor.*

Hugo Arelatenſis Comes, Lotharij Comitis Arelatenſis filius, & Lotharij Lotharingiæ Regis nepos, vir magni conſilij, & prudentiæ, ab Italis accerſitus, Rodulphi Regis potentiam pertimeſcens, Piſas ſub idem tempus, maritimo itinere menſe Iulio acceſſit; deinde Papiam profectus, ſummo omnium principum, populique ſtudio, Rex ſalutatus fuit; coronáque Mediolani ab Archiepiſcopo exornatus. Tum Veronam, atque Mantuam perrexit; vbi cum Ioanne Pontifice fœdus percuſſit. Mox Papiam regreſſus animum ad rei adminiſtrationem adiecit; omnibuſque ſe, quibus potuit domeſticis, externiſque præſidiis muniuit. Proximo vero, anno Chriſti nimirum nongenteſimo vigeſimo ſeptimo, Conſtantini Imperatoris Orientis decimo ſexto, Henricum Germaniæ Regem, ad amicitiam ſecum iungendam adduxit; Græcumque Auguſtum miſſis exquitiſiſſimis muneribus, ſibi conciliauit. Vrſo autem Venetorum Duci, vetera libertatis, atque immunitatis beneficia ſibi confirmari poſtulanti, annuit; Et quod ad memoriam inſignius eſt, inteſtinam aduerſus ipſum conflatam coniurationem, non ſumma ſolum prudentia, ſed magno etiam conſilio extinxit; tantamque ob id apud Italos ſapientiæ famam collegit, vt non quidem ludibrio, ſicut cæteri Reges, ſed admirationi omnibus fuerit; *vt teſtantur Frodoardus, Luithprandus, & alij.*

Vido, Tuſciæ Marchio, vxore Marozia inſigni ſcorto im-

pellente, vrbem Romam occupans, Ioannis summi Pontificis fratrem trucidauit, ipsumque Pontificem in vincula coniecit, tum vt volunt aliqui, gulam illi crudeliter fregit, Anno Christi nongentesimo vigesimo octauo, Constantini Imperatoris decimo septimo. *Auctores citati.*

Henricus Germaniæ Rex, Vithiensem cognatum suum Misenæ vrbi, ad Albim recenter conditæ imposuit, eodem Christi anno, vt Imperium contra Sclauos tueretur. Dein in Boëmiam se conferens, fœdus cum Venceslao Boëmorum Duce, magnique nominis viro, sanciuit; præfecitque in Austria, contra Hungaros Leopoldum Ducem Sueuiæ. Anno vero Christi nongentesimo vigesimo nono, Bernardum Ducem Lunaburgensem, & Comitem Vithiensem immisit contra Vandalos Saxoniam incursantes; Marchionatum insuper Sleuicensem ad Cymbriam Chersonesam instituit. Sacrarum autem reliquiarum eximius cultor, Lanceam ex parte claui, quo Christus cruci suffixus fuerat, affabre compactam, & apud Constantinum Magnum in summa veneratione habitam, à Rodulpho Burgundionum, & Italiæ Rege precibus, promiscue, minisque, ac muneribus extorsit, eodem Christi anno; tantique eam pretij ad sui, ac Regni tutelam esse duxit, vt Rodulpho non auri modo ingentem vim miserit; sed etiam Sueuiæ quoque partem donarit posterisque suis pro Sacro sancto Imperij insigni reliquerit. Anno denique nongentesimo trigesimo, Constantini Imperatoris decimo nono, in Daniam profectus, Vormium Regem ad tributum annuum pensitandum adegit; *vt docet Albertus Cantzius.*

Boneslaus vir ad crudelitatem natus, cæso propria dextera, sacra in æde, piasque inter preces Venceslao fratre Boëmorum Duce, spectatissimo, ac summe pio, principatum vi arripuit, Anno Christi nongentesimo decimo nono. *Ita Cosmas Pragensis in suis Annalibus.*

Otho Magnus Editham Edmundi in Anglia Æthelstani fratris, Regisque filiam thoro sibi iunxit, Anno Christi nongentesimo trigesimo, *Alberto Crantzio teste.* Vrso demum Venetorum Duce, monachum, abdicato magistratu, sub idem tempus agente, Petrus Candianus omnium suffragijs regimen suscepit, *vt vult Coccius Sabellicus.*

VIRI ERVDITI.

Fridegodus natione Anglus Græca, latinaque lingua apprimè instructus, lucubrationes multas, & eas non inelegantes edidit, librum præsertim vnum de S. Vuilfrido, & alium de S. Audebeno Monacho versibus heroïcis; pluraque alia pia opera quæ habes in sacra mea Historia.

Sarlo Anglus Cornubiensis Episcopus, poëta acutus, Rhetor eximius, omnique humaniore litteratura, immo etiam artibus liberalibus egregie instructus: floruit hoc tempore non pauca scripsit opera, *vt referunt Pithæus de illustribus scriptoribus Britanniæ, & Lelandus.*

OPERA PVBLICA.

Edoardus senior Angliæ Rex munitissimum in australi plaga ædificauit oppidum, Anno Christi nongentesimo vigesimo primo, Berengarij septimo, Constantini decimo, *Matthæo Vestmonasteriensi Auctore.*

Didacus cognomento Porcellus, natione Germanus, ditissimam in Hispania vrbem, ac nobilissimam, ex varijs vicinis pagis, Burgo dictam (Burgi enim apud Germanos pagi vocantur) splendide construxit, Anno Christi nongentesimo vigesimo sexto, Constantini decimo quinto, *vt docet Vasæus, & alij.*

Henricus item Germaniæ Rex, ciuitatem ad Albim contra Sclauos, Misenam à riuulo ibi decurrente appellatam, condidit, Anno Christi nongentesimo vigesimo octauo, Constantini decimo septimo. *Ita Trithemius.*

PRODIGIA.

Crebra per aërem visa portenta non mediocrem incussere timorem, Anno Christi nongentesimo vigesimo secundo, Berengarij octauo, Constantini vndecimo. Sol enim non procul à Camaraco ternos orbes spectantibus præbuit; spicula item duo, tandiu sibi aduersari in cœlo conspecta, donec illa nubes

contegiſſet. Ignei inſuper ſtipites ad horrorem concurrere, donec vtrumque altera nubes inuoluiſſet. Hæc autem grauiſſimo certamini, quod poſtea inter Carolum Simplicem Francorum Regem, & Robertum nouum Cæſarem, in Francia commiſſum eſt, præludere credita. *Frodoardus.*

Ignei denique per totam Angliam apparuere radij in aquilonari plaga, Anno Chriſti nongenteſimo vigeſimo ſexto, Conſtantini decimo quinto. Sequenti vero ſanguineæ acies ingenti conflictu interſe dimicantes apparuere in Gallia, decimo ſexto Kalendas Martij; Hunnorum in Francia, Burgundia, & Aquitania futuram depopulationem portendentes. *Auctor citatus.*

CALAMITATES.

Permulti homines fulmine tacti periere; variaque tum publica, tum priuata ædificia abſumpta. Dein trium menſium, Iulij nimirum, Auguſti, & Septembris ſpatio ſiccitas continua, Anno Chriſti nongenteſimo vigeſimo primo, Berengarij ſeptimo, Conſtantini decimo, *vt habet Frodoardus.* Anno autem nongenteſimo vigeſimo ſeptimo, Conſtantini decimo ſexto, vulgaris inualuit morbus, quo hominum pars maxima, tum Galliæ, tum Germaniæ exhauſta fuit. *Auctore citato.* Proxima denique hyems ſtupondæ frigiditatis graſſata eſt, *vt ſcribit Conradus.*

RES BELLICÆ.

Omnia in Occidente bellis ciuilibus flagrabant, Anno Chriſti nongenteſimo vigeſimo primo, Berengarij ſeptimo, Conſtantini decimo. Barbari vero vbique deſæuiebant. Normanni tamen, à Roberto Comite perdomiti fuere. *Frodoardo teſte.* Bulgari denique Thraciam infeſtantes, Conſtantini, ac Romani Imperatorum Orientis exercitum profligarunt, *vt vult Sigebertus.*

Ad vallem Iuncariam, ſeu Iunqueram, Vaſconum, & Legionenſium copijs cum Mauris dimicatum, eodem Anno nongenteſimo primo. Non minor quam in Gallæcia animorum contentio, nec minor ſtrages, vel minus dubia victoria. Hac pugna ſuperiores Mauri, in ea Garſias Afnarius Aragoniæ Co-

mes perijt; Cantabriæque pars illa, cui Alauæ nomen est, Maurico Imperio cessit, pactoque pretio redempta libertas, atque obsides, dum aurum appenditur, dati. *Ita Hispanici Historici.*

Hungari in Germaniam valido cum exercitu irruere, Anno Christi nongentesimo vigesimo secundo, Berengarij octauo, Constantini vndecimo. Dein post afflictam varijs cædibus, atque direptionibus Sueuiam, in Lotharingiam, ac Galliam progressi sunt. Mox apud Vormatiam, per Hassiam & Thuringiam reuertentes, Saxoniam petiere, vrbemque Magdeburgum euertere. Tum Albim transeuntes, Bremenses acri obsidione expugnauere. Imperator tamen quamquam viribus impar, eos fortiter cohibuit. *Ita Cyriacus Spongenbergius.*

Robertus Eudonis frater, Andium Dux, & Magister equitum, Galliæ Rex, procerum, à Carolo Simplice legitimo Rege deficientium factione creatus, vt virtute Regnum adeptus, non ambitu populariũ suorum irrepsisse Imperio diceretur; numeroso succinctus milite ad Axonam fluuium progressus est. Qua de re certior factus Carolus Rex, hosti exterorum frequenti concursu instructus, maiestateque haud parum securus occurrit. Pro eo Flandri, Lotharingi, Germanique depugnabant. Nouum vero Regem Francorum pars maxima sequebatur. In Suessionum finibus concursum, initumque certamen, principio quidem dissimile, exitu autem, ac viribus prope paribus, alternante victoria: vtrique tamen Imperatori, ne victo insultaret victor, potentiæ suæ terminus fuit hæc pugna; huic enim fato, illi captiuitate, erepta est. Cæterum dum Robertus acerrime ante signa dimicat, hostium circumuentus multitudine, occiditur, Anno Christi nongentesimo vigesimo tertio, Berengarij nono, Constantini duodecimo. Fama est Caroli Regis manu interfectum eum fuisse, impacta in os lancea; quæ victoria strenuum magis Ducem, quam ignauum Principem arguit. Ceciderunt in ea acie sexdecim Francorum millia, vel vt alij volunt, octodecim. Quanto quæso honestius, si pro patria, non inuidiæ, aut prauæ cupiditatis stimulis, incitati ciues, gladiatorio plusquam more decertassent. Verum Carolus Simplex, victor licet, victoria vti non potuit; omni quidem genere vitæ simplex, sed in eo potissimum, quod victor, in morem victi se gesserit, missis ad hostes oratoribus pro sup-

plicibus. *Paulus Æmilius, Regino, Sigebertus, Iacobus Meierius, Frodoardus, & alij.*

Reginaldus Normannorum Princeps à Carolo Simplice Rege euocatus, exercitum suum in Atrabatium ditionem, longa facta populatione, adduxit, metu etiam Galloflandris circumcirca late concusso, *vt referunt Scriptores citati.* Ciuile item bellum inter Berengarium & Rodulphum enatum est, eodem Christi Anno nongentesimo vigesimo tertio, crudelique prælio apud Fidentiolam pugnatum est; inclinanteque Rodulphi parte, Bonifacius Valdredi ipsius sororis maritus, & Goriardus Comites ex insidijs opportune exilientes, pugnam restituerunt, ingentique edita clade, Berengarium Veronam confugere adegerunt, Frodoardo teste, qui addit cæsos insuper fuisse Atrabatum iuxta, Normannos à Rodulpho Rege, pacemque cum ijs firmatam fuisse.

Hungari à Berengario acciti, Cisalpinam Galliam grauiter afflixere, anno Christi proximo; Ticinoque in primis ciuitati regiæ, fœda hæc procella incubuit, qua vrbs solo fere æquata, splendorem suum pristinum penitus amisit. Præter enim priuatas publicasque domos, quadraginta tria templa flammis exhausta fuere; vixque ducenti ciues ex tanta strage superstites. Exin tamen victores Barbari, in Galliam proficiscentes, à Rodulpho Rege, Hugoneque Viennensi cæsi pene omnes, in angustijs Alpium fuere; *vt habet Frodoardus.*

Frequentibus inter se prælijs Franci, Normannique conflixere, eodem Christi Anno nongentesimo vigesimo quarto, Constantini decimo tertio; Nec prius cessatum est, quam pacta ingenti mercede, Nannetensis ager, finitimæque in Armorica regiones, Normanis victoribus traderentur, *vt docet citatus Auctor.* Sed cum vix exuta barbarie à direptionibus non temperarent; excessu Guillielmi Aquitaniæ Ducis, cognomento Deuoti, incitati in spem prædæ, eam in prouinciam populabundi inuolarunt. Hos Rodulphus Francorum Rex ita fœliciter incautos adortus est, vt tota regione submouerit. Porro cum horum Imperio, populi Armorici subiacerent, tacita coniuratione, inuisæ gentis iugum excutere meditati sunt; nec diu morati, Stato siquidem tempore Normannos ex compacto ad vnum trucidarunt. Sed breui, Armoricorum sanguine, expiata re-

bellio. *Vide Normannorum Historiam.*

Bulgari Thraciam iterum infestarunt sub idem tempus; ac fatigatam insuper obsidione, fameque Adrianopolim occuparunt. Tum Bulgariam repetentes vrbem, haud satis firmo præsidio munierunt, breui siquidem post, eo expulso fugatoque, recepta fuit ciuitas, Ducum Imperatoris Romani opera, *vt placet Cedreno.*

Henricus Germaniæ Rex funesta contra Vandalos signa tulit, Anno Christi nongentesimo vigesimo quinto, Constantini decimo quarto, remque fœliciter gessit. *Albertus Cranizius.* Sarraceni vero Lemnum sequenti anno inuaserunt; haud multo post tamen à Romanis fœde oppressi fuerunt, *vt refert Cedrenus.*

Ferdinandus Gonsaluus Castellæ Comes, arma in Abarcam Vasconum Regem vertit, quod Castellæ fines infestare non cessaret, legatosque damna ab eo reposcentes, verbis asperis, minisque tractasset. Ad Gallandum itaque oppidum vtrinque vires, atque copiæ collectæ, eodem Christi Anno, nongentesimo scilicet vigesimo sexto, Constantini decimo quinto; cumque multis cadentibus, à neutra parte victoria staret; ad singulare Ducum certamen ex prouocatione ventum est. Hastis concurritur, ambo ex equis ad terram prostratis, Rex lethali vulnere accepto, Comes grauiter sauciatus, sed citra vitæ periculum; & ex ea re Castellæ militibus animus auctus; fusi fugatique Vascones, à Tolosano Comite, qui auxilio superuenerat, in aciem reuocati sunt. Prælium rursus redintegratur, sed pari successu. Comes enim, cum Comite fortiter depugnauit, sed Tolosano in ea dimicatione cæso, Vascones diffugere non sine magna strage. *Historia Hispanica.*

Henricus Germaniæ Rex expeditionem in Vandalos, Sorabosque suscepit anno proximo; vastatisque eorum regionibus, vrbem Grunau infra Ilenburgum expugnauit, omnesque præter impuberes interemit, ciuitas vero incensa penitus fuit. *Albertus Crantzius.* Anno vero nongentesimo vigesimo octauo, Simeon Bulgarorum Rex, post Thraciam, Macedoniamque direptas, Byzantium aggressus, sacra profanaque loca diripuit; repulsus tamen fuit, non ferro quidem, sed auro; *vt docet Curopalates.*

Ingens prælium, Æthelstanum inter Regem, & Danos Scotosque ad Brommyfeldum commissum fuit, Anno Christi nongentesimo vigesimo nono, Constantini decimo octauo. Quo Dani numero, ac viribus longe superiores prostrati fuere, cæso totius Scotiæ nobilitatis flore; vixque Macolmus tantarum copiarum Dux celeberrimus, cui Cumbriæ principatus, in spem Regni concessus fuerat, multis confossus vulneribus ægre fuga elapsus est. Æthelstanus autem attonitis tanta clade hostibus, Cymbriam à Scotis, & Vestmariam; à Danis vero Northumbriam cepit. *Buchananus, Leslaus, & alij.*

Henricus Germaniæ Rex, Bernardum Ducem Lunaburgensem, & Comitem Vitibinensem, contra Vandalos Saxoniam incursantes, immisit eodem anno: Hostiumque ad centena viginti millia cæcidit ad mare Balthicum. Idem Anno nongentesimo trigesimo, Constantini decimo nono, in Danos mouit, eorumque Regem cognomento Vormium ad tributum annuum pensitandum adegit. *Albertus Crantzius.*

REI INSIGNES.

Elfredus quidam iudicio postulatus, quod Æthelstano Angliæ Regi insidias, vt Regni æmulus, struxisset, peierans Romæ, ante aram Principis Apostolorum, coram Ioanne summo Pontifice, insontem sese intentati criminis esse, derepente concidit, sublatusque semianimis, die tertia perijt, Anno Christi nongentesimo vigesimo quarto, Constantini decimo tertio, *vt habet Guillielmus Malmesburgensis.*

Biennio post, Christi scilicet nongentesimo vigesimo sexto, Constantini decimo quinto, Valpertus funesta in Hugonem Italiæ Regem moliens, securi percussus fuit. Gezo vero eiusdem sceleris conscius, oculis, linguaque mulctatus, reliqui demum in vincula coniecti. *Sigonius.*

OBITVS ILLVSTRES.

Richardus primus Burgundiæ Rex, & Rodulphi pater, religionis in Deum, ac summæ fidelitatis in Regem, gloria percelebris vita functus est, Anno Christi nongentesimo vigesimo primo,


primo, Berengarij ſeptimo, Conſtantini decimo. Sequenti vero Theodora Auguſta Romani Imperatoris Orientis vxor. *Curopalates.*

Robertus Pariſienſis comes in Francorum Regem, recenter inauguratus, commiſſa contra Carolum Simplicem, legitimum Regem, pugna, occubuit, Anno Chriſti nongenteſimo vigeſimo tertio, Berengarij nono, Conſtantini duodecimo. *Frodoardus, Regino, & alij.* Ordonius vero Legionenſis in Hiſpania Rex, & Sarracenorum terror, interijt ſub idem tempus. *Mariana.*

Froila Hiſpaniæ Rex lepræ morbo non magis deformis, quam totius vitæ ignauia, & Caſtellæ alienatione, obijt, Anno Chriſti nongenteſimo vigeſimo quarto, Conſtātini decimo tertio. Edoardus autem ſenior, Angliæ Rex ſpectatiſſimus, crebriſque victoriis clariſſimus, maximo omnium luctu, è viuis ſublatus eſt. *Matthæus Veſtmonaſterienſis.*

Sanctius Abarca Nauarræ Rex, magni apud omnes Principes nominis, rerumque geſtarum laude inſignis, lethali, ſingulari in certamine accepto vulnere, fato conceſſit, Anno Chriſti nongenteſimo vigeſimo ſexto, Conſtantini decimo quinto. Proximo, Guillielmus Aquitaniæ Dux, pius cognominatus.

Venceſlaus denique Boëmorum Dux, virtutum magnitudine, atque multitudine, immo ſtupendis prorſus miraculis illuſtris, ſacra in æde, pias inter preces, Boleſlai dextera, cecidit, Anno Chriſti nongenteſimo vigeſimo nono, Conſtantini decimo octauo; *vt habet Coſmas Pragenſis.* Alij vero referunt cædem illam, ad annum nongenteſimum trigeſimum octauum, Conſtantini vigeſimum ſeptimum.



DECAS QVARTA.

ROMANI IMPERATORIS ORIENTIS Gesta.

INGENTEM contra Sarracenos immisit exercitum, Anno Christi nongentesimo trigesimo secundo, illosque penitus attriuit; *Cedreno teste.* Anno vero nongentesimo trigesimo quarto, Constantini vigesimo tertio, amicitiam cum Alberico Tusciæ Marchione, Romanam vrbem, consulari potestate, regente, junxit; eiusque ope impetrauit à Ioanne summo Pontifice, vt Theophilactus filius, iure Pallij vteretur. Pacem denique cum Turcis firmauit; nec sumptibus pepercit, vt captiuos redimeret. *Ita Luithprandus.*

RODVLPHI FRANCORVM REGIS Gesta, & Obitus.

Fœdus cum Normannis, concessa eis tota Armoricæ ora, pepigit, anno Christi nongentesimo trigesimo secundo, Constantini Imperatoris vigesimo primo, illorumque opera, contra conjuratos, à quibus continuo grauissimis petebatur bellis, prosperè vsus est, Anno Christi nongentesimo trigesimo quarto, breuique post viuere desijt. *Frodoardus, Glaber, & alij.*

ICON

RODVLPHI FRANCORVM REGIS.

R*Odulphus Richardi filius, & Roberti gener, eius enim filiam Emmam, Hugonis Magni sororem, in vxorem acceperat, Galliæ* Rex, *Ariberti viri potentißimi, aliorumque Principum factione, renuntiatus, Imperium intestinis motibus, crebro, varieque iactatum, tredecem annis tenuit. Plurima secunda satis bella confecit; Normannosque tota Aquitania, in quam inuolarant, Guillielmo illius Duce mortuo, prospere submouit. Hos tamen sibi, pace inita, conciliare coactus fuit, tum eorum opibus nixus, principatum, contra æmulos suos firmare. Cuius rei compos factus, Phtisi, seu vt volunt aliqui, fœdißimo pediculorum morbo, putrescentibus paßim membris, perijt. Sic enim interdum, magnis Principibus euenire vsu solet, vt inhonesta mors, partam præclaris facinoribus gloriam, fœde deturpet.*

LVDOVICI FRANCORVM REGIS Gesta.

Rodulpho Rege defuncto, ex Anglia, quò, patre Carolo simplice comprehenso, aufugerat, euocatus, Episcoporum, procerumque conuentu, Lauduni habito, Galliæ Rex acclamatus fuit, Anno Christi nongentesimo trigesimo sexto. *Frodoardus, Æmilius, & alij.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Henricus Germaniæ Rex sanctionem edidit, Anno Christi nongentesimo trigesimo primo, qua præcepit, vt parentis arma, instrumentaque omnia bellica, primogenitis traderentur. *Ita Const. Imp.* Anno vero sequenti bellum Hungaris, tributum de nouo petentibus indixit, *vt habet Cyriacus Spongenbergius.* Relata denique de hostibus victoria, in Saxoniam

profectus, ludos equestres constituit, Anno Christi nongentesimo trigesimo tertio, Constantini Imperatoris vigesimo secundo; eos vero die duodecima Ianuarij anni sequentis, Magdeburgi, magno cum apparatu, celebrari voluit; legesque duodecim condidit, quibus, nullus, nisi vere nobilis, scelerisque purus, ad eos admittebatur. *Crantzio teste.*

Alfonsus Rex in Hispania, moribus Froilæ, quàm patri similior, rerum gerendarum mole oppressus, Ramiro fratri Zamoram euocato, Regni administrationem commisit, Anno Christi nongentesimo trigesimo primo; ipse vero, otij cupidior magis, quam pietatis, vti euentus declarauit, Monachum induit; nulla decoris cura, neque Ordonij filij, quem ex Vrraca Semena, Sanctij Abarcæ Vasconum Regis filia genitum in tenera ætate, præsidio destitutum, atque iniuriæ opportunum reliquit. *Historia Hispanica.* Ramirus vero Legionensis Rex acclamatus, Theresiam Vrricæ filiam connubio sibi iunxit.

Arnulphus Flandriæ Comes Moritania recepta, amplissimis cultus fuit honoribus, muneribusque, sub idem tempus. Anno autem nongentesimo trigesimo septimo, Constantini vigesimo sexto, Alisam Eriberti Veromanduorum Comitis filiam duxit; *vt refert Frodoardus, & alij.*

Petrus, Simeone patre, & Bulgarorum Rege defuncto, Regimen suscepit, anno Christi nongentesimo trigesimo secundo; pacemque cum Romano Imperatore Orientis composuit; immo Christophori filij sui filiam in coniugem accepit, nuptiæque celebratæ octauo die Octobris.

Curauas eiusdem Augusti Dux celeberrimus, secundo Marte, contra Sarracenos pugnauit, Melitenamque in prouinciæ formam redegit, eodem Christi anno nongentesimo trigesimo secundo. *Ita Cedrenus, & alij.* Raze autem in locum Elcachar Babyloniorum Amyræ, subrogatus fuit anno sequenti.

Hugo Italiæ Rex; à Merozia insigni scorto, & Vidonis Tusciæ Marchionis iam extincti coniuge, Romanæ ciuitatis Imperium, ei ad nuptias contrahendas, offerente, accitus, eodem anno nongentesimo trigesimo tertio, vrbe potitus est. Verum impotentia animi, gaudium illud haud diuturnum fuit. Albericus siquidem Maroziæ nothus, alapa, ab Hugone

percussus, quod parum scite, aquam manibus ministrasset; stimulante ira, Romanos derepente perpulit, vt Barbarum illum Principem è ciuitate quamprimum eijcerent. Veteri igitur magistratu renouato; ipseque Consul factus, expulso Hugone, vrbem summâ potestate rexit. Tum ex eo tempore Romani, Regibus, Pontificibusque contemptis, & Consulibus, Tribunis plebis, Præfectoque vrbis, ex antiquo more repetitis, veteris Reipublicæ formam reuocarunt. *Luithprandus, Frodoardus, & alij.* Hugo vero, vt futuris malis occurreret, spemque omnem nouorum Imperiorum, hostibus suis adimeret: Lotharium filium suum ex Ahla vxore susceptum, in Regni consortem sibi adsciuit; cumque Mediolani ab Episcopo coronari iussit, atque Adeleidem Rodulphi Burgundionis Regis filiam, ei in conjugem dedit. Berengario autem Adeberti Eporædiæ Marchionis filio, & Berengarij senioris, ex filia Gisla, nepoti, Villam, Bossonis fratris sui Tusciæ Marchionis filiam collocauit, anno Christi nongentesimo trigesimo quarto. Anscarium denique illius fratrem, Theobaldi Comertum, & Spoletanorum Marchionis iam demortui ditionibus auxit; hisque beneficiis summos illos viros, summe sibi deuinxit; *vt docent scriptores temporis.*

Æthelstanus Angliæ Rex, veritus ne Eaduinus frater adhuc puer, maturus aliquando Regno, ipsum è solio detruderet, submergi curauit. Tanti tamen postea criminis dolore tactus, grauem egit pœnitentiam, magnisque Ecclesiam donauit muneribus, eodem Christi anno nongentesimo trigesimo quarto. *Matthæus Vestmonasteriensis, & alij.*

Guillielmus, Aquitaniæ Ducis sublati principatum obtinuit, anno Christi nongentesimo trigemo quinto, Constanstini vigesimo quarto, *vt docet vetus Chronicon.* Rolloni item Normanorum Duci sub idem tempus defuncto successit filius cognomento Guillielmus.

Otho, Henrici Aucupis Germaniæ Regis, ex Mathilde, Theodorici Saxoniæ principis nata, filius, pietate, prudentia, ac humanitate par, nec fortitudine militari impar, patre morte absumpto, non tantum Regni hæres, sed & ipsius gloriæ, omnium applausu renuntiatus fuit, anno Christi nongentesimo trigesimo sexto, Constantini vigesimo quinto. Sequenti

vero Comitiis Aquisgrani habitis, Rex, ab Episcopis, & Imperij proceribus confirmatus, à Moguntino Antistite sacris ritibus inunctus fuit. *Ita Vitichindus scriptor clarissimus*; subactisque Brandeburgensibus & occupata Bauaria, Bertholdum Ducem constituit, Anno Christi nongentesimo trigesimo octauo, Constantini vigesimo septimo. Anno demum proximo, Magdeburgum Editæ conjugi in dotem dedit; iusque Saxonicum quo nepotes, patris extincti loco, hæreditatem aui sui adire poterant, firmauit. *Albertus Crantzius.*

Conradus, patre mortuo, insignibus Burgundiæ Transiuranæ ornatus fuit, Anno Christi nongentesimo trigesimo septimo, Constantini vigesimo sexto. *Luithprandus, Regino, & alij.* Petrus vero Bodoarius, Venetorum Dux, omnium suffragiis renuntiatus fuit. Trancuuerdus denique Othonis Germaniæ Regis frater, Marchionatum Brandeburgensem, Geroni concessum, occupare tentauit, vnde bella permulta exorta, *vt refert Vitichindus.*

Berengarius iunior, Berengarij senioris ex filia nepos, Hugonem veritus, ad Othonem Germaniæ Regem confugit, Anno Christi nongentesimo trigesimo nono, Constantini vigesimo octauo. Eberardus autem in Othonis Principis gratiam receptus, funesta iterum in eum molitus est, sub idem tempus, fœdere cum Giselberto Lotharingo, & Henrico Othonis fratre, inito. *Fab.*

Edmundus, Æthelstano fratre Angliæ Rege extincto, rerum potitus est, Anno Christi nongentesimo quadragesimo, Constantini vigesimo nono; *vt habet Roger.* Analafus è Northumbrorum Regno expulsus, magnis cum naualibus copiis, hoc eodem anno, Eboracum profectus; Australesque Angliæ partes ingressus, pacem cum Edmundo Rege ex lege composuit, vt Regnum inter eos diuideretur. Analafo quidem ea Angliæ pars, quæ tendit ad Borealem plagam contigit; Edmundo vero illa, quæ ad Australem. *Matthæus Vestmonesteriensis.*

Albericus Romæ Imperans, in Stephanum summum Pontificem, natione Germanum grauiter desæuiit, quod Othonis Germaniæ Regis ope ad tantum honoris fastigium euectus fuisset. Petrus demum Candianus, Bodoario Veneto-

rum Duce demortuo, omnium votis creatus fuit. *Coccius Sabellicus.*

VIRI ERVDITI.

Saliphilax natione Britannus, vir omni politiore doctrina insigniter ornatus, atque antiquis maximeque suæ gentis historiis deditus, sedulam nauauit operam vt maiorum suorum res gestas è tenebris vindicaret, & volumen grande de genealogia Regum Britannorum composuit.

Vunuvonus in Cambria natus, Latinæ, Græcæque linguæ peritus, vt summæ apud omnes doctrina præstantes viros, famæ fuerit. Consuetudines, legesque, Verolamiensis ciuitatis, latio donauit idiomate; quædam etiam de ritibus, sacrificiis, aliisque Romanorum Ethnicorum ceremoniis; *vt vult Lelandus.*

Ratherius Episcopus Veronensis floruit etiam hoc tempore, scripsitque librum vnum de suo exilio; alium item, Frenesis prænotatum, & Agonisticon. *Gesnero teste.*

OPERA PVBLICA.

Boleslaus Boëmorum Rex, & Venceslai fratris percussor, Boleslauiam vrbem amplissimam, magnis sumptibus, ad Albim condidit, Anno Christi nongentesimo trigesimo secundo, Constantini vigesimo primo: *vt habet Cosmas Pragensis.* Anno vero nongentesimo trigesimo nono, Constantini vigesimo octauo, Magdeburgensis ciuitas, Parthenopolis olim dicta, & Saxoniæ totius clarissima, Imperatorumque, atque Pontificum sedes illustrissima, splendide restaurata fuit; *Ita Albertus Crantzius.*

PRODIGIA.

Sol secunda post meridiem hora, terras horrida, tetraque caligine inuoluit decimo quarto Kalendas Augusti anni nongentesimi trigesimi quarti, Constantini vigesimi tertij: Idibus vero Octobris, funereum colorem induit. Hiatus præterea magnus in cœlo visus, ac stellæ insitata specie, ad Austri

plagam cadentes; aliaque similia supremi numinis iram portendentia; *vt habet Historia Hispanica.*

Fons item sanguinis in Genuensi vrbe, quæ in Alpibus Cottiis, octingentis stadiis à Papia distans, & supra Africanum mare constituta, ab Annibale quidem deleta, sed maiori ædificiorum elegantia, à Seruilio Consule restituta, largissime fluxit, Anno Christi nongentesimo trigesimo sexto, Constantini vigesimo quinto. *Vide Vincentium.* Sequenti autem anno, Sol funesto circumfusus lumine, sanguineos velut radios ad omnium horrorem immisit. *Sigebertus.*

Adde stupenda duo illa in Albione enata monstra, Anno Christi nongentesimo trigesimo octauo, Constantini vigesimo septimo. Quorum vnum inter Danos fuit, Hermaphroditus nempe homo, aspectu horridus, vt pote setosus maxime; porcino capite; ventre obeso; pedibus prope anserinis, & cruribus humanis: Alterum in Nortumbria, cui sexus erat vnus virilis, vnusque venter, sed pectora duo carinata, seu cauata, brachiaque quatuor, & biceps. Cæterum ita naturâ diuersi, duo illi homines visebantur, vt vigilante vno, alter somno sopitus esset, cibumque dum hic caperet, alius auersaretur, immo mutuis sese identidem verberibus, atque vnguibus laniarent. Tandem vno, longa ægritudine sublato, alter haud multo post, putido demortui cadaueris fœtore, interijt. *De iis fusè Hector Boerbus, & alij.*

Non tacebo sanguinem, ex latere cuiusdam monticuli, in Gallouidia, perpetuo septem dierum tractu manasse fluuio, riuulosque, qui passim hac in regione occurrunt, immo ipsum Hibernicum Oceanum ad aliquot è terra passuum millia, cruentasse, *vt asserit citatus Auctor.*

CALAMITATES.

Dira maximè, atque atrox lues ingentem hominum stragem in Lombardia edidit, Anno Christi nongentesimo trigesimo secundo, Constantini vigesimo primo; Papiensesque, præter cæteros, grauissimè afflixit. Eapropter ad vota, precesque conuersi, Sanctorum Martyrum Synesij, & Theopontij, Nouentulæ in Monasterio condita corpora ad se deferri

quamprimum curarunt; eaque, Adoleide Regina in primis adhortante, venerati, à præſenti vitæ periculo liberati fuere. *Ita Auctores huiuſce temporis* Nec prætermittam ignem illum, qui è mari erumpens, Anno Chriſti nongenteſimo trigeſimo nono, Conſtantini vigeſimo octauo, in diuerſas Hiſpaniæ partes, immo Zamoram vſque, permulta celebria oppida, flammis exhauſit. *Vaſæus, & alij.*

RES BELLICÆ.

Hungari, infeſta Bulgaris hoſtibus infenſiſſimis ſigna intulerunt, Anno Chriſti nongenteſimo trigeſimo primo, Conſtantini vigeſimo. *Cedrenus.* Arnulphus Flandriæ Comes Moritaniam, Scaldi, Scarpoque fluminibus irriguam, recenterque munitam, & à Rotgarij filiis fortiter defenſam, victricibus expugnauit armis, eodem Chriſti anno. *Frodoardus, Sigebertus, & alij.* Simeon denique Bulgarorum Princeps in Crobates mouens, ab iis in anguſtiis montium deuictus fuit, deleto penitus illius exercitu.

Ramirus, Hiſpaniæ Rex ſalutatus Mauricum confeſtim bellum repetijt ſub idem tempus; intelligebat enim vir prudens, nulla re magis ſtudia gentis parari, diuinamque beneuolentiam promereri, quàm Chriſtiani nominis hoſtibus vindicandis. Verum in ipſo armorum apparatu, Alfonſi leuitas ſuſceptum priuatæ vitæ genus, pari inconſtantia repudiantis, præclaros conatus repreſſit; Ramirique arma in ſe conuertit, *vt referunt ſcriptores Hiſpanici.*

Nouos concitauit in Italia motus Arnoldus Bauariæ Dux, Hugonem Regem Veronam vſque inſecutus, à quo tamen turpiter repulſus, Anno Chriſti nongenteſimo trigeſimo ſecundo, Conſtantini vigeſimo primo, inglorius recedere coactus fuit. Curouas autem Romani Imperatoris Orientis Dux, militari laude clariſſimus, bellum Sarracenis indixit, Militinamque fœliciter occupauit. *Cedreno Auctore.*

Hungari accitis ſecum Sclauis, conſcriptoque hominum trecentorum millium exercitu, in Germaniam irrumpentes, Anno Chriſti nongenteſimo trigeſimo tertio, Conſtantini vigeſimo ſecundo, omnia ferro, ac flamm adefœdarunt. Tum

primo vere, pars vna exercitus, ex quinquaginta virorum millibus, in Thuringiam pergens, à Comite, & incolis acerrime pugnantibus prope Sandesburſium cæſa omnino fuit. Altera vero Merſburgum inuadere tentans, ab Henrico Germaniæ ad internecionem deleta, quadraginta hoſtium millibus interfectis, captiuorumque numeroſa multitudine erepta. *Ita Albertus Crantzius, & Vitichindus lib.1. de rebus Saxonum.* Luithprandus de ea victoria agens, aſſerit Henricum Regem vouiſſe Simonicam hæreſim è ſuo Imperio, in quo altas radices fixerat, euulſurum, ſi horrendas illas Barbarorum hoſtiles copias debellaret. *Auentinus de iis plura.*

Bellum in Ducatu Beneuentano exortum eſt ſub idem tempus. Beneuentanus ſiquidem Princeps, Græcorum armis acriter oppugnatus, Theodebaldi Spoletanorum Marchionis, & Hugonis Regis affinis euocati ope, hoſtium vim, impetumque retudit.

Æthelſtanus Anglorum Rex in Scotiam cum præualida manu claſſica, & equeſtri exercitu ſe contulit, eamque longè, lateque depopulatus eſt. Quibus Conſtantinus Scotorum Rex perculſus, pacem continuo firmauit. *Matthæus Veſtmonaſterienſis.*

Ramirus, Legionenſis Rex in Hiſpania, Mauros aggreſſus eſt, factuſque impetus in Carpetanos, Madritum vi captum, direptum, incenſumque fuit, & mœnia euerſa. Mauri vindictæ cupiditate inflammati, magnis vndique collectis copiis, in Chriſtianorum fines irruerunt, ac primum Caſtellæ agros incurſarunt. Ferdinandus vero Comes, ſuperiori bello, viribus debilitatus, rei tamen Chriſtianæ ignominia permotus, Ramirum Regem, miſſa legatione, enixe obſecrauit, ne Barbaros inultos abire pateretur, quibus Rex maximè pius, continuo annuit, grandique prælio ad Vxamam, Areuacorum vrbem, in Tarreconenſi Hiſpania, nunc Oſmam, dimicatum eſt; Barbarique magno numero cæſi; reliqui in fugam acti; milites autem Chriſtiani auro, atque argento, veſteque pretioſa onuſti, domos repetierunt.

Subſecuta eſt noua in Mauros expeditio; Ramirus ſiquidem Rex opprimendi Mauros ſtudio ardens; Cæſarauguſtam, cum Ferdinando Comite illuſtriſſimo, duxit; vbi Abe-

nain Regulus, infirmis viribus, Abdheramani Cordubæ Regis beneficiarius, principatum obtinebat. Verum Maurus vtriusque Principis arma veritus, Ramiri Regis vectigalem se constituit. Itaque pax ab hoste redempta fuit. Haud multo tamen post, nouo inter Abenain, & Abdheramanum inito fœdere, instructoque exercitu, atque accitis ex Africa ad numerum vsque centum quinquaginta millia peditum, equitum vero quinquaginta, Christianorum fines inuadunt. Ægerrimè enim ferebant Mauri, Christianos victis leges imponere, à quibus antea accepissent. His de rebus certior factus Ramirus, voto nuncupato, pacatoque numine, impar licet viribus, in eos inuolat, ingentique prælio, & quo, ea ætate, nullum maius extitit, pugnatum est. Cæsa siquidem fuere octoginta Barbarorum millia, multaque relata spolia; ipse vero Abenain Cæsarguſtæ imperans captus, ductusque in triumphum, Rex autem Abdheramanus vix elapsus tantæ cladi superfuit; alios enim temere, & effusè fugientes Ferdinandus exceperat, & ad internecionem deleuerat, Anno Christi nongentesimo trigesimo quarto, Constantini vigesimo tertio. *Ita Sampirus, Lucas Tudensis, Arabum Annales, & alij.* Baronius tamen refert ad annum nongentesimum trigesimum octauum, Constantini vigesimum septimum. Cæterum Angelos duos equestrium militum formam præferentes, prima in acie visos fuisse, eorumque opera, tam insignem victoriam, à Ramiri Regis partibus extitisse, publicè persuasum est. Quod neque contingere, neque fingi solet, nisi clarissimis victoriis, qualis ista fuit. Henricus Germaniæ Rex contra Vandalos qui Præfectos suos, & Episcopos interfecerant, mouit, eodem Christi anno nongentesimo trigesimo quarto, *Alberto Crantzio teste.*

Hugo Italiæ Rex, memor contumeliæ à Romanis acceptæ, ad vrbem, è qua deturbatus fuerat, valida cum militum manu, properauit, Anno Christi nongentesimo trigesimo sexto, Constantini vigesimo quinto, castrisque positis, agros vastare, vrbemque oppugnare cœpit. Verum copiis fame pereuntibus, passimque dilabentibus; pacem cum Alberico composuit, filiamque suam Aldam nomine ei in vxorem dedit. *Luithprandus, & alij.* Genua insuper à Moris capta, direptaque fuit, à pueris, ac mulieribus temperatum; præda vero omnis in Africam deportata.

Analulphus, Hibernensium, multarumque Insularum Rex, à Constantino Scotorum Rege accitus, ostium Humbri fluminis, cum ingenti classe ingressus est; cui Æthelstanus Anglorum Rex, illiusque frater Eadmundus, maximis itineribus occurrere; prælio ab ineunte die, ad vesperam vsque, eo in loco, qui Bruenburch nuncupatur, protracto, magnis animis, atque copiis, maioribusque Ducibus, pugnatum est; Regibusque Analufo, & Constantino ad naues adactis, eorumque cæsis militibus, Angli ad propria reuertere. *Matthæus Vestmonasteriensis.*

Hungari, nouis, ac frequentibus excursionibus Campaniam fatigarunt, Anno Christi nongentesimo trigesimo septimo; Capuamque, atque Beneuentum fœde populati; Sarnum vsque, ac Nolam, immo Liberiam, penetrarunt, direptis late, vastatisque locis omnibus obuiis. Dein arma in Marsos vertentes, omnem penè Italiam, in anceps, atque præruptum periculum, adduxerunt, cum ab iisdem Marsis, insidiis circumventi, ad vnum fere, secundo Marte deleti fuere, *vt refert Frodoardus.* Britones ex Anglia regressi, Britanniam minorem, ex qua expulsi fuerant, victis aduenis Normannis, recuperarunt, eodem Christi anno. *Annales Britonum.*

Otho Germaniæ Rex bellum in Boleslaum Boëmiæ Principem, Venceslai fratris percussorem suscepit, Anno Christi nongentesimo trigesimo octauo, Constantini vigesimo septimo, prospereque confecit. Nec minori fœlicitate, arma Henrico fratri, qui cum Eberardo Francorum Duce, & Gisleberto Lotharingiæ, fœdus pepigerat, intulit.

Trancuuerdus, Othonis frater, coacto exercitu Bardeuicum vrbem expugnauit, euertitque. Quibus rebus commotus Otho, in Trancuuerdum signa mouit, Eresburgumque cepit, vbi commorabatur, ipsumque captum, milites, Othone inscio, interfecerunt, *vt habet Luithprandus.* Sequenti vero anno, Lotharingiam contra Ludouicum Francorum Regem, inuasit; grauissimaque belli materies extitisset, ni Othonis soror Gerberga, Ludouico in vxorem concessa fuisset; quæsitaque affinitas tumultus composuisset. *Ita scriptores huiusce temporis.*

REI INSIGNES.

Froilæ Hiſpaniæ Regis filij noua in Ramirum Legionenſem Regem molientes oculis priuati fuere, Anno Chriſti nongenteſimo trigeſimo ſecundo, Conſtantini vigeſimo primo. Idem ſupplicium pertulit Alfonſus Ramiri frater, quod abdicata vita Monaſtica, arma in illum ſumpſiſſet; *vt habet Hiſtoria Hiſpanica.* Anſcarius vero Eporœdiæ Marchionis filius, Hugonis Italiæ Regis necem machinatus, Marchionatu, vitaque exutus fuit, anno Chriſti nongenteſimo trigeſimo nono. *Sigonius.*

OBITVS ILLVSTRES.


Simeon Bulgarorum Princeps, ab hoſtibus in montium anguſtiis deuictus, Anno Chriſti nongenteſimo trigeſimo primo, Conſtantini vigeſimo, ſupremum haud multo poſt diem clauſit. *Bulgarorum Hiſtoria.* Muctedar Babyloniorum Amyras, magnique nominis apud illam gentem, vita functus eſt anno ſequenti, *vt refert Zacuthi.* Anno autem Chriſti nongenteſimo trigeſimo tertio, Conſtantini vigeſimo ſecundo, Elcahar eius ſucceſſor.


Guido Tuſciæ Marchio, & Maroſiæ inſignis ſcorti conjux, viuere deſijt eodem anno, *Frodoardo teſte.* Biennio autem poſt Dux Aquitaniæ, & Robertus Normanniæ. *Matthæus Veſtmonaſterienſis, & alij.* Henricus Auceps Germaniæ Rex, Principum decus, & Chriſtianæ Religionis columen, perdomitis cunctis circumquaque gentibus, ac præſertim Hungaris, fato conceſſit, Anno Chriſti nongenteſimo trigeſimo ſexto, Conſtantini vigeſimo quinto. *Frodoardus.*

Sigfredus Brandeburgenſis Marchio; Arnulfus Bauariæ Dux, & Burgundiæ Tranſiuranæ Rex, cum Petro Candiano Venetorum Duce, morte aſſumpti ſunt, Anno Chriſti nongenteſimo trigeſimo ſeptimo. *Vitichindus, & Coccius Sabellicus.*

Vinceſlaus Boëmiæ Princeps, Boleſlai fratris dextera occubuit, anno ſequenti, vt habet Luithprandus, Eberardus

vero Francorum Dux, in acie cecidit sub idem tempus. *Historia Boëmica, & alij scriptores.* Anno denique nongentesimo quadragesimo, Ætelstanus Anglorum Rex, & Bodoarius Venetorum Dux, purpuram cum vita deposuerunt. *Vitichindus, & Coccius Sabellicus.*





DECAS QVINTA.

ROMANI IMPERATORIS ORIENTIS Gesta, & Expulsio.



CALABRIAM, Apuleiam, & eam Campaniæ partem, quæ antea sub Ducum Longobardorum, Beneuenti, & Capuæ, ditione erat, Italia vniuersa, ciuili bello flagrante, feliciter recepit, Anno Christi nongentesimo quadragesimo secundo, vt patet ex priuilegio Monachis Vincentij, ad fontes Vulturni, concesso, quod Ioannes Monachus suo in Chronico intexuit. Biennio vero post, anno scilicet Christi nongentesimo quadragesimo quarto, etsi ad tantam euectus fuisset potentiam, vt solus regeret, iusque totius Imperij, penes eum solum esset, Constantino legitimo hærede in contemptum prolapso, & scenicum tantum Augustum agente; à Stephano tamen Imperatore filio suo comprehensus, & in ordinem redactus, attonsusque, in insulam eiectus fuit. Quidquid enim huiusmodi est, in quo plures non possint excellere, in eo plerumque contentio fit, vt difficillimum sit seruare societatem. *Curopalates, Luithprandus.*

CONSTANTINI IMPERATORIS Orientis, Gesta.

Legationem ad Hugonem Italiæ Regem, pro conciliandis, inter Romanum filium suum, & ipsius filiam Bertam nomine, Eudoxiam dein nuncupatam, nuptiis misit, Anno Christi nongentesimo quadragesimo secundo, principatus trigesimo primo; additumque ad nuptialia pacta, vt Græcorum classis, ad Sarracenos hostes ex Italia expellendos quàprimum instruc-

retur. *Luithprandus.* Anno vero nongentesimo quadragesimo quarto, Principatus sui trigesimo tertio, Stephanus, & Constantinus Augusti, Romanique Lacaponi filij, de paterno Imperio, acriter contendentes, totius aulæ studio in Constantinum Leonis filium, cui inane tantum nomen Augusti supererat derepente conuerso (eo enim facile inclinant animi quo se fortuna conuertit) ambo confestim, legitimi Principis iussu, vinculis super mensa onerati, in exilium deportati fuere. Itaque Romani stirpe deturbata, solus Imperium moderari cœpit. Anno denique nongentesimo quadragesimo octauo, Principatus trigesimo septimo, ab æmulis liber, scientias quæ ob Imperatorum incuriam, inscitiamque obsoluerant, magnis propositis præmiis, summe coli curauit, & ad antiquum suum splendorem restitui. *Cedrenus.*

LVDOVICI TRANSMARINI FRANCOrum Regis, Gesta.

Pacem cum Othone firmauit, Anno Christi nongentesimo quadragesimo primo, Constantini trigesimo, ipsius sororem Gerbergam, Gilberti viduam, in vxorem accepit, *Vitichindo teste.* Sequenti vero, rebellium in eum societate, innitente in primis Stephano octauo summo Pontifice, dirempta, & redeuntibus ad illum proceribus, quos iuncta ambitio disjunxerat, paululum respirauit. *Frodoardus.* Anno autem nongentesimo quadragesimo tertio, Constantini trigesimo secundo, asperius se gerens aduersus Principes suos, in maximum incurrit odium. Herbertum siquidem qui patrem Carolum Simplicem captiuum habuerat suspendi iussit. Guillielmum vero Rollonis filium Normanniæ Ducem occidi; acceptaque eius morte in spem recuperandæ Normanniæ erectus, Rothomagum profectus est, vbi Ricardum Ducem, eximium iuuenem, & quem ipsi Rothomagenses, eo præsente salutarant, iis delusis, secum abduxit, captiuumque honoris specie habuit, immo conuitiis nonnunquam, Arnulphi Flandriæ Comitis impulsu, lacessiuit. Hic tamen haud multo post, Osmundi Rectoris sui solertia liber, & Bernardi singulari opera adjutus, Regem frustratus est, qui dein

dein ab Aigroldo Danorũ Principe, rixam inter colloquium, de industria cientibus Normannis, captus, Carolo minore filio, aliisque nobilibus obsidibus concessis, dimissus fuit. Verum Hugo Franciæ Dux illum iterum custodiendum, Theobaldo, Carnutum Comiti commisit; quovsque Edmundi Anglorum Regis minis perterritus, tradito sibi à Regina Gerberga, Othonis Regis sorore, Laudano, libertatem, regiumque honorem restituit, Anno Christi nongentesimo quadragesimo quinto, Constantini trigesimo quarto. *Frodoardus*, *Sigebertus*, *Guillielmus Gemeticensis.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Giro Marchio, certior factus de insidiis quas ei Sclaui parauerant, accitos ad se rebelles interfici curauit, Anno Christi nongentesimo quadragesimo primo, Constantini trigesimo, operaque Hauellorum Principis, magnæ apud illos famæ, & auctoritatis, reliquos fortiter perdomuit. *Fabr.*

Seniofredo Barcinonensi Comite extincto, eodem anno, filius Seniofredi alterius, Barcinonensem Principatum, armis, atque injuria occupauit; *vt habet Historia Hispanica.* Edmundus vero Angliæ Rex Analopho vita functo, Northumbriam hostiliter inuasit. Dein Analapho Sithrici filio, & Reginaldo Cithredi Regis, è Regno expulsis, vniuersa iterum potitus est Anglia. *Matthæus Vestmonasteriensis.* Anno autem nongentesimo quadragesimo secundo, Constantini trigesimo, Lincoluiam, Notingham, Legestriam, & Transfordiam è Danis eripiens, totam Merciam obtinuit. *Auctore citato teste.*

Henricus funesta in Othonem Germaniæ Regis fratrem moliens Sclauos in eum armauit. Tum pœnitentia ductus Francofurtum se contulit, vbi inermis, atratusque Regi summo mane templum petenti occurrit; mox ad illius pedes prostratus, humillimis precibus, lachrymisque, veniam exorauit, *vt habet Vitichindus.*

Petrus Candianus, Petri Candiani Ducis filius, & alterius nepos, Venetorum principatum sumpsit sub idem tempus;

Marinique Patriarchæ Gradensis studio, pacem cum Lupo Aquiliensi Patriarcha, composuit, ne Venetorum fines lite, vel armis affligeret, sed ius vtrinque ex fœdere diceretur. *Sigonius.*

Arnulphus Flandriæ Comes, domi, foris, pace, ac bello, summe apud omnes principes clarus, sed præcipuè apud Ludouicum Francorum Regem qui illius opera ad Normannos, Danosque comprimendos, vsus fuerat, totiusque belli curam ei commiserat, & quam ipse, vt iniuriam nupere ab iis acceptam, Flandriæ fines, longa populatione euastantibus, vlcisceretur, lubenter susceperat, *vt docet Iacobus Meierius, Frodoardus, & alij.*

Constantinus Scotorum Rex, post magnam suorum cladem, in summa rerum desperatione, cœlesti amore incensus, siue humanæ vitæ odio inflammatus, Regno se abdicauit, Anno Christi nongentesimo quadragesimo tertio, Constantini trigesimo secundo, reliquumque vitæ suæ tempus in D. Andreæ Cœnobio fœliciter transegit. *Leslaus.*

Malcolmus Donaldi filius, Constantino Principe religionis quietem amplexo, Scotorum Rex eius nominis primus renuntiatus eodem anno, rebus gentis suæ, vltima ad Bromyfeldum pugna commissa, penitus exhaustis, pacem cum Æthelstano Anglorum Rege inijt, hac lege, vt Northumbria Anglo, Cumbria, & Vuestmaria Malcolmo cederent; ea tamen cautione, vt qui proximè in Scotorum Regnum successurus esset, Sacramentum Anglorum Regi, seu supremo locorum Domino diceret. Tum rebus ita compositis; animum ad Religionem tuendam, Regnumque propagandum, adjecit. *Ita Historia Scotica.*

Ramirus Legionensis Rex in Hispania, ætatis flexu, ad pacis artem, & Christianæ fidei cultum conuersus, Eluicam, filiam vnicam virginem, sacrari ritu Christiano curauit, Anno Christi nongentesimo quadragesimo quinto, Constantini trigesimo quarto, in Cœnobio Legionensi, ex Maurici belli manubiis ab ipso constructo. Anno vero sequenti firmandæ pacis studio, Vrracam Ferdinandi Castellæ Comitis, ex Vrraca vxore filiam, Ordonio filio in vxorem dedit. *Ioannes Vasæus.*

Otho Germaniæ Rex Conradum Francum bellica laude,

ac præſertim ſapientiæ nomine illuſtrem, virum, Lotharingiæ Ducem creauit, eique Ludgardem filiam collocauit. Mox Argentina vrbe occupata, ſigna in Hugonem Ludouici Francorum Regis hoſtem intulit, *vt refert Luithprandus.* Dein feras acriter inſequens, in graue vulnus prolapſus, Ludolphum filium ſuum communi omnium conſenſu, honoris, ac laboris conſortem fecit, hæredemque conſtituit. Anno autem Chriſti nongenteſimo quadrageſimo ſeptimo, Conſtantini trigeſimo ſexto, Henricum fratrem olim rebellem, Mathilde impellente, Bertholdi demortui Ducatu ornauit, Danos denique ſub idem tempus oppreſſit, Sclauorumque gentem ſibi ſubjecit. *Vitichindo Auctore.*

Richardus Guillielmi Normannorum Ducis iam defuncti filius, omnium ſuffragiis ſalutatus, in paternarum rerum poſſeſſione conſtitutus fuit. *Frodoardus, Æmilius, & alij.* Edmundus vero Angliæ Rex, Northumbros, qui ſibi Regem crearant, ſecundo marte debellauit. *Reg.*

Hugo Italiæ Rex Berengarij iunioris aduentantis potentiam veritus, fœdus cum Sarracenis Italiæ pepigit. Quamob rem, omnia ei exhinc infeliciter ceſſere, ſupremique numinis iras expertus, Regnum, imparem ſe hoſtis ſui viribus in quem propendebant Itali ſentiens, depoſuit, ea tamen lege, vt Lotharius ipſius filius, æqua ſorte cum Berengario imperaret. Tandem maxima auri argentique vi ſecum ablata, ad Arelatenſes, ditionem ſuam, profectus, ſummis honoribus, atque officiis cultus fuit. Rebus denique omnibus humanis nuntium remittens, ad ſacras, quas ſibi propriis ſumptibus condiderat ædes, ſe ſe abdidit. Vir certè ſi amari, quam metui ab Italis maluiſſet, & eorum voluntates conciliare ſibi ſtuduiſſet, inter primos Italiæ Reges propter eximias eius virtutes, & ingenij præclara decora, numerandus. *Luithprandus.*

Eldredus, Edmundo fratre, Angliæ Rege ſublato, Rei curam ſuſcepit. Berengarius autem iunior, ab Italis ſumme optatus, Italiam per Venuſtam vallem, magnis itineribus petijt, eodem Chriſti Anno nongenteſimo quadrageſimo ſexto, Conſtantini trigeſimo quinto, ac Veronæ à Milone Comite exceptus, Mediolanum poſtero anno ſe contulit, vbi Regem agere, omnium ordinum conſenſu, cæpit. Biennio poſt Hun-

garorum populationem redempturus, tantam pecuniæ vim ab Italis extorsit, vt hostiles omnes vastationes, atque direptiones penè exæquarit; decem vero nummorum modiis Hungaro concessis, cæteram summam, quæ longè maior erat, auertit. Lothario demum Rege mortuo, Anno Christi nongentesimo quinquagesimo, Italiæ Regno, cum Adelberto filio potitus est. *Ita citatus Auctor.*

Ordonius huius nominis tertius, Ramiro patre, in Hispania Rege, vita functo, sub idem tempus, Legionis Regnum adeptus est. Vir animo magno, magnaque rei militaris scientia, ac domi prudentia singulari. Vitæ breuitas, & domæstica calamitas effecit, ne diu præstare potuerit, qualem promiserat Regem. Sub initia enim, Sanctius frater, regnandi ambitione corruptus, aut quod vero propius, iniuria aliqua prouocatus, Garsiæ Sanctij auunculi Vasconum Regis, ac Ferdinandi Castellæ Comitis arma, in Ordonij exitium conuertit, *vt habet Rodericus Sanctius, & alij Hispanici scriptores.*

VIRI ERVDITI.

Edgarus Edmundi Regis filius, & Angliæ Rex, pietate summus, & doctrina præstans; ab Ethesualdo, & Osuualdo, bonis omnibus litteris insigniter instructus, librum Constitutionum erudite composuit; alium vero Epistolarum. Regias item Ecclesiis omnibus, atque Monasteriis factas donationes euulgauit. *Pitheus de Angliæ scriptoribus.* Constantinus Leonis filius, Orientis Imperator, Philosophia, Astrologia, Mathematica, aliisque disciplinis apprime excultus librum edidit, in quo de summa Imperij, de sociorum fœderibus, de hostium viribus, & de rationibus, atque consiliis, acutè, doctéque egit.

OPERA PVBLICA.

Atho, Comes Parmæ, vrbis togatæ Galliæ, Coloniæ Iuliæ Augustæ, vt legimus in Gotzij thesauro, & Chrysopolis ad Leandrum nuncupatæ ex antiquo lapide, munitissimam Regiensibus in collibus arcem, contra hostium incursiones construxit, Anno Christi nongentesimo quadragesimo quinto,

Constantini trigesimo quarto, Canusiumque appellauit, *vt refert Sigonius.*

Plurima insuper vel recenter extructa, vel de nouo instaurata fuere in Hispania, Anno Christi nongentesimo quinquagesimo, Constantini trigesimo nono. Vxama in primis Aruacorum vrbs eximia & Cluuia, in eodem Tarraconensi tractu, Colonia à Dione, & Ptolomæo nominata, hodie Corugnia dicitur; *vt scribit Mariana.* Adde Sepuluedam, seu Sagoratialactam, non longè ab aliis distantem, & à Ferdinando Gonsaluo Comite Castellæ conditam sub idem tempus. *Auctor citatus.*

PRODIGIA.

Ingentes globi ignei per aërem vndiquaque circumcursantes apparuere, Anno Christi nongentesimo quadragesimo quarto, Constantini trigesimo tertio, *vt testatur Frodoardus*; nulla tamen vel domibus, vel oppidis damna intulere. Anno autem nongentesimo quadragesimo octauo, Constantini trigesimo septimo, sol plurimo affusus sanguine ad omnium horrorem prodijt. *Ita Sigonius.*

CALAMITATES.

Celebre illud, ac famosum maximè, Fuldense templum fœdissimo exhaustum fuit penitus incendio, Anno Christi nongentesimo quadragesimo primo, *vt docet Vitichindus.* Sequenti vero, fames Galliam Germaniamque grauiter afflixit. Anno autem nongentesimo quadragesimo quinto, Constantini trigesimo quarto, ignis in Parisienses cœlitus immissus, crebris, totum illum tractum, compleuit funeribus. Anno denique nongentesimo quinquagesimo, terræ motus varij vniuersam Galliam turpiter deformauerunt. *Sigeberto Auctore.*

RES BELLICÆ.

Russi Boreales populi, Normanni à Luithprando appellati, classe, magno cum exercitu Constantinopolim deuecti, per

Thraciæ oras longè, lateque euastatas, immensaque sæuitiæ exempla edita, à Græco Imperatore penitus deleti fuere, *vt scribit Curopalates.* Sclaui sub idem tempus Pragam, Boëmiæ vrbem primariam, magna tamen suorum clade, expugnarunt.

Othonis Germaniæ Regis rebelles, ingentibus vndique contractis copiis, accitoque Galliæ Rege, bellum instaurarunt; nec pauci ab Othone, qui Alsatiam petierat, defecerunt; pauloque post Eberardus, & Sigelbertus prædas maximas egere, sed fato infœlici, Eberardo cæso, & Sigelberto, fuga sibi consulente, Rheni fluctibus submerso. *Vitichindus, & alij.*

Edmundus Angliæ Rex Northumbros impia molientes fortiter compressit, Anno Christi nongentesimo quadragesimo secundo, Constantini trigesimo primo. *Ita Oliuerius Malmesbergensis lib. 2. cap. 7.*

Hugo Italiæ Rex arma in Sarracenos, qui Alpes omnes infestas habebant, conuertit, Anno Christi nongentesimo quadragesimo quarto, Constantini trigesimo tertio, acceptisque ab Orientis Augusto, triremibus, magno cum maritimo, atque terrestri apparatu bellico, prosperè debellauit; nauibusque Græco igne combustis, eos è Fraxineto arce, quam in Cottiis Alpibus, naturali munitam situ, & inaccessam, ante aliquot annos occuparant; ex eaque in vicinas prouincias excurrentes, Christianis omnibus terrori erant, atque exitio, deturbauit. *Frodoardus, Luithprandus, & alij.*

Græci Edessam Mesopotamiæ vrbem amplissimam, tot repetitis impressionibus fatigarunt eodem Christi anno, vt Christiani ciues minis territi, grauibusque obsidionis incommodis oppressi, sacram illam, ac venerandam Christi imaginem, miraculo impressam, Regique Abagaro à Christo missam, & in eadem vrbe, summa religione, hactenus cultam, hostibus ad pacem componendam, spondere coacti fuerint. *Ita Græci omnes Auctores, ac præsertim Constantinus Augustus*, agens de pompa illa percelebri, atque apparatu, quo imago illa Constantinopolim transuecta fuit.

Ferdinandus Gonsaluus, & Iacobus Nunnius viri Principes, nouarum rerum studio, à Ramiro Legionensi Rege in Hispania defecerunt, Anno Christi nongentesimo quadragesimo quarto, Constantini trigesimo tertio. Mauri euocati,

Duce Arcipha, Salmanticæ agrum, quem Tormes interfluit cadibus, atque incendiis defœdarunt. Alia in parte, Roderici armis (quem coniuratis adhæsisse ferebatur) Amaræ fines, & pars Asturum vexabantur. Nec satis constabat, cui primum malo occurrendum esset. In ancipiti periculo, vicit sententia, Mauros, vtpote publicè hostes infensissimos, bello persequendos esse. Quare è finibus confestim, magna cum suorum strage, eiecti fuere. Seditionis vero auctores in potestatem venerunt. Haud multo post tamen, vinculis, quibus Legione constricti asseruabantur, sine alia multa dimissi fuere, Sacramento nihilominus denuo adacti in Regis verba. *Historia Hispanica.*

Otho Germaniæ Rex, ab Arnulpho Flandriæ Comite, accitus, in Galliam cum octoginta duabus legionibus profectus est, Anno Christi nongentesimo quadragesimo sexto, Constantini trigesimo quinto, *vt scribit Sigebertus.* Ad tanti exercitus famam, Hugo Parisiensis Comes, timore perculsus, Ludouicum Principem, è carcere dimisit. Plura vero oppida Otho de hostibus recipit; Rothomagumque primariam Normanniæ vrbem, acri obsidione, cinxit. In qua cum illius nepos, quem vehementer deperibat, occubuisset; plenus in Arnulphum ira; de eo capiendo, vel interimendo, consilium egit, vt Flandriam inuaderet, eaque potiretur. Itaque Arnulphum insecutus, partem è Normannia copiarum, in Flandriam duxit, nullique agro, atque oppidis, quacumque iter faciebat, pepercit.

Hugo Parisiensis in Flandriam mouit, Anno Christi nongentesimo quadragesimo septimo, Constantini trigesimo sexto, coactoque exercitu omnem curam adhibuit, vt vrbes aliquas expugnaret. Verum Arnulphi Flandriæ Comitis potentia, sic omnis eius labor elusus fuit, vt inglorius domum repetierit. *Frodoardo teste.*

Recruduerunt sub idem tempus in Galliis bella, Hugone in Regem, & Rege in Hugonem veteres inimicitias renouantibus; Franciaque tanquam à Barbaris fœde vexata, Francorum manibus diripiebatur. Pax tamen ab armatis, breui post, inita fuit, *vt habet citatus Auctor.*

Hungaros in Bauariam irrupturos, Anno Christi nongen-

tesimo quadragesimo octauo, Constantini trigesimo septimo, Henricus nouus Dux qui Aquileias occuparat, fortiter repulit, immo ingenti prælio bis illos penitus attriuit. *Sigebertus.* Proximo autem anno, arma in Boleslaum Boëmiæ Ducem, & fratricidam intulit, eumque acriter expugnatum in deditionem accepit, fœdusque cum illo, ea lege pepigit, vt fratricidij expiationem exsolueret, Religionem Christianam coleret, subditusque haberetur. *Fabr.*

Ramirus Legionensis Rex in Hispania, noua sub vitæ finem expeditione suscepta, Talaueram vsque in Carpetanis penetrauit, Anno Christi nongentesimo quinquagesimo, Maurorumque copias, obsessis opitulatum aduentantes, prosperè deleuit; hostium duodecim millibus cæsis, septem vero in seruitutem redactis. Ex hac victoria satis se ad auctoritatem nominis tuendam, quæ cum ætate senescere consueuerat profecisse ratus, exercitum spoliis Mauricis locupletatum, in patriam reduxit.

Sanctius autem Ramiri filius, & Ordonij Regis Legionensis frater, regnandi ambitione cupidus, aut quod vero propius est, iniuria aliqua prouocatus, Garsiæ Sanctij auunculi, Vasconum Regis, sed, & Ferdinandi Castellæ Comitis, arma, in Ordonij exitium concitauit, nullo fraterno charitatis sensu. Imperandi cupiditas, ac dolor iniuriæ, vtrumque impotens malum. In Legionensi Regni fines, iunctis Vasconum, & Castellæ copiis, impetus factus. Ordonius Imperij statu nondum firmato, locis natura, & arte munitis, tenere se constituit, neque totius dimicationis copiam facere. Hostes vero, ardore, cum quo venerant, sedato, & aliena spe, suo periculo tandiu arma gerere iudicantes, haud magno operætio in patriam remigrarunt. *Rodericus Sanctius, & alij Hispanici Historici.*

OBITVS ILLVSTRES.

Guillielmus Normannorum Dux, Arnulphi Flandriæ Comitis opera, ad Pinciniacum in Somonæ fluuij insula occubuit, Anno Christi nongentesimo quadragesimo quarto, Constantini trigesimo tertio, *vt refert Æmilius.* Sequenti Sigifridus

Parmæ


Parmæ Comes, vir clarissimus, magnæque famæ, vita functus est; *Sigonio Auctore.*

Edmundus Angliæ Rex, à latrunculo quodam nomine Leof, è loco conuiuij exire reluctante, iugulatus fuit, Anno Christi nongentesimo quadragesimo sexto, Constantini trigesimo quinto, percussor vero in frusta minutissima concisus. *Matthæus Vestmonasteriensis.* Anno autem proximo, Edita Othonis Germaniæ Regis vxor, vitæque sanctitate summe illustris fœmina, interijt. Bertoldus item Bauariæ Rex viuere desijt sub idem tempus. *Ditmarus, Luitprandus, & alij.*

Romanus Lacopenus Orientis olim Augustus, è solio expulsus, detonsusque perijt, Anno Christi nongentesimo quadragesimo octauo. *Ita Cedrenus, & Curopalates.* Anno denique Christi nongentesimo quinquagesimo, Constantini trigesimo nono, Elricus Northumbriæ Rex, à Malone Consule, Osulfi proditione interemptus fuit, vna cum Henrico filio suo, & fratre Reginaldo. *Matthæus Vestmonasteriensis.*

Ramirus Legionensis Rex in Hispania, parta de Mauris victoria, haud multo post, lethali correptus morbo, Legionemque reductus, ac rebus domesticis compositis, abdicatoque Regno, & filio tradito, purpuram cum vita deposuit. *Historia Hispanica.* Adde Lotharium Italiæ Regem, & Hugonis filium, quem *Leo Ostiensis* asserit, mœrore in phrenesim lapsum, obijsse.





DECAS SEXTA.

CONSTANTINI IMPERAT. ORIENTIS Gesta, & Obitus.



NTERDIXIT Romano filio suo ne cum exteris gentibus, maxime si Christianæ fidei mysteria non colerent, nuptias contraheret; exceptis solis Francis, propter eorum claritudinem, ac nobilitatem; nixus antiqua Constantini Magni consuetudine, in sacra Ecclesiæ Sophiæ mensa, descripta, qua Constantinus Magnus illud idem Romanis Imperatoribus vehementer commendauit, prohibuitque. Paulo post verò, Anno scilicet Christi nongentesimo sexagesimo, Principatus sui quadragesimo nono, decessit. *Vt habet Curopalates.*

ICON

CONSTANTINI IMPERAT. ORIENTIS.

COnstantinus Leonis ex Zoë filius, Basilij nepos, & Porphyrogenitus, à domo Porphyra nomine, in qua natus fuerat, nuncupatus; seruitutem potius, quam Imperium sub matris, aliorumque nobilium tutela, iniјt. Ipso principatus initio Andronico Tyranno expugnato, indictum, Bulgaris Thraciam fœdis incursionibus euastantibus, bellum, Phocæ ductu prospere confecit; victores tamen milites, casu nescio quo consternati, in fugam se turpißimè dedere; exiguis siquidem momentis, subito inclinantur omnia, quæ in bello geruntur, Marsque communis victum sæpe erigit, & victorem affligit. Eiusdem fortunæ, Ducum discordia, atque ambitione, alteram in eosdem hostes expeditionem habuit.

Quare rebus ita labentibus, Romanum Lacapenum, Zoë matre è regimine submota, in Imperij socium adsciuit; eiusque filiam cognomento Helenam, in vxorem accepit. Romano dein Lacapeno, in exilium, quod eo imperante, in omnium contemptum prolapsus, Scenicum Augustum ageret, expulso, Christophoroque filio, cum tota Lacapanorum gente, extincto, solus rem administrare cœpit, multiplicique eruditione excultus, Philosophicam rem, ac Mathematicam pene extinctam, ab interitu vendicauit. Cæterum, eo fato gubernauit, vt securus in aliena potestate, in sua vero perditus fuerit, à filio siquidem suo, veneno propinato, extinctus. Sic enim fortuna Regum sceptra, eorum plerumque manibus, à quorum fidem, opemque exspectassent, penitus frangit.

ROMANI IMPERATORIS ORIENTIS Gesta.

Constantino patre, Orientis Augusto defuncto, rerum potitus Basilium filium suum in Collegam assumpsit; nec dissimilem paternæ indolem, hoc est mollem, ac solutam ad Imperium attulit, quod parricidio suscepit, Anno Christi nongentesimo quinquagesimo nono, *vt refert Curopalates.*

LVDOVICI TRANSMARINI FRANCORUM Regis, Gesta & Obitus.

Dum summa, fœdere cum hostibus inito, frueretur pace, equo, in lupum forte obuium liberius admisso, deiectus, & lapsu grauiter obtritus, interijt, Anno Christi nongentesimo quinquagesimo quarto, Constantini quadragesimo tertio. *Frodoardo teste, & alijs.*

ICON

LVDOVICI TRANSMARINI, FRANcorum Regis.

LVdouicus, Caroli Simplicis filius, Transmarinus nuncupatus, quod ex Anglia, quò se cum Oginia matre, patre comprehenso, contulerat, æmulo sublato, reuocatus fuit, magnoque procerum concursu exceptus. Regnum nihilo illi, Eriberti, & Hugonis ambitione, quietius, quam patri, occupauit. A Lotharingia, quam Carolus, desperatis rebus, Henrico Germaniæ Principi concesserat, diuersis principum affectibus, atque studiis distracta, salutatus, numerosum, aduersus Othonem Regem, exercitum duxit; omniaque ingenti metu longe, lateque compleuit. Immo ad Bersacum vsque, Alsatiæ oppidum, perrexit. Vnde grauissima enata haud dubiè fuissent bella, ni Othonis sorore Herberga nomine, in vxorem illi data, quæsita affinitas hosce motus compescuisset. Deinde audita Guillielmi Normannorum Ducis funesta cæde, Rothomagum profectus, Richardum Guillielmi filium à Rothomagensibus acclamatum, colendum eis dedit, inque paternarum opum possessione collocauit. Illum tamen elusis Rothomagensibus, secum abduxit, captiuumque specie honoris habuit. Verum haud multo post à Normannis captus, & ab Hugone conjurationis principe, Theobaldo Carnutum Comiti commissus; infesta in eos, pristinæ suæ dignitati, Edmundo Angliæ Rege fauente, minasque Hugoni intentante, restitutus, signa; accito Othone Germaniæ Rege, intulit. Ita enim fert hominum natura, vt nunquam iniuriarum obliuiscatur. Mox pace ad Matronam fluuium composita, (habet siquidem hasce vices mortalium conditio, vt aduersa ex secundis, & secunda ex aduersis enascantur,) tranquillo, pacatoque Galliarum Imperio, haud tamen diuturno, potitus est. Breui namque Rhemis fato concessit.

LOTHARII FRANCORVM REGIS Gesta.

Ludouico patre Francorum Rege funerato, ab Artaldo

Rhemensi Archiepiscopo, Hugone Principe fautore, & Brunone Coloniensi Archiepiscopo, cæterisque præsulibus, ac proceribus Franciæ, adhuc puer, nec Regni magis quam Normannorum odij hæres, inauguratus, Anno Christi nongentesimo quinquagesimo quarto, Hugonem, cuius præsertim potentia nitebatur, Burgundia, atque Aquitania donauit, *vt asserunt Frodoardus, & alij Gallici scriptores.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Eadredus Edmundi Angliæ Regis frater, vniuersa Anglia, sublato, supremo nomine vindice, Amalapho Tyranno, potitus est, Anno Christi nongentesimo quinquagesimo primo, Constantini quadragesimo. *Matthæus Vestmonasteriensis.*

Balduinus Arnulphi Flandriæ Comitis filius, cui præter prudentiam summam, atque industriam, multum animi, viriumque inerat, ac vigilantiæ plurimum, Mathildem Hermanni Saxonum Ducis filiam, in coniugem accepit, eodem Christi amno. *Ita Meierius, & alij.*

Otho Germaniæ Rex Canusium profectus, Adelaidem Reginam, Lotharij Principis iam defuncti viduam, connubio sibi iunxit. Mox Papiam se conferens, eam, deditione facta, triumphantis in modum, vna cum Augusta ingressus est. Anno autem proximo, Christi scilicet nongentesimo quinquagesimo secundo, Constantini quadragesimo primo, Germaniam reperijt. Mox externo fœliciter confectus bello, domestico exceptus fuit, Luitulpho filio rebellante. Illum tamen Vldarico Episcopo adnitente, in gratiam recepit. Postmodum Sueuiæ occupatæ curam, Bulchardo Helfensternio commisit: Tum in Saxoniam, hieme aduentante, ne turbæ excitarentur, abijt. Tandem crebris inclytus victoriis, honoribus, muneribusque, à vicinis Regibus, immo etiam Sarracenis splendide donatus fuit, Anno Christi nongentesimo quinquagesimo sexto, sequenti vero, peractis Boloniæ Comitijs, Aquisgranum inuisit; Francorumque pacem perseueranter, atque æque colens, læta omnia fecit; cunctosque mo-

tus, Ludouico Rege defuncto, prospere sedauit. Sorores autem, viduam nempe Ludouici Regis, & Hugonis Comitis Parisiensis vxorem ad se accersiuit, *vt refert Paulus Æmilius.* Anno denique nongentesimo sexcentesimo, euocatus à summo Pontifice, Imperij insignibus ab eo exornatus fuit, ea lege vt faueret illius votis, Romanæque Ecclesiæ, Berengario Tyranno expulso consuleret. *Regino, Luitprandus, & alij.*

Berengarius Italiæ Rex, cum se Conrado viribus imparem sentiret, arma continuo, vt prudens deposuit, & ad Othonem Germaniæ Regem in Saxoniam, ad pacem firmandam, Conrado ipso suadente, se contulit, Anno Christi nongentesimo quinquagesimo secundo, Constantini quadragesimo primo. Illi autem, Duces, Præfecti, Palatinorumque primores, ad primum lapidem, Othonis imperio, obuiam prodiere, regalique pompa, in regiam vrbem, deduxere. Triduum vero post, in Othonis conspectum admissus, veniam obtinuit. Solemni tamen deditioni peragendæ dies, apud Augustum, constituta fuit; vbi nexis cum Adelberto filio manibus, toto expectante exercitu, regiæ se potestati, atque clementiæ commisit; iisque Otho in fidem receptis, Italiæ Regnum restituit, ea lege, vt in sua verba iurarent, & annuatim centum, & triginta auri pondo penderent, Henricusque frater Bauariæ Rex Veronensi Marchionatu, atque Aquilensi potiretur. *Ita Vitichindus.* Richardus in locum Godofredi patris Gerliæ Præfecti, suffectus fuit sub idem tempus. *Vt vult Anonymus.*

Ordonius Legionensis Rex in Hispania, Lusitanica expeditione defunctus, & vindictæ studio ardens, bellum in Ferdinandum, Comitem Castellæ, suscepit, Anno Christi nongentesimo quinquagesimo quarto, Constantini quadragesimo tertio, magnoque in periculo res erant. Verum illius animus ad modestiam compositus; legatione Comitis humillimis precibus veniam deprecantis, paratumque se esse imperata præstare, nouisque officiis præteritam offensam compensare denuntiantis, atque ingentes Maurorum copias in Christianorum perniciem comparari, debereque illum priuatis affectibus, atque dolori communem Christiani nominis causam potiorem habere, non solum mitigatus plane fuit, sed tantum copiarum adiunctum, quantum opus erat ad Maurorum

impetum propulsandum. *Hispanica Historia.*

Luitulphus Othonis Germaniæ Regis filius rebellis ab omnibus derelictus, nudis pedibus sordidaque veste indutus, & ad patris pedes prostratus, veniam impetrauit, eodem Christi anno, *Luitprando teste.*

Eduinus, Edmundi filius, Ealdredo Angliæ Rege morte absumpto, purpuram induit, Anno Christi nongentesimo quinquagesimo quinto, Constantini quadragesimo quarto. Princeps adeo fœdissimis voluptatibus, stuprisque deditus, vt ipso primo inaugurationis die, è procerum, ac sacrorum Antistitum, quos in conuiuio adhibuerat, corona, temulentus se proripiens in Scortorum amplexus irruerit. Hunc tamen Duntestanus Abbas sanctitate percelebris, duas inter fœminas volutantem, manu prehensum, non sine dedecoris exprobratione, in conuiuium reduxit. Quæ res illi, vt Sacerdotalis libertatis laudem maximam, ita apud Regem, & mulierculas, summum odium, dein exilium peperit. *Vt docet Matthæus Vestmonasteriensis.*

Sanctius, Ordenio fratre mortuo, Legionensis Imperij sumpsit insignia, Crassi cognomen à multo abdomine illi factum. Ea propter corpore erat ad res gerendas inutili, ingenio autem minimè malo, præstantique animi indole, ac rebus aduersis mirabili constantia. Anno vero proximo, Christi nempe nongentesimo quinquagesimo sexto, alienato exercitu, ac tumultuanti, ob studia partium nondum penitus restincta, ad auunculum Regem Vasconum confugere coactus fuit; Regnumque relinquere, suspensis, incertisque amicorum voluntatibus, & inimicis multis, quorum studia in Ordonium Alfonsi ex Serena filium, maxime propensa erant. *Rodericus Sanctius, & alij.*

Ordonius Sanctij discessu, quo maior illi esset auctoritas, Vrracam, ab Ordonio patruele repudiatam, Ferdinandi Gonsalui Castellæ Comitis filiam, duxit. Hic adeo natura prauus vt ei, Mali cognomen inditum fuerit. Itaque cum impotenti naturæ frenos identidem daret, quod semper in summa potestate exitiale fuit, in odium gentis, & ex inuidia contemptum, incurrit.

Sanctius oblatam occasionem amplexus est, prius tamen

corporis attenuandi causa, auunculi Regis consilio, Cordubam profectus est, vbi excellentes esse medicos, ac præcipuè eius morbi peritos, fama vulgarat; Venientem, Maurorum Rex Abdheramanus benigne excepit; Cura adhibita, cuius herbæ (nomen non proditur) virtute, extenuata aruina, corpus ad competentem habitum productum est, quo maior esset gratia. Valida ei Maurorum auxilia, vt in Regnum restitueretur, adiuncta. Gloriosum certe Barbaro Regi erat, rerum pace, ac bello arbitrum esse videri. Æmulus vero accepto Sanctij aduentu, ne tentata quidem defensione, in Astures confugit; inde pari desperatione, ad Soceri Castellæ Comitis ditionem; à quo propter ignauiam exosus, vxore ablata, è finibus Castellæ expulsus fuit; coactusque in Maurorum clientelam se recipere. Vbi profugus, egenusque, reliquum vitæ tempus turpiter exegit. *Historia Hispanica.*

Petrus Candianus, (vt leuia semper fuere vulgi studia, leuiter enim amat, & odit) Candiano patre defuncto, exul licet, & hostis, publico decreto reuocatus fuit, contraque Cleri, Principumque iusiurandum, Venetorum Dux renunciatus, Anno Christi nongentesimo quinquagesimo septimo, Constantini quadragesimo sexto. *Ita Annales Veneti.*

Edgarus, in locum Eduini Angliæ Regis, ob turpissimos mores expulsi, subrogatus fuit, eodem Christi anno. Biennio autem post, anno scilicet Christi nongentesimo quinquagesimo nono, Constantini quadragesimo octauo, Eduino è viuis erepto, rerum potitus, Duntestanum ab exilio reuocauit, Regnumque fœdissimis Eduini voluptatibus deturpatum, in suam antiquam gloriam restituit. *Vt vult Osbertus in Duntestano.*

Hugone magno Principe demortuo, Hugo ipsius filius, Capetus dictus, quod puer puerorum capita pileis nudare soleret, Franciæ Ducatum accepit; Otho vero illius frater, Burgundiæ partem. *Frodoardus, Annales Rhemenses, & alij.* Anno demum nongentesimo sexagesimo, idem Capetus, Pictauiensis Comes, à Francorum Rege creatus fuit.

Arnulphus senior, Flandriæ Comes, quamuis, summa sua prudentia, multa fœliciter præstaret; minus tamen, ob fractum variis laboribus corpus, idoneum se rebus agitandis sentiens; vitamque in otio piis operibus transigendi vehementer expetens,

expetens, Balduinum, matura ætate filium, publicæ rei censuit admouendum. Habitis itaque Gandaui Comitijs, ad regimen assumpsit, Anno Christi nongentesimo quinquagesimo octauo, Constantini quadragesimo septimo, Flandriæque Comitem appellauit. *Iacobus Meierius.*

Indulphus Constantini olim Regis cognatus, Malchalmo Scotiæ Rege sublato, omnium suffragiis salutatus fuit, Anno Christi nongentesimo quinquagesimo nono, Constantini Imperatoris Orientis quadragesimo octauo. Hunc Analassus Danorum Rex, cum precibus ad fœdus Anglicanum dissuendum allicere, non potuisset, armis elicere conatus est. *Leslao teste & alijs.* Anno autem proximo Richardus Normanniæ Dux, Capeti sororem in vxorem sumpsit; *vt docent Annales Rhemenses.*

VIRI ERVDITI.

Fuldebertus Anglus, plenam operam bonis omnibus disciplinis dederat; eiusque eruditæ lucubrationes magno fuere in pretio apud viros omnes doctrina præstantes, *vt docet Ioannes Lelandus* ex Chronicorum imaginibus Radulphi de Diceto.

Bridfertus Ramensiensis Doctor percelebris, & in Philosophia Aristotelica apprime versatus, summusque Mathematicus; Scripsit librum in venerabilem Bedam, de temporibus; de natura rerum alium; de loquela per gestum digitumve alterum; de ratione item vnciarum, & principiis Mathematicis.

Luitprandus vir magnæ famæ floruit hoc tempore, rerumque ab Europæ Imperatoribus gestarum seriem, libris sex complexus est.

NATALITIA AVGVSTA.

Ex Adelaida Othonis Germaniæ Regis conjuge, filius Otho, secundus appellatus, natus est, Anno Christi nongentesimo quinquagesimo quinto, Constantini quadragesimo quarto. *Sigonius.*

PRODIGIA.

Horrendus Cometa cruentum suum crinem longo dierum spatio porrexit, Anno Christi nongentesimo quinquagesimo primo, Constantini quadragesimo, *vt refert Sigebertus*. Permultæ insuper hominum vestes, variis aspersæ crucibus, magno terrori omnibus fuere nonnulla etiam; fœda sanie, & lepræ persimili, perfusa pallia, Anno Christi nongentesimo quinquagesimo nono, Constantini quadragesimo octauo.

CALAMITATES.

Crebris terræ motibus grauiter laboratum, Anno Christi nongentesimo quinquagesimo primo, Constantini quadragesimo. Ingens item lues Boreales Prouincias depasta est, qua ipse Otho Germaniæ Rex correptus concepto voto, liberatus fuit. *Ita Regino, Sigebertus, & Vitichindus.* Fœdissima eodem anno oborta tempestate, lapis stupendæ magnitudinis è cœlo decidit, multæ denique vrbes de cœlo tactæ; multi fulmine afflati, multique peste absumpti. *Frodoardo Auctore.*

RES BELLICÆ.

Otho Germaniæ Rex magnis pedestribus, equestribusque copiis conuocatis, iter in Italiam instituit, Anno Christi nongentesimo quinquagesimo primo. Qua de re Berengarius certior factus, nullo tentato certamine, Castra è Canussio mouit; ad aliaque tuenda loca, vna cum filiis suis Adelberto, & Vidone, maturate se contulit. Verum Canussio liberato; Otho Papiam continuo expugnauit, sequentisque anni Vere ineunte, Germaniam repetens, Conradum generum suum, vt reliquias belli aduersus Berengarium, prosequeretur, reliquit; quod quidem tam fœliciter præstitit, vt Berengarium ad pacem petendam coëgerit. *Leo Ostiensis, Frodoardus, & alij.*

In eam Lusitaniæ partem, quæ Maurorum imperio parebat, copiæ militares immissæ, Anno Christi nongentesimo quinquagesimo secundo, Constantini quadragesimo primo,

longeque, ac late populationes factæ; immo Olysipponem vsque penetrarunt. Interea Ferdinandus Castellæ Comes in Maurorum fines inuectus, Carrasum Castrum, præsidio depulso, occupauit. *Mariana.*

Abdheramanus Cordubæ Rex inclinata quamuis ætate, ingenti conflato exercitu, in quo octoginta hominum millia numerabantur, mandauit Albagibo Almansori, magni nominis Duci, Anno Christi nongentesimo quinquagesimo tertio, Constantini quadragesimo secundo, vt Christianorum ditionem, facto derepente impetu, inuaderet. Comes autem Castellæ omnes ex vniuerso Imperio, quorum ætas ad bellum idonea erat, conuocauit; minores tamen ei vires, copiæque fuere. Quare de belli exitu anxius, Manione in consilio Principum, de rei summa deliberauit. Variæ dictæ sententiæ, vt in graui metu. Vicit nihilominus belli studium; votisque rite nuncupatis, obuiam hosti Laram vsque progressum, vbi Maurorum castra. Ferdinandus Castellæ Comes, venatum, animi causa, egressus, dum aprum insequitur, à socijs diuulsus in vicinum montem se contulit; vbi sacellum vetusti operis, & hædera contectum, ad quod fera, tanquam ad tutum Asylum confugerat. Comes, loci religione tactus, à vulnere abstinuit, præstoque fuit Pelagius, eo in loco commorans; & quoniam dies in noctem inclinabat, tenui exceptus cæna, totam noctem in precationibus, atque lachrymis transegit, cumque luce, Pelagij oraculo de belli successu edoctus fuisset, hilaris ad suos aduolauit, reque omnino exposita, militum animi ad pugnam incaluere. Itaque collatis vexillis, acriter dimicatum est, & ab exiguo Christianorum numero, numerosa hostium multitudo prostrata. Eaque insigni victoria, res Christiana, quæ collapsa pene videbatur, restituta fuit. *Ioannes Vasæus, & alij.*

Luitulphus Othonis Regis filius, & Conradus, multis è Franconia, Saxonia, Bauariaque, ad arma sollicitatis, oppida varia inuaserunt, eodem Christi anno nongentesimo quinquagesimo tertio, Constantini quadragesimo secundo.

Otho in Saxoniam magnis progressus itineribus, validum ad Moguntiam, quam Conradus tenebat, exercitum duxit. Dum autem Moguntia acri obsidione fatigatur; Luitulphus,

auertendi causa, in Bauariam profectus, Ratisbonam expugnauit, eiusque prædam militibus concessit. Quo accepto nuntio Otho, tam iniquo tulit animo, vt Moguntiæ obsidione omissa, eò confestim castra conuerterit, protinusque Ratisbonæ obsidionem admouerit, quam ad anni vsque exitum perduxit.

Interim dum hæc in Germania geruntur, Berengarius in Italiam reuersus, accepti beneficij immemor (illum enim Otho in suum restituerat Regnum) nouos in Italia tumultus excitauit, hostilesque copias Canusium, dein Rauennam, immo in Exarchatum deduxit. *Sigonius.*

Mauri, superiori clade haudquaquam animis fracti, de Castella cogitarunt, eodem Christi anno nongentesimo quinquagesimo quarto, Constantini quadragesimo tertio. Ordonius vero Rex Lusitanica expeditione defunctus, Ferdinando Castellæ Comiti bellum indixit. Verum legatione conciliatus, arma in Mauros intulit; pugnaque commissa Barbari ad internecionem deleti fuere. *Ioannes Vasæus.*

Hungari à Conrado euocati, tanto in Germaniam irruere militum numero, anno sequenti, vt nisi vel à terra absorberentur, vel à cœlo obruerentur, vinci se posse negarent. Iis Otho Germaniæ Rex, audita Imperij vastitate, & depopulatione longe lateque facta, coactis vndique auxiliis, magna pernicitate occurrit; cumque acies vtrinque constitissent, tantis arbus, atque odiis, ab vtrisque ita concursum est, vt supra excrescentem in medio cadauerum aggerem, diebus aliquot decertarint, sola tantum nocte à pugna cessatum, & quamuis tunc victoria à Germanorum partibus stetisset; tamen obstinatissimis iterum animis depugnarunt; sed tanto infœlici belli exitu; vt multis abhinc annis, se se in Pannonia, ab omni expeditione, continuerint. *Ita Regino, Ditmarus, & alij.* In Sclauos item Saxoniam fœde deuastantes mouit idem Princeps, eosque sibi subjecit.

Lotharius Francorum Rex bellum cum Hugone Magno suscepit in Pictonibus aduersus Guillielmum Ducem, eodem Christi anno nongentesimo quinquagesimo quinto, Constantini quadragesimo quarto. *Frodoardo teste.*

Luitulphus Othonis Regis filius in Italiam à patre aduersus Berengarium missus, anno sequenti, multa prospere gessit,

ipſumque Berengarium prælio congreſſum fudit, in Hortamque Nauarienſis lacus inſulam compulit; oppidiſque plurimis receptis, permultos ad ſe populos traduxit. *Sigonius.*

Mota eodem tempore, anno nimirum Chriſti nongenteſimo quinquageſimo ſexto, Conſtantini quadrageſimo quinto, Caſtellæ in Hiſpania arma, inteſtinique tumultus extitere. Vigila ſiquidem ætate ferox, familia, opibus, & multis clientelis potens, in Ferdinandum Gonſaluum ſigna tulit. Comes autem vt erat omnis inſolentiæ impatiens, Vigilam ac ſocios deuictos omnibus veſtigiis inſecutus, nulloque loco conſiſtere ſinens, patria relicta ad Mauros confugere coëgit. Quæ res magnorum motuum occaſio extitit; Alagibus enim Almanſor, an horum precibus prouocatus, an vero præteritæ ignominiæ ſanandæ cupiditate ardens, comparato exercitu in Caſtellæ fines excurrit. Ferdinandus, delectu ſuorum habito, Pelagij inuiſendi cupidus, ex itinere, domum illius adijt, inuenitque eum deceſſiſſe. Sollicito autem de belli euentu, ac dormienti, Pelagij oblata ſpecies auguſtiori habitu, quàm pro humano, indicat, victorem fore; numine fretus progrederetur ad bellum, venturi ſecurus. Ad petram Hitam concurſum eſt, tanto animorum ardore, quanto nuſquam ante. Barbari multitudine confidebant; Chriſtiani vero virtute, animis, & diuino patrocinio. Exiguus numerus pro hoſtium multitudine; quadringenti quinquaginta equites, pedites quindecim millia; viuida bello virtus. Triduo continenter pugnatum memorant; niſi quantum nox temporis, curandis corporibus dedit. Poſtremo die D. Iacobus in acie viſus victoriam peperit. Hoſtes maiori quàm vnquam clade oppreſſi in pugna, & in fuga. Biduo enim fugientes illos perſecuti ſunt Chriſtiani. *Ioannes Vaſæus, & alij.*

Otho Germaniæ Rex in Vandalos iterum profectus, eos penitus attriuit, Anno Chriſti nongenteſimo ſexageſimo, *vt docet Vitichindus.*

OBITVS ILLVSTRES.

Amalaphus in Anglia Tyrannus, igne in S. Belteri iniecto, confeſtim è viuis, diuini numinis iram expertus, ſublatus fuit,


Anno Christi nongentesimo quinquagesimo primo, Constantini quadragesimo. Sequenti vero Godofredus, Gerlaci Præfectus, morte absumptus est; *vt placet Anonymo.*

Balgionis Hungarorum Regis nepos, quem militaris scientia clarum fecerat, cecidit in Cameracensi oppugnatione, Anno Christi nongentesimo quinquagesimo tertio, Constantini quadragesimo secundo; eiusque abscissum caput, è conto, in mœnibus, defixo, ingentem Hungaris terrorem incussit. *Basder. & Somer. lib.*1. *c.* 76.

Eadredus, seu Edredus Angliæ Rex viuere desijt, Anno Christi nongentesimo quinquagesimo quinto, Constantini quadragesimo quarto; *vt habet Matthæus Vestmonasteriensis.* Ordonius autem Legionensis Rex, in Hispania vita functus est, eodem anno. *Ambrosio Morali teste.* Et Henricus Bauariæ Rex.

Hugo cognomine Magnus & Comes Parisiensis, decessit anno proximo. Luitulphus Othonis Regis filius, in Italiam à patre ad coërcendam Berengarij Tyrannidem missus, obijt, Anno Christi nongentesimo quinquagesimo septimo, Constantini quadragesimo sexto. *Luitprandus.* Biennio post Eduinus Angliæ Rex, exhausto fœdissimis libidinibus corpore, interijt. *Auctore Rogerio.* Adde Macolmum Scotiæ Regem.





DECAS SEPTIMA.

ROMANI IMPERATORIS ORIENTIS Gesta, & Obitus.

TOTVS fœdissimis libidinibus, atque voluptatibus solutus, vitam, quam debebat ferro, parricida, immatura morte amisit, Anno Christi nongentesimo sexagesimo tertio, ætatis vigesimo quarto. *Zonaras.*

ICON

ROMANI IMPERATORIS ORIENTIS.

Romanus Constantini Leonis, & Helenæ filius; cognomento puer, quod rerum potitus, luxu diffluens, stuprisque, atque adulteriis principem agens, Bringæ cubiculario suo, Imperij totius regimen commisisset. Ingenio alioquin non malo, sed interdum solerti, vbi animum adjecisset. Foris fœlix, secunda siquidem bella in Sarracenos, Cretam occupantes, & Turcas Asiam fœde depopulantes, Nicephori Phocæ opera, confecit. Domi tamen in matrem, sororesque impius, cum eas, è regia eiectas aula, ad infandum, turpissimumque vitæ genus, meretricium scilicet quæstum compulisset. Quare omnibus exosus, veneno, tertio Imperij sui anno, perijt: Vbi enim pudor non est, nec cura iuris, nec pietas, nec fides, ibi nullum potest esse diuturnum Imperium.

NICEPHORI IMPERATORIS ORIENTIS Gesta, & Obitus.

Romano extincto Imperium suscepit, Anno Christi nongentésimo sexagesimo tertio; dein Theophanonem Augustam connubio sibi iunxit; Vnde turbæ multæ, quod secundas nuptias, nulla prius, vt moris erat, expiatione instituta, iniisset. Anno vero sequenti celebres victorias pluribus captis vrbibus in Oriente retulit. Eapropter sanctionem edidit, qua voluit vt milites in bello cæsi, pari cum Martyribus honore colerentur. Polyectus tamen Patriarcha, cæterique Principes Senatus fortiter illi, lege ea abrogata, restitere; breuique post in tantum ob grauia imposita vectigalia, odium incurrit, vt inuisus omnibus è viuis sublatus fuerit. *Curopalates, Cedrenus, Zonaros, & alij.*

ICON

NICEPHORI IMPERATORIS ORIENTIS.

Nicephorus Phocas, Bardæ viri clarissimi filius, militum studio acclamatus, in Silicienses Sarracenos, tributum, ex veteri pacto, postulantes. tantum Imperij sui probrum, haud ferendum ratus, instructissimam, Manuëlis Patricij ductu, classem immisit; honesto tamen magis consilio, quam fœlici, classe deleta penitus, & Duce cum exercitu Cæso. Ipse vero militari laude percelebris, palmas Imperator restaurauit, quas priuatus posuerat, toto notissimus Oriente, Cilicia, Cypro, & Syria Imperio adjunctis, magnaque Asiæ parte, lætus auspiciis, potitus; immo Antiochena vrbe clarissima, quam quidem inuitus expugnauit, monitus olim, ea vrbe capta, sibi periturum. Verum non ab vrbe, sed ab auaritiæ sordibus, mortem offendit. Cum enim tam odiosus domi, quàm foris clarus, militarem gloriam ciuium expilationibus deturparet; granique annona populum opprimeret, in insidias procerum dilapsus, Bisantij suo in cubiculo, à conjuratoribus interfectus fuit. Nec mirum; nimia siquidem habendi cupiditas, clarissimo orbis totius exemplo, illustrioribus Principum familiis, exitio semper fuit.

ZEMISCÆ

ZEMISCÆ IMPERATORIS ORIENTIS *Gesta.*

Nicephoro Phoca defuncto, Anno Christi nongentesimo sexagesimo nono, templum ingressurus, vt augustali corona donaretur, à Patriarcha Polyeucto inhibitus fuit, Nicephori cæde maculatus; cum autem Augustæ iussu, id egisse assereret; non prius tamen diademate insignitus fuit, quam purgato parricidio, facultates omnes, quas priuatus possederat, in pauperes erogasset. Tum petitam, ab Othone occidentis Imperatore, Theophaniam, Nicephori priuignam, quam Latini Annam dixere, confestim ad eum, cum insigni apparatu, misit, vt Othoni filio suo, ex amplissimo genere, in amplissimam familiam nuberet. *Curopalates, Vitichindus, & alij.*

OTHONIS IMPERATORIS OCCIDENTIS *Gesta.*

Romam, nullo facto obice, se contulit, Anno Christi nongentesimo sexagesimo secundo, vbi summo ciuium omnium applausu exceptus, Imperatoriis insignibus à Ioanne Pontifice exornatus fuit, Augustusque salutatus, Pipini, Caroli, ac Ludouici donationes ratas habuit, ingentibusque gemmarum atque auri muneribus, Pontificem, regia sua magnificentia, cohonestauit. Tum ad eum in Germaniam reuersum, concursus totius orbis terrarum factus. E Francia siquidem Francus Rex, cum fratre Carolo, matreque Gerberga, Magister equitum cum matre Auida, vtraque Cæsaris sorore, affuere. Duces item nobilissimi genere, factisque, comitabantur. Totius latini nominis proceres, ac summi Græcorum viri, antiquitatis decore, maiorumque gloria, atque indole clari, præsto erant. Festi, celebresque dies ludis, conuiuiis, omnique apparatu hilaritatis, comitateque acti, *vt refert Luitprandus, Frodoardus, & alij.*

Anno autem nongentesimo sexagesimo sexto, Nicephori Phocæ quarto, Romam repetens grauiter in turbarum auctores animaduertit, pulsis Italia consulibus, & Tribunis suspen-

dio enecatis. Præfectus vero vtre redimitus, ac seruiliter cæsus, perpetuo carceri addictus fuit. Cuius seueritatis exemplo, non vrbs tantum, sed vniuersa Italia pacata fuit, *Reginone teste.* Guillielmo autem filio suo magnam Lotharingiæ partem, Burchardo Landgrauio ab Hungatis cæso, concessit eodem anno. Hermannum autem, & Geronem, qui fines Imperij, eo absente, egregie tutati fuerant, Duces constituit; illum quidem Luneburgensem; hunc vero Brandenburgensem, easque regiones, hæreditario iure, ipsis donauit. *Fabr.* Anno denique nongentesimo septuagesimo, in Gallias, cum Othone filio, profectus est, vt res inter cognatos Duces, Regesque componeret, eosque cum filio, fœdere iungeret. *Ita Vitichindus.*

LOTHARII FRANCORVM REGIS Gesta.

Richardum Ducem, Suessione, in Comitiis publicis, pari, quam ille nuper parentem, pœna affecisset, nisi ipse tacite fraudem subodoratus, à congressu abstinuisset. Interiectis vero aliquot annis, occupata Flandria, Atrebatum, Teorannam, aliaque Morinorum oppida, ditioni suæ adiecit, vt asserunt *Franciæ scriptores.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Otho secundus, Othonis Imperatoris occidentis ex Adelaide vxore filius, Italiæ Rex, Comitiis Vormortiæ habitis, renuntiatus fuit, Anno Christi nongentesimo sexagesimo primo. Anno vero nongentesimo sexagesimo septimo, Othonis sexto, Nicephori Phocæ quinto, Augusti nomine insignitus fuit, *vt docent antiqua numismata, Lambertus, & alij.*

Arnulphus senior, Balduino, Flandriæ Comite defuncto, & Arnulpho nepote nondum maturo Imperio, curam iterum regiminis suscepit; Anno Christi nongentesimo sexagesimo primo, Romani Imperatoris primo. Quadriennio tamen post, sentiens se, & grauibus annis, & laboribus exhaustum, habito

Gandaui Conuentu, eò Flandriæ proceres perpulit, vt Arnulphum, iuniorem Balduini filium, Comitem dici permitterent, eumque Principem suum, obstricta fide, agnoscerent, priusquam ipse mortem oppeteret, nihil interim quandiu vita suppeteret, ab se defuturum nepoti. Eoque negotio, ex animi sententia, confecto; Flandriæ, & nepotis rebus, quandiu potuit, consuluit. *Frodoardus, Iacobus Mierius, & Marchandus in Arnulpho.*

Carolus Ludouici filius, & Lotharij Francorum Regis frater, Lotharingiæ, ac Brabantiæ Comes creatus fuit, Anno Christi nongentesimo sexagesimo tertio, Othonis secundo, Nicephori Phocæ primo; *vt habet Sethus Caluisius.*

Miecziflaus, peracto Gnesnæ solemni ceremonia Ziemomisti Patris funere, Poloniæ Rex salutatus, anno sequenti, vxores septem, more barbarico, duxit. Sacris tamen, breui post, Christianæ religionis mysteriis eruditus, dimissis illis, Bambroucam Christianam, Boleslai primi Boëmorum Ducis filiam virginem, nouo sibi matrimonio iunxit. Dein baptismo Christianorum ritu initiatus, Boëmos qui regiam nuptã Gnesnum magno Comitatu deduxerant, honorifice habitos, ac splendide donatos, remisit; totumque se ad propagandam, per omnem Principatum, Christi fidem, annitente, & adiuuante vxore, conuertit. *Ita Historia Polonica.*

Conradus, Balderici filius, Comes in Vormatiæ Comitiis, ob res præclare in Italia gestas, constitutus fuit, *vt docet Isacius Pontanus.* Boleslaus autem secundus, Boleslao patre Boëmiæ Rege sublato, Imperio potitus est. *Cosma.*

Sanctius cognomento Garsias, Garsia Vasconum Rege, & parente demortuo, rerum administrationem omnium suffragiis assumpsit eodem Christi, anno scil. nongentesimo sexagesimo sexto, & cum eo Ramirus frater, exæquatane duorum potestate, an diuisa, incertum est; *vt legimus in Historia Hispanica.*

Sanctio Crasso Legionensi Rege in Hispania extincto, Ramirus, eo nomine tertius, quinquennis adhuc, Regnum obtinuit anno proximo. Verum propter teneram eius ætatem, rerum procuratio fuit penes matrem Reginam cognomento Therasim, & Eluiram, (Geloiram alij scribunt) amitam, lectissimas fœminas, & prudentia singulari illustres; tametsi

sexus, & ætatis despectu, magni motus excitati fuerint. Fœdus nihilominus, cum Cordubensi Rege initum, confirmatum fuit.

Garsias Ferdinandus, in quo eximia indoles, & magnarum virtutum semina, successit, Anno Christi nongentesimo sexagesimo octauo, Ferdinando Castellæ Comiti, viro clarissimo, & rerum gestarum gloria celeberrimo.

Duffus Malcolmi filius marmoreæ Cathedræ Sconæ impositus, Rex à Scotorum Proceribus acclamatus fuit sub idem tempus. Hic rationes suas, ita ad iustitiæ normam exegit, vt omnes officij sui limites transilientes, nulla personarum habita ratione, acerrime castigarit. Cæterum, Insularum præpositis omnibus seuere mandauit, vt omnium eorum qui domi nullo labore impliciti torperent, sentinas exhaurirent, vel pœna grauissima afficerentur. *Buchananus, Leslaus, & alij.*

Pandulphus, Campaniæ ducatu ab Othone Imperatore auctus fuit, Anno Christi nongentesimo septuagesimo; *vt testatur Vitichindus*, Guillielmi vero Aquitaniæ Ducis, & Pictauiensis Comitis locum impleuit Guillielmus eius filius.

VIRI ERVDITI.

Vitichindus vir singulari eruditione præstans res gestas Henrici primi, & Othonis primi Imperatorum erudite composuit; Historiam insuper de Origine, & rebus Saxonum tribus libris accurate complexus est, multaque alia edidit præclara ingenij sui monumenta. *Gesner.*

Lamfridus Anglus agnotu pretio fuit ob eximiam rerum cognitionem, qua insigniter excultus fuerat, vt inter viros peritissimos, perceIebris. Etheluoldus in Occidentalibus Angliæ partibus natus, vir multiplici doctrina illustris, floruit hoc tempore, scripsitque de Regibus, Regnis, & Episcopatibus totius Angliæ librum vnum, alterum vero de tempore Regum Britannorum. *Pitseas.*



OPERA PVBLICA.

Papia, vrbs celeberrima, à Berengario diruta, restituta fuit ab Othone Imperatore, Anno Christi nongentesimo sexagesimo secundo, Romani secundo. *Historia Germanica.* Gotha autem ciuitas amplissima à Metagoldo. Abbate Hirofeldensi condita, Anno Christi nongentesimo sexagesimo quinto, Othonis quarto, Nicephori Phocæ tertio. *Ful.*

Thedaldus vero, Athonis Comitis viri clarissimi filius, & Sigeberti Marchionis Atestini frater, Ferraria vrbe, à Ioanne Pontifice donatus, ingentem, stupendamque arcem, illius nomine nuncupatam, posteris omnibus monumentum erexit, Anno Christi nongentesimo septuagesimo, Othonis nono, Ioannis Zemiscis primo. *Sigonius.*

PRODIGIA.

Duo soles in cœlo visi, marisque aquæ, exuto natiuo illo, atque ingenito salis sapore, eximiam per biduum, mense Iulio, induerunt, omnibus stupentibus, suauitatem, Anno Christi nongentesimo sexagesimo septimo, Othonis sexto, Nicephori Phocæ quinto. *Ita Auctor citatus.*

CALAMITATES.

Funesta quædam lues ad Liguriam vsque, longe, lateque grassata est, Anno Christi nongentesimo sexagesimo quarto, Othonis tertio, Nicephori Phocæ secundo. Anno vero nongentesimo sexagesimo octauo, Othonis septimo, Nicephori Phocæ sexto, summa frugum omnium inopia laboratum, *vt docet Luitprandus, & Cedrenus.* Biennio autem post, maligno quodam stellarum concursu, flammarum ingens vis, ex Oceano derepente exorta, finitimosque in agros immo Zamoram, Tarraconensis Hispaniæ vrbem perlata, oppida multa fœdissimo incendio deformauit. *Mariana de rebus Hispanicis.*

RES BELLICÆ.

Nicephorus Phocas Orientis Imperator mouit in Sarracenos, Anno Christi nongentesimo sexagesimo primo, Romani Imperatoris primo, Cretamque Insulam, iam abhinc annis quadraginta occupatam, fœlicibus belli auspiciis recuperauit, *vt testatur Curopalates.*

Otho Imperator, ad Insulam Iulij, in lacu vrbano, euocatum è statiuis exercitum, protinus adduxit; ibique Villam, Berengarij coniugem circumsedit; nec magni negotij hæc expugnatio fuit. Oppidum enim, duobus tantum obsessum mensibus, in deditionem accepit, Anno Christi nongentesimo sexagesimo secundo, Principatus primo, Romani secuncundo; mulieremque ad virum suum remisit. Anno autem sequenti, conflatis ex Germanis, & Italis copiis, Papiæ naues conscendit, secundoque Pado, Rauennam se contulit, quam facile in potestatem reduxit. Inde in Ducatum Spoletanum, ad Feretrummontem, quem præsidiis operibusque munitum, Berengarius, eiusque vxor Villa tenebant, perrexit; eoque breui circumuallato, milites ad proxima Vmbriæ loca occupanda immisit; tum montem Feretrum vehementi obsidione, atque oppugnatione fatigauit. *Ita Historia Germanica.* Græci infœliciter pugnarunt contra Sarracenos eodem anno.

Buchardus Dux in Italiam missus, summo prælio cum Aldeberto, Berengarij filio ad Padum decertauit, Anno Christi nongentesimo sexagesimo quinto, Othonis quarto, Nicephori Phocæ tertio; in fugamque coniectus Aldebertus, Vidome fratre suo cæso, ægre euasit. *Sigonio teste.*

Maurorum sub idem tempus validæ copiæ, Legionem obsederunt. Militum tamen, qui erant in præsidio, & ciuium virtute, repulsi fuere Mauri, non leui accepta clade. *Mariana.*
Dani Scotiam, quinquaginta nauium classe fœde depopulantes anno sequenti, obtriti penitus fuere ab Indulpho Rege; *vt habet Buchananus, & alij.*

Lotharius Galliæ Rex in Flandriam properauit, primoque incursu, Hanæ captæ, dein Atrabatum, priusquam Arnulphus iunior exercitum conscripsisset; mox Duaco copias admouit,

imperauitque per Fecialem incolis, vrse dederent, æquumque se fore, & leni eos imperio habiturum, spopondit; alioquin multa in illos vis grassaturum. Quare cum id prorsus renuissent, dispositis, aptissimo in loco, machinis, ita vrbem totam quassauit, vt paucis post diebus, æquis se legibus dederint. Exinde tractus per reliqua Gallo-Flandriæ loca, exercitus, quæcumque cis flumen Lisam iacebant, vno impetu correpta fuere. *Iacobus Meierius.*

Alacha Abderamini filius, Cordubæ Rex in Hispania, etsi pacis, quam belli cupidior esset, Castellæ tamen fines, numeroso coacto exercitu, inuasit. Sepalueda, Septimancæ, & Donniæ expugnatæ fuere, Anno Christi nongentesimo sexagesimo septimo, Othonis sexto, Nicephori Phocæ quinto; rerumque successu faciente animos, fœdere contempto, Legionenses aggressus est, Zamoraque, in eo tractu, vi capta, soloque æquata. *Historia Hispanica.*

Otho occidentis Imperator, Adelbertum Berengarij filium, & Italiæ Regem, iusta acie deuicit; Sarracenosque è Calabria, atque Apuleia expulit; ipsos insuper Beneuentanos sibi subiecit, Anno Christi nongentesimo sexagesimo octauo, Othonis septimo, Nicephori Phocæ sexto, *vt docet Sigebertus, & alij.*

Normanni, qui in parte Galliæ confederant, vbi olim Neustriæ nomen, nunc Normanniæ, comparata, instructaque numerosa classe, in Gallæciæ oram excursionem fecere, eodem Christi anno, vicosque atque oppida incendere; multi vero mortales, cum alia præda capti, tantaque calamitas biennium tenuit. Rex siquidem, ob teneram ætatem impar erat. Haud tamen multo post Christiani vicinarum ciuitatum, Duce Gundesaluo Sancio, Castellæ Comite, præuio S. Iacobo Apostolo, cuius ciuitatem euastarant, eos præda graues, & impedito agmine procedentes, ad mare, improuiso adorti, ingenti cęde prostrarunt. In ea pugna Gunderedus eorum Dux cecidit; pręda, & captiui erepti; naues ad vnam captæ, incensæque; *vt referunt omnes, & veteres, & recentiores scriptores, præsertim Moralis lib. 16. cap. 32.*

Russi sub idem tempus, arma in Bulgaros sumpserunt, multasque vrbes, atque oppida euerterunt. Anno Christi nongentesimo septuagesimo, Othonis nono, Ioannis Zemiscis

primo, Bardo Dux Russos, qui in Thraciam, cum trecentorum hominum millibus irruperant, binis præliis aggressus penitus deleuit. Sarraceni item Africam, & Orientem incolentes, Antiochiam, ingentibus copiis, obsederunt, sed conatu irrito. Antiocheni siquidem, auxiliaribus fulsi copiis, eos fœliciter profligarunt. *Cedrenus, & alij.*

OBITVS ILLVSTRES.

Balduinus Flandriæ Comes, vix elapso biennio Principatus sui, immatura morte sublatus fuit, Anno Christi nongentesimo sexagesimo primo, Romani primo. Quadriennio vero post Arnulphus ipsius pater, ętate graui confectus, vitam exuit; *vt docet Iacobus Meierius.*

Ziemomislus Poloniæ Rex eodem anno viuere desijt, Christi scilicet nongentesimo sexagesimo quarto, Othonis tertio, Nicephori Phocæ secundo, *vt habet Salomon Neugebauerus à Cadano in sua Historia.*

Berengarius Italiæ quondam Rex, exul in Germania, supremum expleuit diem, Anno Christi nongentesimo sexagesimo sexto, regioque more, Bambergæ sepultus. Garsias Sanctius Nauarræ, & Vasconum Rex interijt sub idem tempus. *Ita Mariana de rebus Hispanicis, & alij.*


Sanctius vero cognomento Crassus, Legionensis Rex in Hispania, veneno extinctus fuit, anno sequenti. Boleslaus Boëmiæ Rex, fatis concessit eodem anno, Christi nimirum nongentesimo sexagesimo septimo, Othonis sexto, Nicephori Phocæ quinto. Vvigmannus insuper Comes noui Castri Gandensis, Othoni Imperatori diu rebellis, occubuit. *Isacius Pontanus.*

Indulphus Scotiæ Rex coniuratorum insidiis in Morauia oppressus perijt, Anno Christi nongentesimo sexagesimo octauo, Othonis septimo, Nicephori Phocæ sexto, sepultusque Ionę; *vt habet Hector Boëtius, Leslæus, & alij.*

Ferdinandus Comes, mœrore animi tabescens, obijt Burgis in Hispania; funus non magis apparatu suorum celebre fuit, quam iustissimis vniuersę Prouincię lacrymis, optimi atque fortissimi Principis, quo Duce, Christianorum interitum deplorantium res semper steterat. *Mariana.*

Hatto,

Hatto, ſupremi numinis iras expertus, quod egenos in horreo incluſos, flammis conſumpſiſſet, à muribus enim cateruatim in eum irruentibus, & quos ne aquis quidem arcere potuerat, altiſſima in medio Rheni conſtructa turre, ad quam confugerat, corroſus fuit, eodem Chriſti anno nongenteſimo ſexageſimo octauo. Immo ipſius nomen parietibus, atque chartis inſcriptum, abraſum, *vt habet Marianus Scotus, Marini Chronicon, & alij Hiſtorici.* Biennio poſt Guillielmus Aquitaniæ Dux, & Pictauienſis Comes clariſſimus, ſummæque famæ apud omnes principes, deceſſit; *vt habetur in Annalibus Aquitaniæ.*





DECAS OCTAVA.

OTHONIS IMPERATORIS OCCIDENTIS Gesta, & Obitus.



Nuptiis Othonis filij sui, cum Theophania Romani quondam Orientis Augusti filia, Nicephori vero priuigna, splendidissimo apparatu Romæ celebratis, Papiam votorum suorum compos se recepit, vt Sarracenorum reliquias, è Fraxineto, deijceret. Id tamen, nuntiata Guillielmi filij, matrisque Mathildis, atque aliorum Principum acerba funera inhibuerunt; tantaque clade perculsus, Franciam, dein Germaniam petijt, vbi repentino correptus morbo, annis iam effœtus, è vita cessit, Anno Christi nongentesimo septuagesimo tertio, Principatus duodecimo, Ioannis Zemiscis quarto. *Vitichindus, Ditmarus, & alij.*

ICON

OTHONIS IMPERATORIS OCCIDENTIS.

Otho, Henrici primi filius, Imperatoriis insignibus ornatus, Sclauos, Boëmosque perdomuit; Lotharingios attriuit; Ludouicum Francorum Regem Simplicis filium, impressione, in Alsaciam, facta, fudit fugauitque; Hungaros internecioni dedit, Berengarium debellatum, captumque, in Bauariam relegauit; Græcos Calabria, Apuleiáque expulit. Tum Italiæ Principibus noua molientibus, in Franciam partim, partim in Saxoniam amandatis, Romam profectus, in vrbis turbatores

grauiter animaduertit; Consules enim Italia eiecit, Tribunos plebis suspendio enecauit; Praefectum vero, qui tumultus in Pontificem auctor fuerat, insigni ignominia, Virgis caesum donauit, totamque Italiam variis iactatam motibus, pacauit (vi siquidem quaedam tractanda, vt caeteris quies fiat.) Princeps belli, pacisque artibus clarissimus, omniumque Septentrionalium nationum domitor, ac rarum, in longo principatu, humanae foelicitatis exemplum, cum, eodem semper & virtutis, & gloriae tenore, Imperium, Magni cognomen adeptus, administrarit. Plurima denique regia opera splendide erexit. Tandem omni cumulatus honoris laude, coeloque maturus, magno suorum luctu, viuere desijt.

OTHONIS IMPERATORIS OCCIDENTIS Gesta.

Othone seniore defuncto, Otho secundus eius filius, tribus exornatus coronis, argentea vna Aquisgrani, ab Archi-Episcopo Moguntino, vt Rex Germaniae; altera ferrea Mediolani à Mediolanensi Archiepiscopo, vt Rex Italiae; tertia aurea Romae, à summo Pontifice, vt Imperator; neque enim ante Pontificis consecrationem, Augusti nomen assumpsit, sed Rex tantum Germaniae, seu Italiae, aut Romanorum, vel Imperator designatus appellabatur; à Principibus, populoque acclamatus, solus imperauit, patrisque beneficia confirmauit, *vt constat ex diplomatibus.*

IOANNIS ZEMISCIS IMPERATORIS Orientis Gesta, & Obitus.

Tributum, quod Capnicum dicebatur, hoc est fumarium, idem vt puto, quod alicubi adhuc penditur, vocaturque foculare, populo remisit, Anno Christi nongentesimo septuagesimo primo, Principatus secundo; filiosque Romani Imperatoris, in consortes Imperij assumpsit. Quadriennio vero post, Syriaca expeditione occupatus, iamque victor reuersus, veneno propinato, Constantinopoli extinctus fuit, *vt docet Curopalates, & alij.*

NICEPHORI IMPERATORIS ORIENTIS Gesta, & Obitus.

Romano extincto Imperium suscepit, Anno Christi nongentésimo sexagesimo tertio; dein Theophanonem Augustam connubio sibi iunxit; Vnde turbæ multæ, quod secundas nuptias, nulla prius, vt moris erat, expiatione instituta, iniisset. Anno vero sequenti celebres victorias pluribus captis vrbibus in Oriente retulit. Eapropter sanctionem edidit, qua voluit vt milites in bello cæsi, pari cum Martyribus honore colerentur. Polyectus tamen Patriarcha, cæterique Principes Senatus fortiter illi, lege ea abrogata, restitere; breuique post in tantum ob grauia imposita vectigalia, odium incurrit, vt inuisus omnibus è viuis sublatus fuerit. *Curopalates, Cedrenus, Zonaros, & alij.*

ICON

NICEPHORI IMPERATORIS ORIENTIS.

Nicephorus Phocas, Bardæ viri clarissimi filius, militum studio acclamatus, in Silicienses Sarracenos, tributum, ex veteri pacto, postulantes. tantum Imperij sui probrum, haud ferendum ratus, instructissimam, Manuelis Patricij ductu, classem immisit; honesto tamen magis consilio, quam fœlici, classe deleta penitus, & Duce cum exercitu Cæso. Ipse vero militari laude percelebris, palmas Imperator restaurauit, quas priuatus posuerat, toto notissimus Oriente, Cilicia, Cypro, & Syria Imperio adjunctis, magnaque Asiæ parte, lætus auspiciis, potitus; immo Antiochena vrbe clarissima, quam quidem inuitus expugnauit, monitus olim, ea vrbe capta, sibi periturum. Verum non ab vrbe, sed ab auaritiæ sordibus, mortem offendit. Cum enim tam odiosus domi, quàm foris clarus, militarem gloriam ciuium expilationibus deturparet; granique annona populum opprimeret, in insidias procerum dilapsus, Bisantij suo in cubiculo, à conjuratoribus interfectus fuit. Nec mirum; nimia siquidem habendi cupiditas, clarissimo orbis totius exemplo, illustrioribus Principum familiis, exitio semper fuit.

ZEMISCÆ IMPERATORIS ORIENTIS Gesta.

Nicephoro Phoca defuncto, Anno Christi nongentesimo sexagesimo nono, templum ingressurus, vt augustali corona donaretur, à Patriarcha Polyeucto inhibitus fuit, Nicephori cæde maculatus; cum autem Augustæ iussu, id egisse assereret; non prius tamen diademate insignitus fuit, quam purgato parricidio, facultates omnes, quas priuatus possederat, in pauperes erogasset. Tum petitam, ab Othone occidentis Imperatore, Theophaniam, Nicephori priuignam, quam Latini Annam dixere, confestim ad eum, cum insigni apparatu, misit, vt Othoni filio suo, ex amplissimo genere, in amplissimam familiam nuberet. *Curopalates, Vitichindus, & alij.*

OTHONIS IMPERATORIS OCCIDENTIS Gesta.

Romam, nullo facto obice, se contulit, Anno Christi nongentesimo sexagesimo secundo, vbi summo ciuium omnium applausu exceptus, Imperatoriis insignibus à Ioanne Pontifice exornatus fuit, Augustusque salutatus, Pipini, Caroli, ac Ludouici donationes ratas habuit, ingentibusque gemmarum atque auri muneribus, Pontificem, regia sua magnificentia, cohonestauit. Tum ad eum in Germaniam reuersum, concursus totius orbis terrarum factus. E Francia siquidem Francus Rex, cum fratre Carolo, matreque Gerberga, Magister equitum cum matre Auida, vtraque Cæsaris sorore, affuere. Duces item nobilissimi genere, factisque, comitabantur. Totius latini nominis proceres, ac summi Græcorum viri, antiquitatis decore, maiorumque gloria, atque indole clari, præsto erant. Festi, celebresque dies ludis, conuiuiis, omnique apparatu hilaritatis, comitateque acti, *vt refert Luitprandus, Frodoardus, & alij.*

Anno autem nongentesimo sexagesimo sexto, Nicephori Phocæ quarto, Romam repetens grauiter in turbarum auctores animaduertit, pulsis Italia consulibus, & Tribunis suspen-

dio enecatis. Præfectus vero vtre redimitus, ac seruiliter cæsus, perpetuo carceri addictus fuit. Cuius seueritatis exemplo, non vrbs tantum, sed vniuersa Italia pacata fuit, *Reginone teste.* Guillielmo autem filio suo magnam Lotharingiæ partem, Burchardo Landgrauio ab Hungaris cæso, concessit eodem anno. Hermannum autem, & Geronem, qui fines Imperij, eo absente, egregie tutati fuerant, Duces constituit; illum quidem Luneburgensem; hunc vero Brandenburgensem, easque regiones, hæreditario iure, ipsis donauit. *Fabr.* Anno denique nongentesimo septuagesimo, in Gallias, cum Othone filio, profectus est, vt res inter cognatos Duces, Regesque componeret, eosque cum filio, fœdere iungeret. *Ita Vitichindus.*

LOTHARII FRANCORVM REGIS Gesta.

Richardum Ducem, Suessione, in Comitiis publicis, pari, quam ille nuper parentem, pœna affecisset, nisi ipse tacite fraudem subodoratus, à congressu abstinuisset. Interiectis vero aliquot annis, occupata Flandria, Atrebatum, Teorannam, aliaque Morinorum oppida, ditioni suæ adiecit, vt asserunt *Franciæ scriptores.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Otho secundus, Othonis Imperatoris occidentis ex Adelaide vxore filius, Italiæ Rex, Comitiis Vomortiæ habitis, renuntiatus fuit, Anno Christi nongentesimo sexagesimo primo. Anno vero nongentesimo sexagesimo septimo, Othonis sexto, Nicephori Phocæ quinto, Augusti nomine insignitus fuit, *vt docent antiqua numismata, Lambertus, & alij.*

Arnulphus senior, Balduino, Flandriæ Comite defuncto, & Arnulpho nepote nondum maturo Imperio, curam iterum regiminis suscepit, Anno Christi nongentesimo sexagesimo primo, Romani Imperatoris primo. Quadriennio tamen post, sentiens se, & grauibus annis, & laboribus exhaustum, habito

Gandaui Conuentu, eò Flandriæ proceres perpulit, vt Arnulphum, iuniorem Balduini filium, Comitem dici permitterent, eumque Principem suum, obstricta fide, agnoscerent, priusquam ipse mortem oppeteret, nihil interim quandiu vita suppeteret, ab se defuturum nepoti. Eoque negotio, ex animi sententia, confecto; Flandriæ, & nepotis rebus, quandiu potuit, consuluit. *Frodoardus, Iacobus Mierius, & Marchandus in Arnulpho.*

Carolus Ludouici filius, & Lotharij Francorum Regis frater, Lotharingiæ, ac Brabantiæ Comes creatus fuit, Anno Christi nongentesimo sexagesimo tertio, Othonis secundo, Nicephori Phocæ primo; *vt habet Sethus Caluisius.*

Miecziflaus, peracto Gnesnæ solemni ceremonia Ziemomisti Patris funere, Poloniæ Rex salutatus, anno sequenti, vxores septem, more barbarico, duxit. Sacris tamen, breui post, Christianæ religionis mysteriis eruditus, dimissis illis, Bambroucam Christianam, Boleslai primi Boëmorum Ducis filiam virginem, nouo sibi matrimonio iunxit. Dein baptismo Christianorum ritu initiatus, Boëmos qui regiam nuptã Gnesnum magno Comitatu deduxerant, honorifice habitos, ac splendide donatos, remisit; totumque se ad propagandam, per omnem Principatum, Christi fidem, annitente, & adiuuante vxore, conuertit. *Ita Historia Polonica.*

Conradus, Balderici filius, Comes in Vormatiæ Comitiis, ob res præclare in Italia gestas, constitutus fuit, *vt docet Isacius Pontanus.* Boleslaus autem secundus, Boleslao patre Boëmiæ Rege sublato, Imperio potitus est. *Cosma.*

Sanctius cognomento Garsias, Garsia Vasconum Rege, & parente demortuo, rerum administrationem omnium suffragiis assumpsit eodem Christi, anno scil. nongentesimo sexagesimo sexto, & cum eo Ramirus frater, exæquatane duorum potestate, an diuisa, incertum est; *vt legimus in Historia Hispanica.*

Sanctio Crasso Legionensi Rege in Hispania extincto, Ramirus, eo nomine tertius, quinquennis adhuc, Regnum obtinuit anno proximo. Verum propter teneram eius ætatem, rerum procuratio fuit penes matrem Reginam cognomento Therasim, & Eluiram, (Geloitam alij scribunt) amitam, lectissimas fœminas, & prudentia singulari illustres; tametsi

sexus, & ætatis despectu, magni motus excitati fuerint. Fœdus nihilominus, cum Cordubensi Rege initum, confirmatum fuit.

Garsias Ferdinandus, in quo eximia indoles, & magnarum virtutum semina, successit, Anno Christi nongentesimo sexagesimo octauo, Ferdinando Castellæ Comiti, viro clarissimo, & rerum gestarum gloria celeberrimo.

Duffus Malcolmi filius marmoreæ Cathedræ Sconæ impositus, Rex à Scotorum Proceribus acclamatus fuit sub idem tempus. Hic rationes suas, ita ad iustitiæ normam exegit, vt omnes officij sui limites transilientes, nulla personarum habita ratione, acerrime castigarit. Cæterum, Insularum præpositis omnibus seuere mandauit, vt omnium eorum qui domi nullo labore impliciti torperent, sentinas exhaurirent, vel pœna grauissima afficerentur. *Buchananus, Leslæus, & alij.*

Pandulphus, Campaniæ ducatu ab Othone Imperatore auctus fuit, Anno Christi nongentesimo septuagesimo; *vt testatur Vitichindus*, Guillielmi vero Aquitaniæ Ducis, & Pictauiensis Comitis locum impleuit Guillielmus eius filius.

VIRI ERVDITI.

Vitichindus vir singulari eruditione præstans res gestas Henrici primi, & Othonis primi Imperatorum erudite composuit; Historiam insuper de Origine, & rebus Saxonum tribus libris accurate complexus est, multaque alia edidit præclara ingenij sui monumenta. *Gesner.*

Lamfridus Anglus agnotu pretio fuit ob eximiam rerum cognitionem, qua insigniter excultus fuerat, vt inter viros peritissimos, percelebris. Etheluoldus in Occidentalibus Angliæ partibus natus, vir multiplici doctrina illustris, floruit hoc tempore, scripsitque de Regibus, Regnis, & Episcopatibus totius Angliæ librum vnum, alterum vero de tempore Regum Britannorum. *Pitseus.*



OPERA PVBLICA.

Papia, vrbs celeberrima, à Berengario diruta, restituta fuit ab Othone Imperatore, Anno Christi nongentesimo sexagesimo secundo, Romani secundo. *Historia Germanica.* Gotha autem ciuitas amplissima à Metagoldo. Abbate Hirofeldensi condita, Anno Christi nongentesimo sexagesimo quinto, Othonis quarto, Nicephori Phocæ tertio. *Fal.*

Thedaldus vero, Athonis Comitis viri clarissimi filius, & Sigeberti Marchionis Atestini frater, Ferraria vrbe, à Ioanne Pontifice donatus, ingentem, stupendamque arcem, illius nomine nuncupatam, posteris omnibus monumentum erexit, Anno Christi nongentesimo septuagesimo, Othonis nono, Ioannis Zemiscis primo. *Sigonius.*

PRODIGIA.

Duo soles in cœlo visi, marisque aquæ, exuto natiuo illo, atque ingenito salis sapore, eximiam per biduum, mense Iulio, induerunt, omnibus stupentibus, suauitatem, Anno Christi nongentesimo sexagesimo septimo, Othonis sexto, Nicephori Phocæ quinto. *Ita Auctor citatus.*

CALAMITATES.

Funesta quædam lues ad Liguriam vsque, longe, lateque grassata est, Anno Christi nongentesimo sexagesimo quarto, Othonis tertio, Nicephori Phocæ secundo. Anno vero nongentesimo sexagesimo octauo, Othonis septimo, Nicephori Phocæ sexto, summa frugum omnium inopia laboratum, *vt docet Luitprandus, & Cedrenus.* Biennio autem post, maligno quodam stellarum concursu, flammarum ingens vis, ex Oceano derepente exorta, finitimosque in agros immo Zamoram, Tarraconensis Hispaniæ vrbem perlata, oppida multa fœdissimo incendio deformauit. *Mariana de rebus Hispanicis.*

RES BELLICÆ.

Nicephorus Phocas Orientis Imperator mouit in Sarracenos, Anno Christi nongentesimo sexagesimo primo, Romani Imperatoris primo, Cretamque Insulam, iam abhinc annis quadraginta occupatam, fœlicibus belli auspiciis recuperauit, *vt testatur Curopalates.*

Otho Imperator, ad Insulam Iulij, in lacu vrbano, euocatum è statiuis exercitum, protinus adduxit; ibique Villam, Berengarij coniugem circumsedit; nec magni negotij hæc expugnatio fuit. Oppidum enim, duobus tantum obsessum mensibus, in deditionem accepit, Anno Christi nongentesimo sexagesimo secundo, Principatus primo, Romani secuncundo; mulieremque ad virum suum remisit. Anno autem sequenti, conflatis ex Germanis, & Italis copiis, Papiæ naues conscendit, secundoque Pado, Rauennam se contulit, quam facile in potestatem reduxit. Inde in Ducatum Spoletanum, ad Feretrummontem, quem præsidiis operibusque munitum, Berengarius, eiusque vxor Villa tenebant, perrexit; eoque breui circumuallato, milites ad proxima Vmbriæ loca occupanda immisit; tum montem Feretrum vehementi obsidione, atque oppugnatione fatigauit. *Ita Historia Germanica.* Græci infœliciter pugnarunt contra Sarracenos eodem anno.

Buchardus Dux in Italiam missus, summo prælio cum Aldeberto, Berengarij filio ad Padum decertauit, Anno Christi nongentesimo sexagesimo quinto, Othonis quarto, Nicephori Phocæ tertio; in fugamque coniectus Aldebertus, Vidome fratre suo cæso, ægre euasit. *Sigonio teste.*

Maurorum sub idem tempus validæ copiæ, Legionem obsederunt. Militum tamen, qui erant in præsidio, & ciuium virtute, repulsi fuere Mauri, non leui accepta clade. *Mariana.* Dani Scotiam, quinquaginta nauium classe fœde depopulantes anno sequenti, obtriti penitus fuere ab Indulpho Rege; *vt habet Buchananus, & alij.*

Lotharius Galliæ Rex in Flandriam properauit, primoque incursu, Hanæ captæ, dein Atrabatum, priusquam Arnulphus iunior exercitum conscripsisset; mox Duaco copias admouit,

imperauitque per Fecialem incolis, vt se dederent; æquumque se fore, & leni eos imperio habiturum, spopondit; alioquin multa in illos vis grassaturum. Quare cum id prorsus renuissent, dispositis, aptissimo in loco, machinis, ita vrbem totam quassauit, vt paucis post diebus, æquis se legibus dederint. Exinde tractus per reliqua Gallo-Flandriæ loca, exercitus, quæcumque cis flumen Lisam iacebant, vno impetu correpta fuere. *Iacobus Meierius.*


Alacha Abderamini filius, Cordubæ Rex in Hispania, etsi pacis, quam belli cupidior esset, Castellæ tamen fines, numeroso coacto exercitu, inuasit. Sepalueda, Septimancæ, & Donniæ expugnatæ fuere, Anno Christi nongentesimo sexagesimo septimo, Othonis sexto, Nicephori Phocæ quinto; rerumque successu faciente animos, fœdere contempto, Legionenses aggressus est, Zamoraque, in eo tractu, vi capta, soloque æquata. *Historia Hispanica.*

Otho occidentis Imperator, Adelbertum Berengarij filium, & Italiæ Regem, iusta acie deuicit; Sarracenosque è Calabria, atque Apuleia expulit; ipsos insuper Beneuentanos sibi subjecit, Anno Christi nongentesimo sexagesimo octauo, Othonis septimo, Nicephori Phocæ sexto, *vt docet Sigebertus, & alij.*

Normanni, qui in parte Galliæ consederant, vbi olim Neustriæ nomen, nunc Normanniæ, comparata, instructaque numerosa classe, in Gallæciæ oram excursionem fecere, eodem Christi anno, vicosque atque oppida incendere; multi vero mortales, cum alia præda capti, tantaque calamitas biennium tenuit. Rex siquidem, ob teneram ætatem impar erat. Haud tamen multo post Christiani vicinarum ciuitatum, Duce Gundesaluo Sancio, Castellæ Comite, præuio S. Iacobo Apostolo, cuius ciuitatem euastarant, eos præda graues, & impedito agmine procedentes, ad mare, improuiso adorti, ingenti cęde prostrarunt. In ea pugna Gunderedus eorum Dux cecidit; pręda, & captiui erepti; naues ad vnam captæ, incensæque; *vt referunt omnes, & veteres, & recentiores scriptores, præsertim Moralis lib.16. cap.32.*

Russi sub idem tempus, arma in Bulgaros sumpserunt, multasque vrbes, atque oppida euerterunt. Anno Christi nongentesimo septuagesimo, Othonis nono, Ioannis Zemiscis

Hatto, ſupremi numinis iras expertus, quod egenos in horreo incluſos, flammis conſumpſiſſet, à muribus enim cateruatim in eum irruentibus, & quos ne aquis quidem arcere potuerat, altiſſima in medio Rheni conſtructa turre, ad quam confugerat, corroſus fuit, eodem Chriſti anno nongenteſimo ſexageſimo octauo. Immo ipſius nomen parietibus, atque chartis inſcriptum, abraſum, *vt habet Marianus Scotus, Marini Chronicon, & alij Hiſtorici.* Biennio poſt Guillielmus Aquitaniæ Dux, & Pictauienſis Comes clariſſimus, ſummæque famæ apud omnes principes, deceſſit; *vt habetur in Annalibus Aquitaniæ.*





DECAS OCTAVA.

OTHONIS IMPERATORIS OCCIDENTIS Gesta, & Obitus.



VPTIIS Othonis filij sui, cum Theophania Romani quondam Orientis Augusti filia, Nicephori vero priuigna, splendissimo apparatu Romæ celebratis, Papiam votorum suorum compos se recepit, vt Sarracenorum reliquias, è Fraxineto, deijceret. Id tamen, nuntiata Guillielmi filij, matrisque Mathildis, atque aliorum Principum acerba funera inhibuerunt; tantaque clade perculsus, Franciam, dein Germaniam petijt, vbi repentino correptus morbo, annis iam effœtus, è vita cessit, Anno Christi nongentesimo septuagesimo tertio, Principatus duodecimo, Ioannis Zemiscis quarto. *Vitichindus*, *Ditmarus*, *&* *alij*.

ICON

OTHONIS IMPERATORIS OCCIDENTIS.

O Otho, Henrici primi filius, Imperatoriis insignibus ornatus, Sclauos, Boëmosque perdomuit; Lotharingios attriuit; Ludouicum Francorum Regem Simplicis filium, impressione, in Alsaciam, facta, fudit fugauitque; Hungaros internecioni dedit, Berengarium debellatum, captumque, in Bauariam relegauit; Græcos Calabria, Apuleiáque expulit. Tum Italiæ Principibus noua molientibus, in Franciam partim, partim in Saxoniam amandatis, Romam profectus, in vrbis turbatores

grauiter animaduertit; Consules enim Italia eiecit, Tribunos plebis suspendio enecauit; Praefectum vero, qui tumultus in Pontificem auctor fuerat, insigni ignominia, Virgis caesum donauit, totamque Italiam variis iactatam motibus, pacauit (vi siquidem quadam tractanda, vt caeteris quies fiat.) Princeps belli, pacisque artibus clarissimus, omniumque Septentrionalium nationum domitor, ac rarum, in longo principatu, humanæ fœlicitatis exemplum, cum, eodem semper & virtutis, & gloriæ tenore, Imperium, Magni cognomen adeptus, administrarit. Plurima denique regia opera splendide erexit. Tandem omni cumulatus honoris laude, cœloque maturus, magno suorum luctu, viuere desijt.

OTHONIS IMPERATORIS OCCIDENTIS Gesta.

Othone seniore defuncto, Otho secundus eius filius, tribus exornatus coronis, argentea vna Aquisgrani, ab Archi-Episcopo Moguntino, vt Rex Germaniæ; altera ferrea Mediolani à Mediolanensi Archiepiscopo, vt Rex Italiæ; tertia aurea Romæ, à summo Pontifice, vt Imperator; neque enim ante Pontificis consecrationem, Augusti nomen assumpsit, sed Rex tantum Germaniæ, seu Italiæ, aut Romanorum, vel Imperator designatus appellabatur; à Principibus, populoque acclamatus, solus imperauit, patrisque beneficia confirmauit, *vt constat ex diplomatibus.*

IOANNIS ZEMISCIS IMPERATORIS Orientis Gesta, & Obitus.

Tributum, quod Capnicum dicebatur, hoc est fumarium, idem vt puto, quod alicubi adhuc penditur, vocaturque foculare, populo remisit, Anno Christi nongentesimo septuagesimo primo, Principatus secundo; filiosque Romani Imperatoris, in consortes Imperij assumpsit. Quadriennio vero post, Syriaca expeditione occupatus, iamque victor reuersus, veneno propinato, Constantinopoli extinctus fuit, *vt docet Curopalates, & alij.*

ICON

IOANNIS ZEMISCIS IMPERATORIS Orientis.

IOannes Zemisces, plurimarum palmarum vir, Imperator omnium suffragiis salutatus, Basilium, atque Constantinum fratres, Romanique iunioris quondam Cæsaris filios (raro ad posteros exemplo) collegas adhibuit; Augustam vero, atque alios, quorum opera Nicephorus occubuerat, exilio mulctauit. Plurima, eaque secunda suscepit bella. Saracenos enim ab Antiochia longe expulit; Rouolanos autem Bulgariam sibi vendicantes, fœliciter iuxta, ac fortiter oppressit, fusis, cæsisque trecentis hominum millibus, captoque eorum Rege. Princeps animi magnitudine percelebris, summaque in Christum, Virginemque matrem pietate illustris. Primus siquidem inter Orientales Augustos, Saluatoris effigiem aureis nummis expressit, hac inscriptione; IESVS CHRISTVS REX REGVM. *Placuit exemplum cæteris, Christique Regnum, in Reges assertum, cuius nutu ponuntur Imperia, & euertuntur. Tum Byzantium triumphantis more, ob prostratos Reipublicæ hostes, ingressurus, Virginis imaginem triumphali curru, Bulgaricis constrato, ornatoque spoliis, solemni pompa per vrbem, equis albis insecutus deuexit; vt huiusce victoriæ decus, auctoritatemque, in illius patrocinium transferret. Tanto tamen, tamque inclyto Imperatori, immodica exitio fuit lingua. Basilij siquidem semiuiri, cubicularij sui, arte, in quem intemperantius inuectus fuerat, tot victorum victor, victus cecidit. O quam acres ad vindictam, immo funestos habet lingua aculeos!*

BASILII, ET CONSTANTINI IMPERATORIS Orientis, Gesta.

Iustis Ioanni Zemisci persolutis, omnium ordinum votis Augusti renuntiati matrem è solio deturbatam, ad pristinum honorem reuocarunt. Anno vero sequenti, Christi nimirum nongentesimo septuagesimo secundo, Leonem domesticum Comitem, & Nicolaum Protospatarium, Calabriæ præsides constituere. *Ita Curopalates.*

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Leo, Phocæ filius noua contra Zemiscem, Orientis Imperatorem molitus est in Asia, Anno Christi nongentesimo septuagesimo primo, Othonis decimo, Ioannis Zemiscis secundo. Bardus vero cognomento σκληρὸς, id est fortis, insignem de Rossis retulit victoriam, sub idem tempus, in bello Scytico, Barbaroque cruore, adhuc madens in Bardam Phocam Imperij hostem, Zemiscis Augusti iussu inuolauit, eumque penitus deleuit. *Curopalates, & alij.* Anno autem nongentesimo septuagesimo sexto, Othonis secundi tertio, Basilij, & Constantini primo, militum suorum consilio, vaticinioque cuiusdam Monachi fretus Imperatoris nomen assumpsit, magnaque Orientem affecit calamitate. *Auctores citati.*

Duffus Scotiæ Rex, virtutibus omnibus illustris, veneficarum arte, occulto morbo (cuius naturæ ortus, ac progressus medicorum omnium notiones fugiebant) adeo grauiter laborauit, vt paulatim extabesceret, noctuque totus in sudorem solueretur. Re tamen, Donculdi arcis Forrensis Præfecti studio, comperta, sagisque veneficium in Regem exercentibus deprehensis, comminutaque cerea effigie, quæ ad ignem torrebatur, ad antiquam restitutus est valetudinem; collectisque derepente copiis, in Morauos, tanti sceleris auctores fœliciter mouit. *Hector Boëtius, Leslæus, & alij.*

Cudenus Indulphi quondam Regis filius, Scotici Imperij insignibus decoratus, Anno Christi nongentesimo septuagesimo secundo, Duffi Regis piissimi, necis conscios securi percussit. Quam ob rem summam apud omnes Principes expectationem sustinuit, ingentemque famam sibi in aula peperit. Ex qua tamen haud multo post excidit; cum adolescentum quorundam nobilium fluentes mores, laxasque veneres, nulla disciplina, vel lege coërcuerit; quin immo habenas illis, libidinem, inflammato studio, consectantibus, facile remiserit, identidem dictitans, Indulphum, Duffumque duriter nimis imperasse. Hinc factum, vt sapientes multi, prudentesque

viri ab aula se subſtraxerint. Nec deſtitit ille cum viliſſimis quibuſque mancipiis dies, noctesque potare, helluari, ac libidinis furiis ita incendi, vt nulla fuerit matrona, vel virgo, cuius pudicitiam, prece, aut pretio, aut vi non expugnarit; vſque eo, vt ne à ſororibus ipſis, immo filiabus ſuis, & caſtitatis voto obſtrictis temperauerit; vireſque denique ſuas, ita vino, ac venere, exhauſerit, vt fœdiſſimo corruptus morbo, proceres omnes, ad Comitia Sconæ cogenda, de nouo eligendo Rege, coëgerit. *Auctores citati.*

Henricus Bauarus, Othonis ſecundi, occidentis Auguſti patruelis, de Imperio cum eo contendit, Anno Chriſti nongenteſimo ſeptuageſimo tertio, Ioannis Zemiſcis quarto. Eius partes tuebantur Epiſcopi Auguſtanus, Moguntinus, & Magdeburgenſis. Ex politicis vero, Rex Daniæ, Boleſlaus Rex Poloniæ; & alij nonnulli Principes. Verum Comitiis habitis, Otho, omnium Calculis, atque ſuffragiis, renuntiatus fuit, quibus Henricus acquieuit. *Fab.*

Petrus Vrſeolus, vir Chriſtianæ Religionis cultor eximius, in locum Petri Candiani Venetorum Ducis demortui, ſubrogatus fuit, Anno Chriſti nongenteſimo ſeptuageſimo quarto, Othonis ſecundi ſecundo, Ioannis Zemiſcis quarto, ſupremo tamen hocce magiſtratu, piæ, tranquillæque vitæ auidus, biennio poſt ſe abdicans, ad Camaldulenſes Monachos ſeceſſit. *Philippus Bergomenſis, & alij.*

Eduardus ſecundus, Edgari Angliæ Regis celeberrimi filius, paternarum virtutum æmulus inſignis, morum ſanctitate præſtans, ac ſingulari in Deum pietate illuſtris, Anglicarum rerum curam ſuſcepit, Anno Chriſti nongenteſimo ſeptuageſimo quinto, non diuturnam tamen. Hæc autem inauguratio Alfredæ nouercæ animum ita perculit, vt illius necem, Ethelredum filium ſuum ad Imperium euehendum exardeſcens, machinata fuerit, nec multo poſt voti compos facta. Sed parta ſcelere poteſtas ſeruitus fuit, Canuti Daniæ Regis aſſiduis depopulationibus afflicta grauiter Anglia. *Ita Matthæus Veſtmonaſterienſis.*

Hiſſemus, Alhaca patre Cordubæ Rege in Hiſpania de-

mortuo, purpura indutus, Anno Christi nongentesimo septuagesimo sexto, solo tantum nomine rexit; cum rerum omnium potestas, penes Mahumedem virum industrium, & prudentia clarum, esset. Hic ipso Imperij exordio Alhagibus cognominatus fuit, hoc est Prorex; dein Almansor, seu Victor, quod sæpe Victorias de hostibus Reipublicæ retulisset. Vnde intestini motus varij enati sunt, Rege in ignauia, otio, & voluptatibus desidente. Hubertimis enim Hispaniæ agris, mitissimo cœlo, & clementibus accolarum ingeniis, multum de antiqua ferocia mutatum erat; animique vigor laxatus; de viribus vero corporis, non parum detractum; nec prius dissidia extincta, quam Hissemus, paterno Regno, exutus fuit. *Historia Hispanica.*

Carolus, Lotharij Francorum Regis frater, perfracti animi vir, & vltra sortem se efferentis; accepto nuntio, quod Lotharius Ludouicum filium suum in Regni consortem adsciuisset, quasi proiecta Francici sceptri spe, ab Othone secundo Imperatore Occidentis in Germaniam euocatus, & Lotharingiæ Dux constitutus, à fratre, Francisque omnibus, animum alienum gessit; diuersis illis gentibus quibus nihil antea fuerat coniunctius. Dixisses id Carolum de industria egisse, vt periret, mentemque homini ademisse, superam illam mentem, *vt refert Aimoinus, Lambertus, & alij.*

Vitalis Candianus, Vrseolo Venetorum Duci successit, eodem Christi anno nongentesimo septuagesimo sexto. Hic Petri Candiani Ducis germanus fuit, in tantumque langorem, atque soporem primo Regni sui anno prolapsus est, vt breui post fato absumptus fuerit, in eiusque locum Tribunus Mennius subrogatus anno sequenti. *Philippus Bergomensis.*

Kennethus Malcolmi filius Culeno Scotiæ Rege interempto, sceptrum omnium ordinum suffragiis assumpsit, Anno Christi nongentesimo septuagesimo octauo, magnaque cura incubuit vt Syluescentem populum, ac fœdis sceleribus, Culeni iniuria, maculatum, eo officij vnde egressus fuerat, redigeret. Ea propter, castum, abstemium, liberalem, omnique virtute conspicuum se præbuit; scurrasque, adulatores, & Parasitos in aula versare solitos, regibus prohibuit ædibus. Tum post multam operam frustra consumptam, Concilium Sconæ,

nobilibus omnibus indixit, anno vertente, vbi cum Principes marmoreæ pro solemni more insedentem Cathedræ, prima luce in prætorio salutarunt, quos, subito Kennethus armatis septos militibus, mira orationis suauitate, rationumque firmissimis momentis conuincere cœpit, illorum nobilitati, Reipublicæ vtilitati, rationique conducere, vt famosorum criminum rei, ad supplicium, ipsis assentientibus traherentur; ad cuius sententiam omnes vel timore coacti, vel rationibus impulsi, abiere. Dein Rex soluto conuentu iussit vt nobiles omnes Berthæ apud se hærerent, donec quingenti non obscuri nominis viri, vinculis constricti, vique ad Bertham pertracti, graues mortis pœnas, seras licet, omnibus spectantibus, subiissent. *Hector Boëtius, Buchananus, Leslæus, & alij.*

Suen, Heraldi patris Danorum Regis in acie cæsi, Imperium arripuit, Anno Christi nongentesimo octogesimo. Verum haud diu lætus, partum, cæde paterna, regimen tenuit. A Sclauis siquidem bis victus, atque captus; bisque auro à suis redemptus; ab Henrico tandem Suecorum Rege regno exutus, exul apud Scotiam, aliasque regiones, annos quatuordecim vixit, *vt docet Adam Bremensis.*

VIRI ERVDITI.

Etheluoldus in occidentalibus Angliæ partibus natus, doctrina percelebris scripsit librum vnum de Abbatibus Lundisfarnensibus; de Regibus, Regnis, & Episcopatibus totius Angliæ; alium de tempore Regum Britannorum; alterum denique de planetis, & multi climatibus.

S. Dustanus claris in Anglia parentibus ortus, multa erudite composuit, ac præcipuè de occulta Philosophia.

Adde Alfredum S. Benedicti Monachum, qui hoc tempore claruit, librumque de rerum naturis in lucem dedit; alium vero de rebus sui cœnobij, & de S. Adelmo. *Ita Guillielmus Malmesburgensis.*

Regnorum

REGNORVM OCCASVS.

Berisc Rege à Ioanne Zemisce Orientis Augusto fœliciter deuicto, captoque, Bulgarorum Regnum pene concidit, Anno Christi nongentesimo septuagesimo primo, Othonis decimo, Zemiscis secundo. *Curopalates.*

OPERA PVBLICA.

Otho occidentis Imperator ciuitatem Parthenopolim, quæ Germaniæ Magdeburgum nuncupatur, splendide ad Albis ripam in Saxonia, condidit, Prouinciæque Sclauoniæ metropolim cónstituit, Anno Christi nongentesimo septuagesimo primo; *vt docet Adam Bremensis, Albertus Crantzius, & alij.*

Vrbs in Ægypto nomine Cayrus, Memphim, & Alexandriam splendore, atque amplitudine obrutura, ædificata fuit eodem anno, ab Alcaino Sarracenorum Principe. *Guillielmo Tyrio teste.* Quadriennio post Petrus Vrseolus Venetias muro firmissimo cinxit. *Philippus Bergomensis.*

PRODIGIA.

Sol continuis sex mensibus nec interdiu suis radiis, nec Luna noctu, Scoticas oras suo lumine perlustrauit, Anno Christi nongentesimo septuagesimo secundo, immo omnia perpetuis nubibus obducta, crebrisque tempestatibus concitata, Scotis vel horrendam mortem, vel calamitosam vitam intentarunt, *vt vult Hector Boëtius, & Buchananus.* Fertur etiam equos, insigni forma, atque pernicitate, carnes in Laudania edisse, ab omnique alio alimento omnino abstinuisse.

Anno autem Christi nongentesimo septuagesimo sexto, Cometa per menses sex refulsit, dira que secuta fames. *Cedrenus.* Anno denique Christi nongentesimo septuagesimo nono, Othonis secundi sexto, Basilij, & Constantini quarto, nubes nunc sanguinea, nunc ignea per totam Angliam visa fuit. *Matthæus Vestmonasteriensis.* Flagrantes insuper spectatæ

acies in cœlo, mutuis vulneribus se conficientes. *Auctor citatus*, *&* *Sigebertus*.

CALAMITATES.

Vniuersa Anglia, fœdissimo terræ motu, quassata fuit, Anno Christi nongentesimo septuagesimo quarto, Othonis secundi primo, Zemiscis quinto, ingentique hominum, domorumque strage afflicta. *Matthæus Vestmonasteriensis*, *&* *alij*.

RES BELLICÆ.

Zemisces Orientis Imperator, numerosum in Bulgariam duxit exercitum, victisque variis præliis fœliciter hostibus, & Bulgaria eiectis, eam suo adiecit Imperio, Anno Christi nongentesimo septuagesimo primo, Othonis decimo, Zemiscis secundo, *vt docet Curopalates*, *Cedrenus*, *&* *alij*. Fraxinetum item Castrum, Guillielmi Ducis Arelatensis opera, receptum fuit eodem anno.

Otho secundus Occidentis Imperator, signa in Daniam tulit, Anno Christi nongentesimo septuagesimo quarto, Othonis secundi primo, Zemiscis quinto, contra Haraldum Danorum Regem, qui Henrico Bauaro adhæserat, Saxoniam vastarat, variasque vrbes occuparat. *Fab.*

Boëmus Dux bello petitus, victusque anno sequenti, Ducatu priuatur, & imperata recipit, *vt scribit Auctor citatus.* Henricus Bauarus Othonis Augusti patruelis, bellum in illum parat, Anno Christi nongentesimo septuagesimo sexto, Othonis tertio, Basilij, & Constantini primo. Verum Otho collectis copiis, in Bauariam inuolat, vrbemque Passauiam in Danubij ripa, sitam, antequam eam Bauarus muniisset, obsedit.

Bardus Dux, à Basilio, & Constantino Orientis Imperatoribus desciscens, Nicænam vrbem cum præsidio cepit, anno proximo, Bardamque Phocam clarissimum Ducem prælio deuicit; victor tamen, à victo, non multo post reparato exercitu, victus fuit, totaque Italia expulsus; tum ad Sarracenos

profugus Romanas ditiones, quadriennio fere integro cædibus, atque incendiis deformauit. *Ita Cedrenus.*

Lotharius Francorum Rex Lotharingiam ingressus, eam crebris excursionibus grauiter afflixit. Othonem secundum Occidentis Imperatorem Aquisgrani commorantem pene oppressit; vrbem occupauit, Prandium Augusto paratum absumpsit; prædas egit, vicinasque regiones diripuit, Anno Christi nongentesimo septuagesimo octauo, Othonis secundi quinto, Basilij, & Constantini tertio. Hanc ignominiam vt deleret Cæsar, delectu militum habito, Rhemorum, Lugdunensium, immo & Parisiorum agros vicissim ferro, ac sanguine funestauit; aduersa in reditu fortuna. Lothario enim Rege insequente, ac nouissimum agmen Carpente, dum Axonam fluuium, imbribus forte auctum temere traijceret, partem impedimentorum amisit, multique Germanorum aquis hausti, sepultique fuere. Anno vero nongentesimo octogesimo ad Charum fluuium Rex, & Cæsar ab armis dicessere. *Glaber.*

Basilius, & Constantinus Orientis Imperatores, Syriam depopulati, Cretam Insulam, Sarracenis depulsis, recepere. His autem successibus elati; Othone bellis Gallicis, occupato, res in Italia nupere amissas, Othonis affinitatem, cui soror nupserat, nihil veriti, armis repetere constituunt. Sarracenis itaque magna mercede conductis, Italiam inuaserunt, Barioque expugnato, ciuibus partim cæsis, partim Byzantium transmissis, ne qua postea defectio sequeretur, & Matera excisa, Aquileia tota, & Calabria potiti sunt, *vt vult Coccius Sabellicus, & alij.* Suthamtonia item à Piratis fœde euastata fuit sub idem tempus, & Teneth Insula, Legionumque vrbs in Britannia. *Matthæo Vestmonasteriensi teste.*

REI INSIGNES.

Non pauci proceres, qui funesta in Zemiscis Orientis Augusti caput machinati fuerant exilio damnati sunt, Anno Christi nongentesimo septuagesimo primo, Othonis decimo, Zemiscis secundo. *Cedrenus.*

Veneficæ duæ, Magicam artem, in Duffi Scotiæ Regis

perniciem, exercentes, deprehensæ, grauibus suppliciis, cum consciis omnibus huiusce criminis, periere anno sequenti. Harum vna imaginem ex cera effictam, ligneoque veru affixam, ad ignem torrebat, vt Rex eo tempore totus in sudorem solueretur; altera carmina submurmurans, liquore quodam, eandem imaginem, sensim instillato, perfundebat, vt perpetua Princeps teneretur vigilia, & ad liquescentem ceram, macie contabesceret, consumptaque demum cera mors sequeretur. *Hector Boëtius, & alij omnes scriptores de rebus Scoticis.*

OBITVS ILLVSTRES.

Eadmundus, Edgari Angliæ Regis filius; Ælfegus Dux Suthamtoniæ, & Ordgarus Dux Deuoniæ, ac Regis socer, fatis concessere, Anno Christi nongentesimo septuagesimo primo; *vt refert Matthæus Vestmonasteriensis.*

Duffus Scotiæ Rex, pietate, iustitia, aliisque virtutibus summe illustris, interfectus fuit, in arce Forrenci, opera Donevaldi præfecti, anno sequenti. Hermannus vero Dux Lunæburgensis, & Othoni Augusto percarus desijt viuere, Anno Christi nongentesimo septuagesimo tertio, Othonis duodecimo, Zemiscis quarto.

Petrus Candianus Venetorum Dux, in odium populi ob Tyrannidem dilapsus, variis confossus vulneribus cecidit, vna cum filio; eorum corpora in Macellum tracta, canibus, projecta fuere. *Coccius, Philippus Bergomensis, & alij.*

Edgardus Angliæ Dux, laborum ad stuporem patiens, delictorum inquisitor, ac punitor acerrimus, Christianæque religionis cultor insignis interijt, Anno Christi nongentesimo septuagesimo quinto, Othonis secundi secundo, Ioannis Zemiscis sexto, ætatis vero suæ trigesimo septimo. *Polydorus.* Proximo vero anno Alhaca Cordubæ Rex in Hispania. *Mariana.* Culenus autem Indulphi quondam Regis filius, Scotiæ Rex, à Cathardo Principe cuius filiæ vim intulerat, è viuis sublatus fuit, Anno Christi nongentesimo septuagesimo septimo, Othonis secundi quarto, Basilij & Constantini secundo.

Vitalis Candianus Venetorum Dux, & Petri Candiani

germanus, lethali correptus morbo decessit, Anno Christi nongentesimo octogesimo. *Philippo Bergomense teste.* Haraldus Danorum Rex, bello à suen filio suo petitus, occubuit eodem anno. Eduardus insuper secundus Edgari filius paternarumque virtutum hæres, Alfredæ nouercæ artibus, extinctus fuit, *vt scribit Polydorus.*





DECAS NONA.

OTHONIS PRIMI IMPERATORIS Gesta, & Obitus.

PACEM cum Carolo Lotharingiæ Principe firmauit, Anno Christi nongentesimo octogesimo primo, Principatus sui octauo, Basilij, & Constantini sexto; adiectis ad illius ditionem aliquot Ciuitatibus, quas num etiam retinet Lotharingus; & exin Lotharingia, non Regnum, sed magni nominis Ducatus esse cepit; addita quoque fuere cum supremo Principatu, noua Principis insignia, *vt habet Chronicon Lotharingiæ.*

Romam profectus anno sequenti, Italicisque proceribus, ad conuiuium, inuitatis, de seditiosis supplicium, cæteris inspectantibus sumpsit; insigni ad memoriam posteritatis exemplo, quod ei sanguinarij cognomen indidit. Tum habito militum delectu, aduersus Græcos, Sarracenorum auxilio, Calabriam, Apuleiamque repetentes, haud sane fortiter, fœliciterque præliatus est, ægreque elapsus. Dirupto postea, incensoque Beneuento oppido; Veronæ comitia habens, de eligendo filio suo Othone tertio, egit; Romamque reuersus, regiam gazam, in extremis versans, quadripartito in Ecclesias, pauperes, milites, aulicosque, atque Mathildem sororem, diuidendam legauit, mox fato absumptus, Anno scilicet Christi nongentesimo octogesimo tertio. *Ita Dimarus, Leo Ostiensis, Crantzius, & alij.*

ICON

OTHONIS IMPERATORIS OCCIDENTIS.

Otho secundus, paternam virtutem, nomine magis, quam indole, referens, à proceribus, sublato patre, acclamatus, Henricum Bauariæ Ducem, nouis rebus studentem perdomuit. Tum aduersus Lotharium Francorum Regem, qui sibi Lotharingiam asseruerat, Galliam ingressus, eam fœdis populationibus, grauiter afflixit, auersa tamen in reditu fortuna, Lothario illum insequente, ac nouissimum agmen carpente. Dein in Italiam, ad Græcorum Principum famam, qui Sarraceno etiam milite instructi, Italiam sibi vendicabant, festinanter properans, hostes ad Bassontellum infæliciter aggressus est. Desertus enim à suis, quibus ob sæuitiam summè exosus erat; cæsisque ad internecionem omnibus copiis, ægre naui seruatus quandiu latuit, ægrius quando agnitus est, natatu effugit, vt aliquando Regni gloria, non oneri modo, sed periculo esset. Tandem Romam reuersus, fortunæ, Martisque variantis exemplum, Imperij insignia, vitamque deposuit. Odium siquidem in præcipitem semper locum, suos defensores defert; imo in præsenti mortis periculo, sæpe destituit.

BASILII IMPERATORIS OCCIDENTIS Gesta.

Ingentem, contra Phocam Reipublicæ hostem infensissimum, expeditionem parauit, eoque profligato, cæsoque, victor Constantinopolim, tota obuiam effusa vrbe, ingressus est, solemnique pompa, ac splendido apparatu, exceptus, Anno Christi nongentesimo octogesimo nono; *vt refert Cedrenus, Curopalates, & alij Græci Historici.*

LOTHARII FRANCORVM REGIS Gesta, & Obitus.

Reddito Veroduno Belgicæ Galliæ oppido, quod ab Othonis secundi Imperatoris Occidentis obitu, occuparat, viuere desijt, Anno Christi nongentesimo octogesimo sexto, Principatus autem sui trigesimo primo, *Odorano teste huiusce temporis scriptore.*

ICON

LOTHARII FRANCORVM REGIS.

LOtharius, Ludouici Transmarini Francorum Regis filius, paterni simul Regni, atque calamitatis hæres, in Regem inauguratus, interceptam à Roberto Campano, Diuionum Burgundiæ vrbem clarißimam, & Ducum quondam sedem, fœliciter recepit. Richardum autem Ducem, Sueßione in publicis Comitiis, pari, quam ille nuper parentem, pœna affecisset, nisi tacite fraudem subodoratus, à congressu abstinuisset. Dein emensis aliquot annis, occupata Flandria, Atrabatum, Teroannam, aliaque Morinorum oppida ditioni suæ adiecit. Mox cum Hugone Magno, grauißimum in Pictonibus bellum suscepit; adscitoque in consortem filio suo, infesta signa Othoni secundo Occidentis Imperatori, Lotharingiæ recuperandæ causa, intulit; eumque Aquisgrani commorantem pene oppreßit. Aliquanto tamen post, ad colloquium cum illo, super Charum fluuium, congressus, fœdus haud diuturnum inijt. Augusto enim vita functo, Verodunum, eiusque oppidi Comitem Gottofredum cepit. Verum supremis diebus, & Cæsari oppidum, Comitemque, & Comiti opes restituit. Nec multo post, sine vllo fere suorum doloris sensu interijt; quia non gratus, cum cupidus nimis, & ad res suscipiendas promptior, quam par esset; ad ea namque facile inclinat vulgi animus, quæ temperate semper, ac moderate aguntur.

LVDOVICI QVINTI FRANCORVM REGIS Gesta, & Obitus.

Hugoni, summo Duci, à patre Lothario commendatus Regno solus, omnium procerum suffragiis, potitus est, Anno Christi nongentesimo octogesimo sexto, *vt docet Odoranus*; breuique post supremum vitæ diem obijt.

ICON

LVDOVICI FRANCORVM REGIS.

LVdouicus quintus, Lotharij filius, patre demortuo, rerum curam suscepit, haud diuturnam tamen, cum vix anno emenso Imperium tenuerit. Nulla alia re celebris, quam quod Carolouingorum Regum Scenam clauserit. Constat enim, vt vrbium, Imperiorumque, sic gentium omnium, atque familiarum nunc florescere fortunam, nunc senescere, nunc interire.

HVGONIS CAPETI FRANCORVM Regis Gesta.

Ludouico quinto extincto; Hugo Magni Hugonis filius, Capetus dictus, vel quod suis aulicis adhuc iuuenis Capucia, capitum tegmina, per iocum, deijceret; vel à capite crassiore, sceptrum Francicum sumpsit, Anno Christi nongentesimo octogesimo septimo, Basilij, & Constantini duodecimo; *Odoranus, Glaber, & alij.* Nec mora Robertum filium suum, regiæ dignitatis consortem fecit, ne in nondum firmato Regno, si post fata, id differretur, exoriri posset, in tanta mortalium cupiditate, Regni scelere, virtuteque petendi, nouarum rerum moles; captumque, Anno principatus sui tertio, Carolum Flandriæ Comitem, in carcerem, Aurelianis, conjecit, nihilque grauius in cum ausus, diligenti, ac perpetua custodia asseruauit; ipsi tamen vxoris copiam tam libere fecit,

vt ex ea Ludouicum, Carolumque sustulerit.

Cæterum aduerte hic, scriptores quosdam asserere, Hugonem Capetum ortum, ex Carolina progenie, habuisse; ita Guillielmus Ningius, & auctor qui texuit genealogiam S. Arnulphi. Id ipsum affirmat Innocentius summus Pontifex, in Epistola ad Ludouicum Regem, huius nominis sextum.

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Veremundus eo nomine secundus, & Ordonij filius, Legionensis Regni, in Hispania, regimen obtinuit, Anno Christi nongentesimo octogesimo secundo, Basilij, & Constantini septimo; tum lege, vtpote Ramiri Regis sine liberis iam defuncti patruelis; tum necessitate, quoniam Regni partem, armis occupatam tenebat. Imperauit vero neruis æger, vnde illi podagrici cognomen. Priscas Gotorum leges, nouo edicto, sanxit; & Pontificum Romanorum responsa, vt secundum ea, ius redderetur, sanctissimo rescripto statuit, *Ambrosius Moralis.*

Otho tertius, Othonis secundi filius, regio insignitus Aquisgrani diademate, Anno Christi nongentesimo octogesimo tertio, Basilij, & Constantini octauo, Regis tantum nomen Germanici, more maiorum, non autem Imperatoris assumere voluit, antequam inunctus fuisset à summo Pontifice, Anno Christi nongentesimo octogesimo sexto. Ipso principatus initio, sublatum de Ecclesia Mersburgensi Episcopatum, ob quem ipsius pater, diuinam expertus fuerat vltionem, restituit, *vt docet Ditmarus.* Biennio post expeditionem ad Sclauos, vicinia fœde euastantes, compescendos, suscepit. Anno demum nongentesimo octogesimo septimo, Basilij, & Constantini duodecimo, fœdus cum Boëmis pepigit.

Guillielmus, Præfectus vrbis Legionensis in Hispania, vir bellicis sudoribus summe inclytus, & qui licet continenti multorum mensium vrbis expugnatione, viribus penitus fractus, immo ex morbo discumbens, periculo tamen renuntiato, lectica se in eam muri partem, quæ crebris impressionibus maxime

laborabat, deferri iussit, Anno Christi nongentesimo octogesimo quarto, Basilij, & Constantini nono. *Mariana.*

Crescentius Nomentanus, nouus Tyrannus in Romanam vrbem exurgens, arcem, consulatus titulo, occupauit, munijtque, anno sequenti. Carolus Lotharingiæ Dux, & Lotharij frater, accepto nuntio, de Ludouici V. Francorum Regis obitu, & Hugone, nouo Rege acclamato, ad Imperij ius capessendum, in Galliam reuertens, Anno Christi nongentesimo octogesimo septimo, Basilij, & Constantini duodecimo, sensit, quam sibi Imperatoris Othonis secundi fauor, & auersus à Francis animus obfuissent, ab omni iure hæreditario penitus expulsus. *Sigebertus, Nangius, Paulus Æmilius, & alij.*

Barda Phocas, qui Bardam cognomento Scleram oppresserat, immo ex Imperio eiecerat, Augusti nomen, apud Orientem, fauente exercitu, arripuit, eodem anno. Hinc bella plusquam ciuilia; *de quibus fuse Curopalates, & alij Græci Historici.*

Robertus, Hugonis Capeti Francorum Regis filius, Princeps summa pietate, prudentia, ac litterarum haud vulgari scientia præditus, sacro delibutus oleo, regiæ maiestatis consors factus fuit, sub idem tempus; *vt habet Odoranus, Glaber, & alij.*

VIRI ERVDITI.

Vvolstanus Vvintoniensis, poëta illustris, & dignus, qui inter viros eruditione præstantes annumeretur. *Ita Guillielmus Malmesburgensis, in secundo suo libro de rebus gestis Regum Anglorum.*

Haymo eximia doctrinæ laude percelebris, cuius fœlicis ingenij labores infœliciter perierunt, vt referunt scriptores huiusce temporis. Osuualdus Vvigorniensis, S. Benedicti Monachus, bonis omnibus litteris excultus librum vnum composuit de Epistolis, & stylo poëtico.

Osvualdus Odonius, Archiepiscopus Eboracensis, ingenio acutus, consilio prudens, pietate, atque doctrina insignis, plures ad Odonem auunculum scripsit Epistolas, & librum statutorum Synodalium.

Gratianus, Classensis monachus Decretorum volumen edidit. Bonauentura constitutionum libros euulgauit. Ambros. Fluentinus Græca, latinaque lingua illustris. *Coccius Sabellicus.*

OPERA PVBLICA.

Hala Ciuitas in Saxonia ad Salis fontes extructa fuit, Anno Christi nongentesimo octogesimo primo, Othonis secundi octauo, Basilij, & Constantini sexto; *vt docet Spongenbergius.*

PRODIGIA.

Permultos pisciculos crebris immixtos imbribus; immo & triticum abunde pluisse in Gallia, Anno Christi nongentesimo nonagesimo, Basilij, & Constantini decimo quinto; *asserit Balmarius, Sigebertus, & alij.*

CALAMITATES.

Graui peste vniuersus Oriens laborauit, Anno Christi nongentesimo octogesimo primo, Othonis secundi octauo, Basilij & Constantini sexto, Thraciæ item, & Græciæ pars maxima, ac in primis Byzantium, vehementi terræ motu quassatum fuit, plurimaque tum publica, tum priuata ædificia euersa, sacræque ædes. *Curopalates.*

RES BELLICÆ.

Bulgari Samuelem Regem, arte militari clarissimum Principem nacti, Thraciam, Macedoniam, Thessaliam, atque Græciam vniuersam, magnis cladibus affecere, Anno Christi nongentesimo octogesimo primo, spoliisque onusti patriam repetiere; *vt habet Curopalates.*

Sclaui, anno sequenti, Germaniam cædibus, atque incendiis funestarunt; Brandeburgum vero oppidum celeberrimum occuparunt. Dein, assumptis Boëmis, aliisque Barbaris, Cizensem, & Mesburgensem Episcopatum ferro, ac sanguine deformarunt; *Fabricius, & alij.*

Otho secundus, Imperator Occidentis, magnis ex Francia, Germania, Tuscia, Lombardia accitis copiis, & ad Romanas

legiones adjunctis, vrbe egressus, Neapolim, & Beneuentum se contulit, ibique firma alia manu accepta, Græcos, Sarracenosque, haud tamen fœliciter aggressus est, Anno Christi nongentesimo octogesimo tertio, principatus sui decimo, Basilij, & Constantini nono; Romanis, Beneuentanisque non tantum pugnam detrectantibus, sed etiam signa deserentibus; illiusque exercitu non modo fuso, fugatoque, verum etiam fœdissima strage conciso. Cæterum hæc pugna Othoni & Italis adeo funesta fuit, vt facile fuisset Græcis Augustis, Roma, totaque Italia potiri, si vti victoria sciuissent. Verum deserta omnia, sine viribus, sine capite, diuina prouidentia tutata est; quæ victoribus prædonum potius mentem, quam hostium dedit. Porro Otho fuga elapsus, collecto haud multo post exercitu, Beneuentum, ciuium prodionem vlturus, ex improuiso cepit, diruitque, *vt refert Ditmarus, Leo Ostiensis, & alij.*

Giselarius Archiepiscopus Magdeburgensis, permultis summæ famæ proceribus stipatus, Vandalos secundo Marte prostrauit, cæsis triginta hostium millibus. *Fabricio teste.*

Alcoraxus Hispalensis Regulus, per Lusitaniæ fines, in Gallæciam inuectus, eodem Christi anno nongentesimo octogesimo tertio, Compostellam ciuitatem primariam, & sanctitate augustam diripuit; sed breui post supremi numinis pœnas haud leues expertus est. Lues siquidem derepente exorta, illius exercitum pene consumpsit; perpauci enim incolumes, diuinæque vindictæ præcones, ac testes deformes acceptæ calamitatis, domum se recepere. *Ita Ioannes Vasæus, Rodericus Toletanus, & alij.*

Mahometes Alhagibus, contractis Maurorum copiis, Christianorum fines, Issemi Regis nomine, inuasit sub idem tempus; Durioque transmisso, ad Asturæ fluminis ripam, castra collocauit. Qua de re Veremundus secundus, Legionensis Rex, certior factus, eos ex inopinato penitus oppressit, plurimi quidem inermes cecidere, alij fuga sibi consuluere, alij in arma irruere. Rem tamen iam inclinatam, ac periculo proximam, Maurus Dux, prouidentia sua, restituit; aciemque diuersa in parte instruens, Christianos ad prædam conuolantes, ac longo pugnæ labore defatigatos, conuersa belli for-

tuna attriuit, pauci enim vulneribus confecti, Legionem tenuerunt; venissetque vrbs in hostium potestatem, ni hyemis magnitudo, frigorisque, atque pluuiarum iniuriæ illos hinc expulissent. Veremundus autem periculo commotus, neque satis oppidi munitione confisus, sanctorum reliquias Regumque corpora, ne hosti ludibrio essent, Ouetum transferenda curauit, eoque ipse se contulit, cura Legionis muniendæ, atque defendendæ, Guillielmo Gonsaluo commissa. *Rodericus Toletanus, Rodericus Sanctius, Alfonsus Carthagena, Franciscus Tarafa, & alij.*

Pugnatum item acriter ad Asturam, Anno Christi nongentesimo, octogesimo quarto, Basilij, & Constantini nono; Maurorumque valida manus per illum terrarum tractum vagata, Borellum Comitem ad Moncadam arcem deleuit.

Boëmi in Misniam vim facientes, variis incursionibus, ac deprædationibus euastarunt, multasque ciuitates solo æquarunt, *vt habet Fabricius.*

Barcino, à Mauris obsessa, capta fuit die sexta Iulij eiusdem anni, plerique ciues Cordubam in seruitutem abacti. Breui tamen recepta Borelli Comitis ope. Hic enim ex vrbe elapsus, ad colligenda auxilia, Minorescæ, & vicinis locis, delectu habito, ciuitatem fœliciter expugnauit.

Mahometes Alhagibus propositi tenax, superioris belli successu ferocior quam ante, annua fere obsidione, Legionem vrbem grauiter fatigauit, murisque, continenti machinarum ictu, quassatis, ad occasum, atque meridiem, patefactus fuit aditus; quo ingressi Barbati, suorum cæde, ac diuturnitate temporis incitati, nullo, neque ætatis, neque sexus discrimine habito, hostiliter sæuierunt. Vrbs euersa, Mœnia, ac propugnacula ad terram prostrata. Eandem calamitatem Asturica passa est, Valentia, Campestris, Gordonium, Alba, Luna, aliaque oppida, qua incensa, qua vi capta, direptaque fuere. In Castellæ item finibus Vxama, Valetanica, & Ariensa, vrbes expugnatæ, *vt docet Historia Hispanica.*

Miesztslaus, Poloniæ Rex, bellum Vvoladomiro Russorum Duci fines suos inuadenti, non tam prospero indixit exitu, *vt refert Salomon Neugebauerus à Cadano.* Otho tertius in Sclauos vicinia depopulantes mouit, Anno Christi nongentesimo octo-

gesimo quinto, Basilij, & Constantini decimo. Anno vero proximo Boëmos in ordinem redegit, totamque Prouinciam summa fœlicitate sibi subjecit. Anno denique nongentesimo octogesimo septimo, Basilij, & Constantini duodecimo, bellum inter eos, & Cæsarem recruduit. Haud multo post tamen, pax firmata. *Lambertus, Ditmarus, Spongenbergius, & alij.*

Carolus Lotharingiæ Dux, Ludouico nepote Francorum Rege extincto, auitum, paternumque bellum repetens, in Hugonem Capetum nouum Regem arma vertit, Anno Christi nongentesimo octogesimo octauo, Basilij, & Constantini decimo tertio, Laudunumque Galliæ vrbem occupauit, quam Hugo haud cunctanter obsessit. Verum Carolus in eum subito erumpens impetu, obsidionem, magna Francorum clade dita, soluit.

Basilius Orientis Imperator copias in Phocam Imperij hostem ducturus, Chrysopolim profectus est, Anno Christi nongentesimo octogesimo nono, Principatus sui decimo quarto; vbi Delphinum Patricium, Phocæ Ducem deuicit, captumque palo afficit. Tum Abydum pergens, graui prælio cum hoste pugnauit, eoque cæso, Victor Byzantium rediit. *Zonaras, Cedrenus, Curopalates, & alij.*

Carolus Galliam iterum repetit, Remorumque ciuitatem, Arnulpho Antistite fauente, occupauit, Anno Christi nongentesimo nonagesimo, Basilij, & Constantini decimo quinto, terroremque longè, latéque circumtulit. Hugo vero Capetus Galliæ Rex, cui noua dignitas, armis asserenda erat, collectis ingentibus copiis, in Lotharingiam reuersus, fœliciori exitu, cum Carolo Duce conflixit. Ad Laudunum pugna commissa, Carolusque fortuna, viribus, Francorumque studiis inferior, victus, ac proditione captus, Aureliam custodiendus missus fuit. *Gaguinus, & alij.*


Ethelfredus demum Angliæ Rex vix à Danis liberatus, à Richardo Comite Normanniæ bello petitus est, ancipitique Marte dimicatum, *vt vult Malmesburgensis.*

OBITVS ILLVSTRES.


Ramirus Legionenſis Rex in Hiſpania, quem ocium, & ignauia, exitiale malum in Principibus, ad vitæ exitum tenuere, interijt, Anno Chriſti nongenteſimo octogeſimo ſecundo, Baſilij, & Conſtantini ſeptimo, *vt habet Hiſtoria Hiſpanica.*

Guillielmus Legionenſis vrbis Præfectus ingenti animi magnitudine inclytus, bellicisque artibus illuſtris, Maurorum inter hoſtiles copias fortiter depugnans occubuit, Anno Chriſti nongenteſimo octogeſimo quinto, Baſilij, & Conſtantini decimo. *Mariana teſte.*

Riddacus Marchio Meſnenſis diues opum viuere deſiit anno ſequenti. *Ita Spargenbergius, & alij.* Theodoricus ſecundus Hollandiæ Comes perijt, Anno Chriſti nongenteſimo octogeſimo octauo, Baſilij, & Conſtantini decimo tertio. Phocas denique funeſta in Baſilium, & Conſtantinum Orientis Imperatores moliens cæſus fuit in acie, *vt refert Cedrenus, Curopalates, & alij.*



DECAS



DECAS DECIMA.

BASILII IMPERATORIS ORIENTIS Gesta.

FILIAM suam Venetorum Duci collocauit, Anno Christi nongentesimo nonagesimo octauo, Principatus sui vigesimo tertio; votoque Monachum se fore spopondit, si Bulgaricam gentem acie prosterneret, eamque Græcis subderet; voti vero damnatus, reliquum vitæ suæ, Monachi cultum, sub Imperij insignibus, occulte gessit, *vt docet Auctor rerum gestarum S. Niconis.*

OTHONIS III. IMPERATORIS Occidentis, Gesta.

Romam cum ingenti exercitu profectus, Anno Christi nongentesimo nonagesimo sexto, Basilij vigesimo primo, Crescentium, Consulatus honore tyrannicè grassantem, & in Adriani mole, ad quam confugerat, variisque operibus munierat, comprehensum, vltimo affecit supplicio; Ioannemque pseudo-Pontificem, militum, populique sæuitiæ tradidit. Dein rebus compositis, Imperij titulo, coronaque, à Gregorio V. sedi restituto donatus, Electorum septemuiratum ab eodem impetrauit; quibus in posterum facultas eligendi Romanorum Cæsarem, seu Regem, qui diademate à summo Pontifice decoratus, Augustus diceretur, concessa fuit. Ad nobilissimam autem illam suffragationem, lecti primo fuere Archiepiscopus Coloniensis, Archiepiscopus Moguntinus, & Salsburgensis; additi insuper Duces Austriæ, Bauariæ, Saxonum, & Brauantiæ, qui est Louaniæ; & hic quidem numerus immotus fuit; non tamen personæ. Treuerensis siquidem Archi-

chiepiscopus locum postea Salsburgensis occupauit; subrogati præterea Ducibus Austriæ, Bauariæ, & Brauantiæ, Comes Palatinus, Marchio Brandeburgensis, cui limes Imperij, aduersus Sclauos, iam commissus, & Rex Boëmiæ. Porro Præsules Cancellarij munus obeunt; Moguntinus quidem Germaniæ, Treuirensis Galliæ, & Colpniensis Italiæ. Marchio Brandeburgensis Camerarius habetur; Comes Palatinus scutum præfert; Dux Saxoniæ ensem; Rex denique Boëmiæ pincernam agit. *De iis fuse in Othone tertio Martinus Polonus, qui claruit Innocentij quarti tempore.* Exin ereptus successioni locus, Imperiumque per plures stirpes vagatum plures opulentia ditauit, sibi tantum detrahens, quantum alij largiens.

Anno autem nongentesimo nonagesimo octauo, Imperij sui tertio, insigni iustitiæ documento, principatum suum nobilitauit. Maria enim Augusta, filia Aragonum Regis, amore non minus casti, quam formosi Mutinensis cuiusdam Comitis capta, ab eoque repulsa, amore in odium verso, insontem apud virum suum, intentati sibi stupri insimulauit. Comes vero de Augusti fama magis, quam de vita sollicitus, vbi rem cum vxore sua, fœmina prudentissima contulit, haud cunctanter, creduli Imperatoris iussu, pœnas capite luit innoxius. Nec multo post Comitis vxor Imperatorem in tribunali ius dicentem adiens, scelus Imperatricis aperuit, candentique lamina impune manibus tractata fidem fecit virum suum insontem morte mulctatum. Quare eo indicio conuicta Augusta, debitas tum libidinis, tum calumniæ, flammis, iubente Imperatore, addicta persoluit pœnas. Mox vero hocce iustitiæ exemplo edito, Romam iterum se contulit, vbi ciuium conspiratione, vitæ periculum adiit, *vt testantur omnes antiqui Historici, & Chronographi.*

HVGONIS CAPETI FRANCORVM REGIS Gesta, & Obitus.

Arnulphum Rhemensem Episcopum natalium illegitimorum prætextu, è sede deiecit, Anno Christi nongentesimo nonagesimo secundo, Basilij, & Constantini decimo septimo; in eiusque locum Gerbertum, quo præceptore Robertus eius filius

vsus fuerat, suffecit; cum tamen, triennio emenso, restituit, litterasque officij plenas ad Ioannem summum Pontificem misit, vt placatum redderet. Tum eum ad Gallias inuisendas, Rhemensisque Ecclesiæ discordias componendas inuitauit, *vt docet Aimo, & Sigebertus*; viuere vero desijt, Anno Christi nongentesimo nonagesimo octauo.

ICON

HVGONIS CAPETI FRANCORVM REGIS.

EReptum nuper Francis Imperium, & ad Germanos translatum; concessæ Barbaris nationes; Oppignoratæ Prouinciæ, visque principatus, aut resoluta, aut conuulsa, adeo tanti Imperij maiestatem eneruarant, vt Rectore, in tanto rerum statu, opus esse videretur, qui & tumida componeret æquora, & Reipublicæ nauigium, tot continuis procellis, iactatum, ac pene quassatum, sua resarciret industria, nec tam susciperet Imperium, quàm seruaret. Quare omnium ordinum consensu, Hugo Capetus, Magni Parisiensis Comitis filius, Robertique nepos, in quem natura, regia omnia, plena manu effuderat ornamenta, publicæ salutis gubernaculo admotus fuit, Rexque Franciæ salutatus. His ita constitutis, receptoque gentium, quæ vnius arbitrio reguntur more, & vsu; reddita nouo Principi, acceptaque fuere obsequia. Tum relictis, dimissisque proceribus Præfecturis, alijsque id genus publicis muneribus, tanquam si illa iure hæreditario adiissent, vno dumtaxat, feudi vt vocant, seu clientelæ nomine obligatis, omnium sibi Principum animos arctissime deuinxit; Carolumque Ludouici Transmarini filium, æmulum suum, quem è Regni spe non tam sua proteruitas, Francorumque odium, quam sæuientis fortunæ iniquitas deiecerat, carceri Aurelianis tradidit. Dein cum Regum omnium ingenium suspicax, & iniuriæ haud patiens sit, graui, atque iniquo animo ferens Arnulphum Flandriæ Comitem, publicis inaugurationis suæ Comitiis non interfuisse, bellum, ingenti rerum apparatu, in illum mouit, iamque aliquot oppidis Flandricæ ditionis expugnatis, toto fere Atrabatum Comitatu, rebellantem mulctarat, cum Richardi Normanniæ Ducis auctoritate, & gratia, qua in aula pollebat, permotus, ne quietum vltra malum excitaret, temereque principatum, procerum odiis simultatibusque obnoxium, concuteret; optimumque Regi nouo, Regnoque recenter

comparato, consilium illud esse, & ex Caesaris quondam vsu, eos pro amicis habendos, qui non ex professo essent hostes, pacem redditis Comiti oppidis, firmauit, postquam ille Roberto filio suo, quem in consortem assumpserat, solemni Sacramento, se obstrinxisset; sicque altera regiae familiae stirps, quae, pulsis sceptro Merouingis regale solium conscenderat, eadem vicissim pulsa, (cunctis siquidem inest velut orbis quidam, vt quemadmodum Regnorum vices, ita & hominum mores vertuntur, Imperiorumque) meliori locum dedit, quae prioribus, vt annorum serie perennior, sic rerum splendore illustrior, non modo ad nostrum aeuum illibata peruenit, sed orbi coaeua, si caelo creditur, permanebit.

ROBERTI FRANCORVM REGIS Gesta.

Coronae, ac paterni Regni haeres factus, Gallicae rei administrationem suscepit; incestisque cum Betta, vtpote commatre, & affinitate sibi iuncta nuptiis, Gregorij V. summi Pontificis interdicto diremptis, Constantiam Guillielmi Tolosani Comitis filiam, in vxorem accepit, Anno Christi nongentesimo nonagesimo octauo, Basilij, & Constantini vigesimo tertio, Othonis tertij tertio.

HEROES

Sanguine, Gestis, & Politia.

Landulphus, Landulphi Principis Beneuentani, & Capuani frater, in eius locum subrogatus fuit, Anno Christi nongentesimo nonagesimo primo, Basilij, & Constantini decimo sexto, *vt docet Sigonius.* Anno vero nongentesimo nonagesimo tertio, Theodoricus Arnulpho patri, Hollandiae Duci successit.

Garsias Sanctius cognomento tremulus, quod, vt superius diximus, in primo belli congressu, vehementius commoueri toto corpore solitus esset, quam armorum vsus, & regia dignitas postulare videretur, cum tamen in ipso conflictu, summa animi pertinacia depugnaret, nec prudentis Ducis, aut militis officium vllum praetermitteret; Princeps bellica laude clarus, ingenio liberali, atque in largitiones effuso, Sanctio Garsia

Vasconum Rege demortuo, acclamatus fuit, sub idem tempus. Conradi demum Burgundiæ Transiuranæ Regis principatum obtinuit Rodulphus eius filius, *vt testantur Lotharingiæ, & Delphinatus monumenta.*

Crescentius Nomentanus, fauente Romano populo, Consulatum adeptus, vt erat altissimo præditus animo, non modo veteri ciuitati libertatem recuperare, sed etiam imperij titulum sibi asciscere gestiebat. Ægrè itaque ferens eum, iure quasi hæreditario ad exteros esse translatum, omni vi nitendum esse censuit, vt vnde emanarat Imperium, eo tandem aliquandiu rediret; & ad id peragendum ciues omnes operam suam spoponderunt, vnico summo Pontifice renitente, qui confestim vrbe expulsus fuit, Anno Christi nongentesimo nonagesimo sexto, Basilij, & Constantini vigesimo primo. *Lambertus, Glaber, & alij.*

Veremundus Legionensis Rex in Hispania, clade Maurorum lætus, atque ex superiori successu, cogitans si Christianorum arma, quorum ex discordia tantæ calamitates natæ fuerant, in vnum fœdus, & quasi corpus conspirarent, rem Mauricam opprimi posse; missis eodem anno legationibus, Vasconum Regem, & Garsiam Castellæ Comitem ad sociandas vires sollicitauit, innuitque debere eos communi Christiani nominis periculo moueri, & iniurias, siquæ priuatæ existerent, patriæ saluti condonare, vt nefarios Barbaræ gentis conatus, communibus armis vindicarent. Quibus iustissimis postulatis vterque Princeps facile annuit. *Ita Historia Hispanica.*

Geisa Hungarorum Duce spectatissimo præcipiti iam ætate exhausto, Stephanus illius filius virtutum magnitudine, ac multitudine summe illustris, non Dux modo, vt pater, sed Rex, omnium procerum suffragiis, renuntiatus fuit, & à Prætorianis legionibus in Castra delatus, eadem consalutatione comprobatus, Anno Christi nongentesimo nonagesimo septimo, Othonis tertij secundo, Basilij, & Constantini vigesimo secundo. His peractis, Geisa pro tanto suscepto beneficio, multos è patribus, muneribus honestauit; vectigalia remisit; militibus annonam, sestertiaque distribuit; missilia sparsit; ludos edidit, ac solemnia ad omnes aras celebrauit. Cæterum nouus Rex, ipso principatus initio, nihil antiquius habuit, quam pu-

blicæ saluti incumbere; Hungaros in veritatis lucem asserere; firmataque cum vicinis omnibus pace, Regnum communire; vt si quæ populos inter, ac principes suos, seditio exoriretur, nulla foris auxilia sperari possent. Verebatur enim, vt mox contigit, Scyticas mentes haud quaquam facile ritus patrios esse depposituras. Anno autem Christi millesimo, regio nomine, regiaque corona à summo Pontifice insignitus, Regnum suum B. Petro, ac Romanæ Ecclesiæ religiosa munificentia donauit; precario ipse in posterum, fœliciter haud secus regnaturus. *Bonfinius, & alij.*

Balduinus Flandriæ Comes, exuta pueritia Rempublicam rexit. Hinc ingens metus populum, cæterosque in Comitem coniuratos inuasit; illosque bellorum aduersa obruissent, nisi matura pœnitudine Principis vim, iramque fregissent. Coërcitis vero tumultibus; fractaque factionum audacia, Oginam Luxemburgensi Principe prognatam, opibus, nobilitate, virtute, crebrisque nominibus gratam, matrimonio sibi iunxit. *Iacobo Meierio teste.*

Tribuno Memo Venetorum Duce, principatu exuto, Petrus Vrseolus vir summæ famæ apud proceres, rei curam recepit, Othonemque tertium Imperatorem excepit, magnisque coluit honoribus, Anno Christi nongentesimo nonagesimo octauo, Basilij, & Constantini vigesimo tertio; effecitque vt aureum pannum, qui annuus Cæsaribus ex fœdere debebatur, Veneto nomini in perpetuum remitteret. Quam ob rem populo gratissimus habitus; ab eo obtinuit vt filium in consortem assumeret. Ad hæc adde quod patrimonium suum filios inter, & pauperes, & spectacula, atque congiaria partitus sit, *vt habet Coccius Sabellicus.*

Bernardus Saxoniæ Ducis filius, & Othonis secundi ex patre nepos, Morienæ Comitatu, & Taurinatium Marchionatu, donatus fuit eodem anno, à Rodolpho Burgundiæ Transiuranæ Rege. Vnde orti Sabaudię Duces, Regum lata prosapia; si Regna meritum, non titulus condit, *Historia Sabaudiæ.*

Mietzeslao Polonię Rege extincto, Anno Christi nongentesimo nonagesimo nono, Basilij, & Constantini vigesimo quarto, Othonis tertij quarto, Bolesłaus illius filius eximia indole, animique magnitudine, atque morum suauitate insignis,

Principatum Polonorum omnium votis suscepit. *Neugebauerus à Cadano in sua Historia.*

Alfonsus puer, Veremundo patre Legionensi Rege in Hispania morte sublato, purpuram induit, eodem tempore; eius autem minorem ætatem Gonsaluus Gallæciæ Comes, cum vxore Maiori nomine, regiis moribus imbuendam susceperunt, alumno vero quinquenni, Rege renuntiato, publicam rem summa fide procurarunt, vt pater moriens testamento mandauerat, Regnique omnes ordines sanxerant. *Ioannes Vasæus.*

Sanctium Tremulum Vasconum Regem excepit Sanctius eius filius ex Semena vxore, Anno Christi millesimo. Hunc Sanctius Leirensis Abbas, optimis præceptis, in minori ætate excoluerat, omnique liberali doctrina informarat. Porro tanta fœlicitate clarus fuit, vt Hispaniam, quam latè Christianæ ditionis fines extendebantur, sub vnum ferme Imperium reuocarit. *Mariana, & alij.*

Kennetho Scotiæ Rege funerato, Constantinus Culeni filius, Regno potitus est; legemque de Imperij successore, à Kennetho nupere latam abrogauit. Hinc factum vt Scotia, suas in factiones, diuisa fuerit. Malcolmus siquidem Kennethi filius, & Cumbriæ Princeps, legitimusque Regni hæres, accepto nuntio de nouo Rege salutato, collecta continuo manu, in Constantinum mouit. Verum cum suum exercitum præ hostium multitudine perexiguum, ac pene nullum esse aduerteret, solutis ordinibus, in Cumbriam se recepit. *Leslæus, & alij.*

VIRI ERVDITI.

Gerbertus Monachus Floriacensis, Robertique Franciæ Regis præceptor, vir Philosophiæ, Astronomiæ, reliquarumque artium studiis apprime excultus, scripsit opus de Sphera, de compositione Astrolabij, & quadrantis, item de Arithmetica, aliosque complures libros, dialogos, & Epistolas, *vt refert Trithemius.*

Alfricus Anglus multiplici eruditione clarus, Chronicon Saxonicum composuit, Concilij Nicæni Canones Saxonica donauit lingua.

Hardrinus Nouiemensium, & Tornacensium Antistes, cuius

sanguinis nobilitatem, doctrinæ varietatem, magnamque eloquentiæ vim scriptores magnificis, amplissimisque verbis prędicant, floruit hoc tempore.

Ditmarus Episcopus Mersburgius, bonis omnibus disciplinis illustris, Chronicon ab Othone Principe ad annum vsque millesimum decimum octauum contexuit.

OPERA PVBLICA.

Gradensis Dux, vrbis mœnia, magnis restaurauit sumptibus, Anno Christi nongentesimo nonagesimo tertio; *Sigonio Auctore.* Othonis vero Cęsaris vxor, Olsam ciuitatem splendide extruxit sub idem tempus.

CALAMITATES.

Vesuuius Campaniæ mons, adeo vehementer exarsit, Anno Christi nongentesimo nonagesimo tertio, Basilij, & Constantini decimo octauo, vt ingenti flammarum vi plurimæ vrbes fœde perierint, immo Roma ipsa partim exusta fuerit, *vt habet Glaber, & alij.* Padeburgensis insuper ciuitas tota conflagrauit, Anno Christi nongentesimo nonagesimo nono, Basilij & Constantini vigesimo quarto, Othonis tertij quarto; adde Monasterium à Carolo Magno conditum, cum insigni Bibliotheca.

PRODIGIA.

Berta Roberti Francorum Regis vxor, prolem ex illicito connubio, vt pote affinitate, ac præsertim lustrali contracto, capite colloque anseri persimilem peperit, Anno Christi nongentesimo nonagesimo octauo, Basilij, & Constantini vigesimo tertio, Othonis tertij tertio. *Ita Helgaldus in vita Roberti Regis.*

In Albione, & Galliis, lapidibus pluit, Anno Christi millesimo. Mare vero tantam piscium multitudinem in littus eiecit, vt iis mortuis, fœtor pestilensque odor omnem cœli tractum, multa labe in mortalium perniciem, infecerit. *Luna,* non sine ingenti spectantium horrore, sanguine conspersa apparuit. Fruges denique cum multis animantibus, solis ardore, longaque cœli

cœli intemperie, absumptæ fuere, vnde fame grauiter laboratum. *Hector Boëtius*.

RES BELLICÆ.

Landulphus Capuam acri obsidione, crebrisque impessionibus tandiu fatigauit, vsque dum Landulphi fratris cędis auctores in deditionem habuit; quos vel suspendi curauit, vel grauibus suppliciis affici, anno Christi nongentesimo nonagesimo primo, Basilij, & Constantini decimo sexto, *vt placet Sigonio*.

Chieze Quidliburgensis miles, ad Vandalos deficiens, Anno Christi nongentesimo nonagesimo tertio, Basilij, & Constantini decimo octauo, Saxonias magnis cladibus afflixit. Arnulphus vero Hollandiæ Dux, ad Pagum cum Frisiis infœliciter decertauit, fugatus ab iis, immo cęsus. *Caluisio teste*.

Mauri eodem anno, expeditione suscepta, Lusitaniæ terras infestarunt; eaque parte in Gallæciam inuecti, Compostellam vrbem vi expugnarunt, incenderuntque; nec ab ipso quidem Iacobi Apostoli sepulchro sæuitia temperasset, ni repentinus fulgor diuinitus excitatus, impios conatus repressisset. Templi tamen campanæ, vt de superatis Christianis, trophęi instar essent, Cordubam delatæ, diu in summo Maurorum templo lampadum vsum præbuerunt. Consecuta mox diuina vindicta; quà dissenteriæ morbo, quà lue, quà Veremundi Regis gladio, nouissimum carpentis agmen, locisque omnibus in reditu prementis, absumpti fuere. *Historia Hispanica*.

Dani in Daniam iterum irruentes, anno sequenti, Christi scilicet nongentesimo nonagesimo quarto, primo quidem conflictu repulsi fuere; verum haud multo post viribus adaucti maritima fœde depopulati sunt, stipendiumque ab Eldredo Rege extorserunt. *Rogerius*.

Samuel Bulgarus Basilij Imperatoris Orientis Duces, structis insidiis, penitus oppressit. Dein Thessaliam, Boëtiam, & Peloponnesum ferro, atque incendio funestauit, *vt habet Cedrenus*. Otho autem aduersus Mediolanenses progressus, vrbem valida armatorum corona circumcinxit.

Veremundus Legionis Rex in Hispania, magnis militum delectibus, numerosum conscripsit exercitum, eodem Christi

anno nongenteſimo nonageſimo quinto, Baſilij, & Conſtantini vigeſimo; lecticaque delatus, vt pote neruis æger, rurſum cum Garſia Comite contra Mauros profectus eſt, qui ſuperioris cladis ſanandæ cauſa, nouas collegerant copias, Gallæciæque agris peruaſtatis, oppidiſque direptis, totam belli molem in Caſtellam verterant. Ad oppidum itaque Calacanaſorium, ad Caſtellæ, & Legionis confines ſitum, caſtra caſtris collocata fuere; ſicque acriter dimicatum, vt pugna, noctis tantum caligine, dirempta fuerit. Multi ex vtraque parte ceciderunt, dubiaque victoria; Mauri tamen per occultam teſſeram, profectione, ſequenti nocte, denuntiata, peiora tuliſſe, Chriſtianorumque virtute ſuperatos fuiſſe, confeſſi ſunt; fugæ enim ſimilis hæc profectio fuit. Spolia ſiquidem in caſtris relicta, & ſtrages rerum, feſtinandi ſtudio, toto itinere, deiectarum, magis etiam declararunt. Cæterum die illa, qua ad Calocanaſorium pugnatum eſt, quidam Piſcatoris habitu, Cordubæ ad Boëtis ripam, tanta locorum longitudine, ceciniſſe fertur voce flebili, nunc Arabica, nunc Hiſpanica lingua modos mutando; Ad Calacanaſorium amiſit Almanſor tympanum, vnde à genio malo, victoriam euulgatam ſuſpicati ſunt, effugiente præſertim inter manus vmbra, cum ciues Cordubenſes tenere conarentur, *vt refert Rodericus Toletanus*, *& alij.*

Sclaui, abſente Berengario Principe, Beneburgum vſque penetrarunt, cæſoque Præfecto, vrbem occuparunt, igneque fœde deformarunt, Anno Chriſti nongenteſimo nonageſimo ſexto, Baſilij, & Conſtantini vigeſimo primo, Othonis tertij primo, *vt docet Caluiſius.*

Otho Imperator, exercitu Romam adducto, ciuibus parere recuſantibus, vrbi obſidionem admouit, anno Chriſti proximo, cui cum aliquando reſtitiſſent Romani, ad extremum tamen, ſumma rerum omnium, qualis in obſeſſis plerumque vrbibus, contingere ſolet, inopia conflictati, portas vltro patefecere, *vt habet Sigonius.* Tum rebus compoſitis, ad Tiburtes properauit, qui Miazolinum nobilem ipſius Ducem occiderant; iis tamen pax conceſſa fuit Romualdi Abbatis precibus, ea lege, vt ad honorem Regis, murorum partem diruerent, Duciſque percuſſorem redderent. *Ita citatus Auctor.*

Petrus Vrſeolus Venetorum Dux, claſſem in Iſtriam, &

Dalmatiam comparauit, vt se contra Narentanos infestos hostes tueretur; quibus secundo Marte profligatis, totam Istriam, atque Dalmatiam sacramentum sibi dicere iussam, ad Imperium Venetorum adiunxit, eodem Christi anno nongentesimo nonagesimo septimo, *vt refert Sigonius.*

Rebellantibus Burgundis, Robertus Francorum Rex in Burgundiam magno cum exercitu se contulit, vrbemque Altissiodorum oppugnauit, sed frustra. Quare cunctis vndiquaque incensis, dirutisque, inglorius abscessit, Anno Christi nongentesimo nonagesimo nono. *Glaber, & alij.*

Basilius Orientis Imperator, Bulgaros aggressus ingenti strage afflixit, plurimasque vrbes fœlici pugnæ exitu inuasit, Anno Christi millesimo, principatus vigesimo quinto, Othonis tertij quinto. *Cedrenus) & alij.*

Dani, sub idem tempus, bellum contra Edouardum Angliæ Regem instaurarunt; cui Malcolmus Kennethi filius, & Cumbriæ Princeps, auxiliares suas copias adiunxit. Constantinus autem Scotiæ Rex, Malcolmo absente, ad Cumbriam expugnandam, cum manu viginti hominum millium optime instructa, contento cursu aduolauit. In eum tamen Kennethus, Kennethi Regis frater, collectitium militem eduxit. Pugnatum est diu, magna animorum contentione; tantaque clades vtrinque accepta, vt ipsa victoria luctuosa etiam victoribus videretur; reliqui milites dum acerrimo prælio distringuntur, Constantinus, & Kennethus in singulare certamen descenderunt, atque vtroque à se inuicem interfecto, Kennethi tandem milites victoriam retulerunt. *Hector Boëtius, & alij.*

REI INSIGDES.

Maria Aragonum Regis filia, & Othonis tertij Imperatoris Occidentis vxor, libidinis, atque calumniæ insimulata, conuictaque, flammis, Augusti coniugis iussu, addicta fuit, Anno Christi nongentesimo nonagesimo octauo, Basilij, & Constantini vigesimo tertio, Othonis tertio.

OBITVS ILLVSTRES.

Aluara, seu Aruara Princeps Capuana, & cui interfecto Pandulpho viro suo, in clade postrema Othonis secundi Imperatoris Occidentis, datus est Principatus, interiit anno Christi nongentesimo nonagesimo primo, Basilij, & Constantini decimo sexto, *vt habet Leo Ostiensis lib.* 4.

Theophania in Græcia nata, & Othonis Imperatoris Occidentis vxor, ex Italia reuersa, fato concessit eodem Christi anno, *Fabricio teste.* Landulphus item Capuanus Princeps à ciuibus crudeliter interfectus. *Ita Sigonius.*

Henricus Bauarus morbo perijt, Anno Christi nongentesimo nonagesimo secundo, Basilij, & Constantini decimo septimo. Carolus Lotharingiæ Dux, Hugonis Francorum Regis captiuus, infœlicem vitæ exitum sortitus est, sub idem tempus. Conradus item Burgundiæ Transiuranæ Rex morte absumptus: Sanctius vero Garsias Vasconum Rex, anno sequenti. *Mariana.*


Geisa primus Hungarorum Rex Christianus, religione, ac pietate illustris, è viuis sublatus, Anno Christi nongentesimo nonagesimo septimo, Basilij, & Constantini vigesimo secundo, Othonis tertij secundo, *vt docet Bonsinius in sua Historia.* Richardus insuper huius nominis primus, Burgundiæ Dux eodem anno.

Alhagibus Maurorum Dux, ex rei male gestæ dolore, vitam in valle Belgit Coroxaco, obstinata inedia finiit, Anno Christi nongentesimo nonagesimo octauo. Proximo autem Mieczislaus Poloniæ Rex, sacra Christianæ Religionis mysteria summe colens, obiit, principatus sui anno trigesimo quinto nondum emenso. *Historia Polonica.*

Veremundus Legionis Rex in Hispania, podagræ doloribus, quibus diu obnoxius fuerat, ad Beritum oppidum oppressus fuit, Christi anno nongentesimo nonagesimo nono, Basilij, & Constantini vigesimo quarto, Othonis tertij quarto. Sanctius etiam Tremulus Vasconum Rex, supremum diem expleuit eodem anno, *vt habet Mariana.*

Kennethus

Kennethus Scotiæ Rex, Fenellæ astutæ fœminæ dolo, occubuit, Anno Christi millesimo. Hæc enim verita ne odium, quod in Regem conceperat ob Crathlintum filium Principis iussu vltimo supplicio affectum, erumperet, nec nisi Regis morte posse piari censeret, in illo occultis quibusdam insidiis extinguendo tota fuit; idque tandiu haece via aggressa est. Turrim magnificam prope Regis cubiculum extruxit, cuius interior pars tabulato exquisitissimè inciso, exterior vero opere afabre facto, omnibus admirationem sui commouebat; cubiculum autem, tapetibus auro summa arte intextis, ornauit; in illiusque medio Kennethi statuam æream manu pomum aureũ præferentem, collocauit, quod gemmis distinctum, tanta ingenij dexteritate fabricata erat, vt qui illud tetigisse, acutissimis derepente spiculis configeretur. A cœna itaque Rex turrim ingressus omnia diligenter perlustrauit, laudauit, suspexitque. Dein aureum pomum nunc in hanc, nunc in illam partem versans, Fenella quasi aliud curatura, è periculo subducta, Rex maximo totius Regni incommodo, balistarum, missiliumque, quæ sub tapetibus occultabantur, spiculis confossus fuit. *Ita Boëtius, & alij rerum Scoticarum Historici.*





INDEX.

RERVM OMNIVM QVÆ IN HAC PARTE CONTINENTVR.

A

Raccaredo

Northumbriæ

G.

H.

I.

correptus

K.

L.

M.

N.

O.

P.

Theophilacto

V.

FINIS.



Errata, & Omissa istius partis primus numerus indicat paginam, secundus versum.

PAg. 2. v. 8. lege auctus. P. 6. v. 18. Hippatium. v. 26. Coloniam. P. 7. v 9. Clodouæo. P. 8. v. 29. Gallulam. P. 18. v. 18. Theudo. P. 24. v. 18. Oriente. v. 19. decus. P. 27. v. 8. moriturum. P. 35. v. 4. Osroenorum. P. 36. v. 23. Hipparcho. P. 38. v. 28. fumosisque. P. 45. v. 1. Solonas. v. 30. Vitiges. v. 31. quinquaginta millibus. P. 51. v. 8. Toulas. P. 54. v. 19. disciplinarum. P. 65. v. 9. fusius. P. 66. v. 25. pugnauit. P. 71. v. 9. exacto. v 19. ditioni. v. 20. Godomarum. P. 72. v. 2. Chramnus P. 73. v. 31. Brunichildem. P. 74. v. 35. submouere. P. 75. v. 24. Eatenus. P. 91. v. 30. Admonacillum. v. 31. Zurita. P. 92. v. 19. Ticinencis. P. 97. v. 1. refragante. v. 8. benigne remisit. P. 104. v. 17. Canentes. P. 106. v. 11. Sagis. v. 21. cecidit. P. 107. v. 10. & Ioannes. v. 13. contexens. P. 111. v. 6. vrbis. v 16. Donotus. v. 23. mulieres item. P. 112. v. 12. Italiam. P. 114. v. 30. periturus. P. 129. v. 1. exilium. P. 130. v. 30. Copsinus. P. 131. v. 2. creatus. P. 135. v. 5. huc. P. 138. v. 9. Monothelitarum. P. 143. v. 18. Sais. P. 151. v. 13. exitium. P. 152. v. 13. Ercombertus. v. 18 idola. P. 161. v. 18. æquitate. P. 163. v. 17. Frequhardus. P. 164. v. 28. obseruatæ. P. 165. v. 9. Opera publica, & non obitus illustres. P. 177. v. 21. periisse. P. 181. v. 17. Pertheritem. P. 184. v. 14. Samnium. P. 188. v. 14. Volfualdus. P. 193. v. 7. Breuenteanus. P. 200. v. 6. loco Constantini Pogonati, lege Principatus sui. P. 208. v 21. Musubulum deleuit. P. 212. v. 21. Bertarido. P. 219. v. 26. Mauritium. P. 221. v 15. ducitur. P. 222. v. 12. Luithpertus. P. 225. v. 22. Luithpertum. P 231. v. 33. Asprandus. P. 232. v. 2. Luithprandum, & v. 33. Ambitzoleto. P. 239. v. 26. Ramanfredo. P. 240. v. 21. fuisse, eius vero corpus, nunquam. P. 241. v. 12. Ambirxeleti. P. 242. v. 19. laurata. P. 243. v. 6. Theodorici secundi. P. 245. v. 33. Barlaam. P. 255. v. 19. Theodorici. P. 305. v. 36. Hunnicum bellum. P. 306. v. 23. Silone P. 307. v. 35. Zulemam. P. 332. v. 32. Bacho. P. 340. v 18. Purpuræ. P. 352. v. 25. comparato sibi. P. 353. v. 36. interpellarent. P. 354. v. 17. Brutum. P 365. v. 22. Mahomades. P. 369. v. 32. retinuerit. P 376. v. 7. Lotharius denique Imperator, non autem Ludouicus. P. 383. v. 26. nam. P 384. v. 25. ex Africa. P. 390. v. 18. Ethelbaldus. P. 391. v. 32. Massar. P. 393. v. 26. percusso P. 440. v. 3. Boriuoi. P. 448. v. 5. Muctaphar. P. 449. v. 39. Muctaphra. P. 459. v. 13. poscenti. P. 461. v. 8. Aelfleda. P. 472. v. 27. Æthelstanus. P. 498. v. 28. dele Æthelstano P. 509. v. 13. Anulafo. P. 524. magno in pretio. P. 526. v. 11. Romani secundi. P. 534. v. 9. Roxolanos. v. 26. euertuntur. P. 535. v. 8. madens. P. 537. v. 3. Mahomadem. v. 20. diuisis. P. 541. v. 25. Edgarus. P. 544. in titulo. Othonis secundi, non vero primi. P. 545. v. 3. nomine. v. 10. eam, loco Italiam. P. 551. v. Mahomades. P. 552. v. 13. Mahomades. P. 565. v. 29. in titulo. Insignes.

